# PARATITLA
# N QVINQVE LIBROS
# DECRETALIVM
# GREGORII IX.

uctore INNOCENTIO CIRONIO,
Iuris vtriuſque Profeſſore, Canonico, & Eccleſiæ,
ac Academiæ Toloſanæ Cancellario.

*Cum triplici Indice, gemino Titulorum, tertio rerum & verborum Alphabetico.*



TOLOSÆ,
Apud PETRVM BOSC.

M. DC. XLV.
*Cum Priuilegio Regis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO,

# ET REVERENDISSIMO DOMINO D. CAROLO DE MONTCHAL, ARCHIEPISCOPO TOLOSANO.

*INNOCENTIVS DE CIRON FELICITATEM.*

HABES, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, laborum meorum fructum, quorum tu impenſiùs rationem exegiſti : ſeriùs quidem quàm par fuit, ſi debitum; ocyùs ſi rei pretium expenderis. Solent fœneratores obæratorum moras vſuris amplioribus plectere : ceſſabit in me ratio iſta, quò enim magis diem ſubtraxi, eò minùs reum me profiteri audeo. Nec enim vnquam mentem meam & animum ambitionis & gloriæ œſtrum impulit, cùm poſt illuſtres & præſtantes Viros qui Iuri Pontificio manum admouerunt, meam addere ſuperuacaneum exiſtimârim. Quid ergo, vanum, imò ridiculum, dicta iam, excuſſa, diſcuſſáque decantare? Hoc facilè

Digitized by Google

mihi perſuaſum, niſi hiſce impedimentis tua fuiſſent præcepta anteponenda, & vinci obſequio ſatius, quàm ſilentij pertinaciâ vincere. Nihil eſt, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, quod tuæ cenſuræ non debeam, partum hunc tenellum, nutantem penè & collabantem ὡς τὸ ἀμβλωθείδιον offero. Quî enim fieri potuit, vt hunc anniculum tibi denegem, qui mihi fœcundiſsimum tuæ ſolicitudinis gregem credidiſti? Patres vix deformes & aſperos naturæ lapſus in filijs agnoſcunt, & vitia quæ omnium oculis patent, cæci ignorant. Vix ego hac in parte errârim, qui lubens Operis huius leuitatem ſentio, & niſi vim tua feciſſet autoritas, lubenter à propoſito reſiluiſſem. Accipe igitur, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, hanc meam operam, & parce ingenuitati meæ; ita fiet vt te autore, te Patrono omnem culpæ næuum eluam, & ſi quid dignum ſit tuis oculis, & publicâ vtilitate, tuum erit, quod à tua ſingulari munificentia, conſilio, & doctrina, tuáque inſigni literariâ penu accepi. TOLOSÆ, Pridie Kalendas Nouembris, Anno cIↃ. IↃCXXXXIV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

# ET REVERENDISSIMO

VIRO DOMINO

## D. CAROLO DE MONTCHAL,

ARCHIEPISCOPO TOLOSANO.

*INNOCENTIVS DE CIRON FOELICITATEM.*

HABES, PRAESVL ILLVSTRISSIME, laborum meorum fructum, quorum tu impenſiùs rationem exegiſti: ſeriùs quidem quàm par fuit, ſi debitum; ocyùs ſi rei pretium expenderis. Solent fœneratores obæratorum moras vſuris amplioribus plectere: ceſſabit in me ratio iſta, quò enim magis diem ſubtraxi eò minus reum me profiteor, & niſi vim tua authoritas feciſſet, lubenter à propoſito reſiluiſſem Nec enim vnquam mentem meam & animum ambitionis & gloriæ œſtrum impulit, cum poſt illuſtres & præſtantes viros qui iuri Pontificio manum admouerunt, meam addere ſuperuacaneum exiſti-

marim. Quid ergo vanum, imò ridiculum, dicta iam, excuſſa, diſcuſſaque decantare? Hoc facile mihi perſuaſum, niſi hiſce impedimentis tua fuiſſent præcepta anteponenda, & vinci obſequio ſatiùs, quàm ſilentij pertinaciâ vincere: Nihil eſt, PRAESVL ILLVSTRISSIME, quod tuæ cenſuræ non debeam, partum hunc tenellum, nutantem penè & collabantem ὡς τὸ ἀμβλωθρίδιον offero. Quî enim fieri potuit, vt hunc annicúlum tibi denegem, qui mihi fœcundiſsimum tuæ ſollitudinis gregem credidiſti. Patres vix deformes & aſperos naturę lapſus in filijs agnoſcunt, & vitia quę omnium oculis patent cęci ignorant. Vix ego hac in parte errarim qui lubens operis huius leuitatem ſentio, & niſi tua humanitas & beneuolentia excitaſſent, vltrà progredi neſas exiſtimaſſem. Accipe igitur, PRAESVL ILLVSTRISSIME, hanc meam operam, & parce ingenuitati meę; ita fiet vt te autore, te Patrono omnem culpę nęuum eluam, & ſi quid dignum ſit tuis oculis, & publicâ vtilitate, tuum erit, quod à tuâ ſingulari munificentiâ, conſilio, & doctrinâ, tuâque inſigni literariâ penu accepi. Toloſæ PRIDIE Kalendas NOVEMBRIS Anno cIↃ. IↃCXXXXIV.

# AD LECTOREM.

IVRIS Canonici cognitionem adeò exquiſitam videmus noſtro ſeculo, vt in omnibus non ſolum Eccleſiaſticarum, ſed etiam ſecularium cauſarum tribunalibus vulgò iactari experiamur; tantámque mixturam agnoſcimus, vt crebrò quæſtiones & controuerſiæ ciuiles authoritatem ſumant ex Pontificum decretis & ſacris Canonibus; & è conuerſo Eccleſiaſticæ vim & robur ex Iure ciuili & Principum Conſtitutionibus capiant, vixque diſcerni poſſit quænam lites, ſacræ an profanæ, forum magis impleant. Ex quo enim vulgari cœpit ius Pontificium ita radices egit, tantumque profecit vna ſcintilla, vt omnium litteratorum, Iudicum, & Cauſidicorum animos incenderit. Sub Honorio III. primùm Canones & Decreta legum vicem ſubierê, & ab omnibus populis obſeruari cœperunt. Nam quamuis publicè iuuentuti pellegerentur, non tamen in iudicijs ſecularibus admittebantur, præterquam in Italia, & ditionibus Eccleſiæ Romanæ; vt conijcere licet ex primâ Conſtitutione Innocentij III. in tertiâ collectione, & primâ Conſtitutione ipſius Honorij ad Tancredum Archidiaconum Bononienſem, quibus eas collectiones publicari, & ab alijs tam in iudicijs, quàm in ſcholis recipi iubent, ſicuti de Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutionibus factum fuerat. Quorum temporibus emerſit grandis Doctorum ſylua quæ totam Italiam impleuit. Ac poſtmodum Honorius vltrà ditionem Eccleſiæ ius Canonicum obſeruari voluit, vt patet ex Conſtitutione ſua in *cap. ſpeculæ de priuileg.* in quo omnes controuerſias non dicam Eccleſiaſticas, ſed ciuiles ſine legum ciuilium ſubſidio, à ſacris Canonibus definiri poſſe profitetur, iuriſque ciuilis legendi facultatem tollit. Quæ ſemina primùm iacta facilè poſteà in immenſam ſegetem excreuerunt; & apertum iter Gregorio IX. ad compilationem Decretalium euulgandam fecerunt; quam ita placuiſſe conſtat vt ſucceſſus temporum nobis demonſtrat. De progreſſu iſtius iuris quædam dicemus ad Quintã Compilationem Honorij III. quam è tenebris & puluere erutam in lucem prodire breui Deo dante, procurabimus. Nunc verò ad propoſiti mei rationem Paratitla hæc quàm priuatæ meæ exercitationi tantum deſtinaram in publicum produco, ſuaſu quorundam quibus parendum mihi fuit, & quorum me-



Digitized by Google

moriam & ſingularem eruditionem veneror. Eo præſertim Conſilio, vt præter operam quam ſecretiora Canonum ſtudia, origo & hiſtoria deſiderant, demiſſius etiam agendo, tyronibus & rudibus faciliorem viam aperiam. In hoc autem genere ſcribendi paucos admodum habemus, vnum quidem cuius laborem parui fecerunt qui in huius doctrinæ cognitione verſati ſunt, Anaſtaſium Germonium; poſt quẽ prodiere Paratitla ſeu Synaxes Nicolai Freroti in vniuerſum Iuris corpus, Decretalium, ſexti, Clementinarum & Extrauagantium, in quibus multa, ne dicam ferè omnia deſiderantur. Tum deinde acceſſit vir doctiſſimus Alexander Chaſſaneus, cuius Paratitla valde commendanda, ſed quæ propter breuitatem maioribus incrementis eguerunt. Edidit etiam Paratitla Decretalium Andreas Vallenſis, Academiæ Louanienſis Profeſſor, qui quidem huius iuris praxim & vſum accuratè perſtrinxit. Poteramus hoc beneficium expectare à ſummo viro Ioanne Coſta Doctore meo, cuius auſpicijs multos annos vtriuſque iuris ſtudio conſumpſi; & ſi tantus vir ocyùs ad hoc negotiũ ſe contuliſſet, quod in poſtremo ætatis ſuæ curſu inchoauit, ad omnes alios qui poſteà ſimile tẽtare voluiſſent à multis difficultatibus & laboribus eruiſſet: ad ſed quia primum tantũ modò librum ac partem ſecundi confecit, animum meum ad opus integrum impulit: cui ſanè pertinaciter incumbendum mihi fuit, tot enim difficultatum ſtimulis exagitatus recedere ab arenâ ſæpius cogitaui, eo maximè quod ita ius Canonicum Ciuili cohæreat, vt vtrumque penitus ignoret qui vnum tantum ſe ſcire contendat. Mare illud magnum & profundum tentare, & inter veterum Iuriſconſultorum reſponſa, velut minitantes naufragium ſcopulos irruere me oportuit. Quàm maximè anxium hoc mihi fuerit antiquo iterum me includere ludo vix explicem, poſt tot Doctores ſummi nominis qui ius Cæſareum illuſtrarunt, Cuiacium præſertim non ſolum vrbis noſtræ Toloſanæ ſed orbis totius decus & lumen, quem omnes qui bonarum artium culmen attigerunt νομοδιδάσκαλον agnouerunt. Nec multò minus in iure Pontificio ei tribuendum eſt, cuius ipſe viam ab alijs ſcriptoribus parum aut vix tentatam patefecit: vnicus eſt enim inter Latinos interpretes qui palmam meruit. Ex Græcorum ſcholis plures mihi fuerunt adiumento quorum opera vti mihi perſuaſum, ſed lubentius ad manũ habui Harmenopulum, Zonaram, & Balſamonem iuris Canonici valdè conſcios, ſed hunc maximè quem pluris facio, nec in eo me fallit opinio, quam docti omnes probarunt. Addo & Matthæum Blaſtarem manu exaratum, quo ſæpius vſus ſum beneficio Illuſtriſſimi noſtri Archiepiscopi Tolosani, qui non minus liberaliter hunc quàm pleroſque alios ex ſuâ copioſiſſi-

Digitized by Google

mâ & ſelectiſſimâ Bibliothecâ comiter exhibuit;ad quem nec tantum hanc opem, ſed etiam ſuæ eruditionis copiam mihi feciſſe fateor. Nec miſſum facio doctum virum Florentium qui in noſtra Academia iuri operam dedit, & hoc ius feliciter illuſtrare pergit. Quanto beneficio deuinctus ſim Ioanni Samblacato ſilere non debeo ſublimis ingenij viro, & quem nihil boni in omni ſcientiarum genere latet; cui quanto magis veteris amicitiæ nexibus adſtrictus ſum, tantò minus in laudes eius excurrere audeo, ne aſſentationis potius vitium incurrere, quam officij redditi gratiam ſoluere videar.

Digitized by Google

# TITVLORVM DECRETALIVM
## Gregorij Noni Elenchus.


Libri Primi Tituli.

*De ſumma Trinitate & fide Catholica*, TIT. I. *pag.* 1.
*Conſtitutionibus*, *Tit.* II. *pag.* 4.
*Reſcriptis*, *Tit.* III. *p.* 8.
*Conſuetudine*, *Tit.* IV. *pag.* 15.
*Poſtulatione Prælatorum*, *Tit.* V. *pag.* 19.
*Electione & electi poteſtate*, *Tit.* VI. *p.* 21.
*Tranſlatione Epiſcopi*, *Tit.* VII. *pag.* 30.
*Auctoritate & vſu pallij*, *Tit.* VIII. *p.* 32.
*Renunciatione*, *Tit.* IX. *pag.* 36.
*Supplenda negligentia Prælatorum*, *Tit.* X. *pag.* 39.
*Temporibus ordinationum & qualitate ordinandorum*, *Tit.* XI. *pag.* 42.
*Scrutinio in ordine faciendo*, *Tit.* XII. *p.* 41.
*Ordinatis ab Epiſcopo qui renunciauit Epiſcopatui*. *Tit.* XIII. *pag.* 47.
*Ætate & qualitate, & ordine præficiendorum*, *Tit.* XIIII. *pag.* 48.
*Sacra vnctione*, *Tit.* XV. *pag.* 54.
*Sacramentis non iterandis*, *Tit.* XVI. *p.* 56.
*Filijs presbyterorum ordinandis vel non*, *Tit.* XVII. *pag.* 58.
*Seruis non ordinandis & eorum manumiſſione*, *Tit.* XVIII. *pag.* 60.
*Obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non*, *Tit.* XIX. *pag.* 63.
*Corpore vitiatis ordinandis vel non*, *Tit.* XX. *pag.* 64.
*Bigamis non ordinandis*, *Tit.* XXI. *pag.* 66.
*Clericis peregrinis*, *Tit.* XXII. *pag.* 67.
*Officio Archidiaconi*, *Tit.* XXIII. *pag.* 70.
*Officio Archipresbyteri*, *Tit.* XXIV. *pag.* 75.
*Officio primicerij*, *Tit.* XXV. *pag.* 76.
*Officio ſacriſtæ*, *Tit.* XXVI. *pag.* 79.
*Officio Cuſtodis*, *Tit.* XXVII. *pag.* 79.
*Officio Vicarij*, *Tit.* XXVIII. *pag.* 80.
*Officio & poteſtate iudicis delegati*, *Tit.* XXIX. *pag.* 82.
*Officio legati*, *Tit.* XXX. *pag.* 84.
*Officio iudicis ordinarij*, *Tit.* XXXI. *p.* 86.
*Officio iudicis*, *Tit.* XXXII. *pag.* 88.
*Maioritate & obedientia*, *Tit.* XXXIII. *pag.* 89.
*Treuga & pace*, *Tit.* XXXIV. *pag.* 92.
*Pactis*, *Tit.* XXXV. *pag.* 94.
*Tranſactionibus*, *Tit.* XXXVI. *pag.* 96.
*Poſtulando*, *Tit.* XXXVII. *pag.* 97.
*Procuratoribus*, *Tit.* XXXVIII. *pag.* 99.
*Syndico*, *Tit.* XXXIX. *pag.* 101.
*His quæ vi metúſve cauſa fiunt*, *Tit.* XXXX. *pag.* 103.
*In integrum reſtitutione*, *Tit.* XXXXI. *p.* 105.
*Alienatione iudicij mutandi cauſa facta*, *Tit.* XXXXII. *pag.* 106.
*Arbitris*, *Tit.* XXXXIII. *pag.* 107.

Libri Secundi.

*De Iudicijs Tit.* I. *pag.* 109.
*Foro competenti*, *Tit.* II. *pag.* 112.
*Libelli oblatione*, *Tit.* III. *pag.* 15.
*Mutuis petitionibus*, *Tit.* IV. *pag.* 117.
*Litis conteſtatione*, *Tit.* V. *pag.* 118.
*Vt lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem: vel ad ſententiam diffinitiuam*, *Tit.* VI. *pag.* 119.
*Iuramento calumniæ*, *Tit.* VII. *pag.* 120.
*Dilationibus*, *Tit.* VIII. *pag.* 122.
*Ferijs*, *Tit.* IX. *pag.* 123.
*Ordine cognitionis*, *Tit.* X. *pag.* 126.
*Plus petitionibus*, *Tit.* XI. *pag.* 127.
*Cauſa poſſeſſionis & proprietatis*, *Tit.* XII. *pag.* 128.
*Reſtitutione ſpoliatorum*, *Tit.* XIII. *pag.* 130.


Digitized by Google

Dolo & contumacia, Tit. XIV. pag. 132.
Eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ, Tit. XV. pag. 133.
Vt lite pendente nihil innouetur, Tit. XVI. pag. 134.
Sequeſtratione poſſeſſionis & fructuum, Tit. XVII. pag. 135.
Confeſſis, Tit. XVIII. pag. 136.
Probationibus, Tit. XIX. pag. 137.
Teſtibus & atteſtationibus, Tit. XX. p. 138.
Teſtibus cogendis vel non, Tit. XXI. p. 141.
Fide inſtrumentorum, Tit. XXII. pag. 143.
Præſumptionibus, Tit. XXIII. pag. 144.
Iureiurando, Tit. XXIV. pag. 147.
Exceptionibus, Tit. XXV. pag. 150.
Præſcriptionibus, Tit. XXVI. pag. 152.
Sententia & re iudicata, Tit. XXVII. p. 157.
Appellationibus recuſationibus & relationibus, Tit. XXVIII. pag. 159.
Clericis peregrinantibus, Tit. XXIX. p. 16[illegible].
Confirmatione vtili vel inutili, Tit. XXX. pag. 165.

Libri Tertij.

De Vita & honeſtate clericorum, Tit. I. pag. 167.
Cohabitatione clerici & mulieris, Tit. II. pag. 17[illegible].
Clericis coniugatis, Tit. III. pag. 174.
Clericis non reſidentibus in eccleſia vel præbenda, Tit. IV. pag. 178.
Præbendis & dignitatibus, Tit. V. pag. 181.
Clerico ægrotante vel debilitato, Tit. VI. 186.
Inſtitutionibus, Tit. VII. pag. 188.
Conceſſione præbendæ Eccleſiæ non vacantis, Tit. VIII. pag. 190.
Ne ſede vacante aliquid innouetur, Tit. IX. pag. 192.
His quæ fiunt à prælato ſine conſenſu capituli, Tit. X. pag. 195.
His quæ fiunt à maiori parte capituli, Tit. XI. pag. 198.
Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur, Tit. XII. pag. 200.
Rebus Eccleſiæ alienandis vel non, Tit. XIII. pag. 202.
Precarijs, Tit. XIV. pag. 204.
Commodato, Tit. XV. pag. 206.
Depoſito, Tit. XVI. pag. 207.
Emptione & venditione, Tit. 17. pag. 208.
Locato & conducto, Tit. XVIII. pag. 210.
Rerum permutatione, Tit. XIX. pag. 213.
Feudis, Tit. XX. pag. 21[illegible].
Pignoribus & alijs cautionibus, Tit. XXI. pag. 218.
Fideiuſſoribus, Tit. XXII. pag. 220.
Solutionibus, Tit. XXIII. pag. 22[illegible].
Donationibus, Tit. XXIV. pag. [illegible].
Peculio clericorum, Tit. XXV. pag. 225.
Teſtamentis & vltimis voluntatibus, Tit. XXVI. pag. 227.
Succeſſionibus ab inteſtato, Tit. XXVII. pag. 230.
Sepulturis, Tit. XXVIII. pag. 231.
Parrochiis & alienis parrochianis, Tit. XXIX. pag. 234.
Decimis primitijs & oblationibus, Tit. XXX. pag. 237.
Regularibus & tranſeuntibus ad religionem, Tit. XXXI. pag. 243.
Conuerſione coniugatorum, Tit. XXXII. 247.
Conuerſione infidelium, Tit. XXXIII. 249.
Voto & voti redemptione. Tit. XXXIV. 250.
Statu monachorum & Canonicorum regularium, Tit. XXXV. pag. [illegible].
[illegible] Tit. XXXVI. pag. 257.
Capellis monachorum & aliorum religioſorum, Tit. XXXVII. pag. 260.
Iure patronatus, Tit. XXXVIII. pag. [illegible].
Cenſibus, exactionibus, & procurationibus. Tit. XXXIX. pag. 269.
Conſecratione Eccleſiæ vel altaris, Tit. XL. pag. 271.
Celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, & diuinis officijs, Tit. XLI. pag. 274.
Baptiſmo & eius effectu, Tit. XLII. p. 279.
Presbytero non Baptizato, Tit. XLIII. 284.
Cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis & aliorum Sacramentorum, Tit. XLIV. pag. 285.
Reliquiis & veneratione ſanctorum, Tit. XLV. pag. 288.

Obſeruatione ieiuniorum, Tit. XLVI. p. 261.
Purificatione poſt partum, Tit. XLVII. 29[illegible].
Eccleſijs ædificandis vel reparandis, Tit. XLVIII. pag. 297.
Immunitate Eccleſiarũ cimeterijs & rerum ad eas pertinentium, Tit. XLVIIII. ;02.
Ne clerici vel monachi ſæcularibus negotijs ſe immiſceant, Tit. L. pag. 305.

Libri Quarti.

De Sponſalib⁹ & matrimoniis, Tit. I. p. 309.
Deſponſatione impuberum, Tit. II. p. 313.
Clandeſtina deſponſatione, Tit. III. p. 316.
Sponſâ duorum, Tit. IV. pag. 3 9.
Conditionibus appoſitis in deſponſatione vel in alijs contractibus, Tit. V. pag. 320.
Qui clerici vel vouentes matrimonium contrahere poſſunt, Tit. VI. pag. 321.
Eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, Tit. VII. pag. 326.
Coniugio leproſorum, Tit. VIII. pag. 328.
Coniugio ſeruorum, Tit. IX. pag. 330
Natis ex libero ventre, Tit. X. pag. 331.
Cognatione ſpirituali, Tit. XI. pag. 333.
Cognatione legali, Tit. XII. pag. 336.
Eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ vel ſponſæ, Tit. XIII. pag. 338.
Cõſanguinitate & affinitate, Tit. XIV. 340.
Frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi, Tit. XV. p. 44[illegible].
Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ, Tit. XVI. p. 348.
Qui filij ſint legitimi, Tit. XVII. p. 349.
Qui matrimonium accuſare poſſunt vel contra illud teſtificari, Tit. XVIII. p. 352.
Diuortiis, Tit. XIX. p. 3 5.
Donationibus inter virum & vxorem & de dote poſt diuortiũ reſtituendi, Tit. XX. 358.
Secundis nuptiis, Tit. XXI. p. 361.

Libri Quinti.

De Accuſationibus inquiſitionibus & denuntiationibus, Tit. I. p. 365.
Calumniatoribus, Tit. II. p. 370.
Simoniâ & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur vel promittatur, Tit. 3. p. 372.
Ne prælati vices ſuas vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant, Tit. IV. p. 375.
Magiſtris & ne aliquid exigatur pro licentia docendi, Tit. V. p. 377.
Iudæis Sarracenis & eorum ſeruis, Tit. 381.
Hæreticis, Tit. VII. p. 384.
Schiſmaticis & ordinatis ab eis, Tit. VIII. p. 387.
Apoſtatis & reiterantibus baptiſma, Tit. IX. p. 389.
His qui filios occiderunt, Tit. X. p. 392.
Infantibus & lãguidis expoſitis, Tit. XI. 393.
Homicidio volũtario, vel caſuali, Ti. XII. 3 5.
Torneamentis, Tit. XIII. p. 399.
Clericis pugnantibus in duello, Tit. XIV. 401.
Sagittariis, Tit. XV. p. 403.
Adulteriis & ſtupro, Tit. XVI. p. 405.
Raptoribus incendiariis & violatoribus Eccleſiarum, Tit. XVIII. p. 413.
Furtis, Tit. XVIII. p. 413.
Vſuris, Tit. XIX. p. 415.
Crimine falſi, Tit. XX. p. 419.
Sortilegiis, Tit. XXI. p. 423.
Colluſione detegendâ, Tit. XXII. p. 425.
Delictis puerorum, Tit. XXIII. p. 426.
Clerico venatatore, Tit. XXIV. p. 427.
Clerico percuſſore, Tit. XXV. p. 429.
Maledicis, Tit. XXVI. p. 431.
Clerico excommunicato depoſito vel interdicto miniſtrante, Tit. XXVII. p. 434.
Clerico non ordinato miniſtrante, Tit. XXVIII. p. 438.
Clerico per ſaltum promoto, Tit. XXIX p. 439.
Eo qui ordinẽ furtiuè ſuſcepit, Tit. XXX. 4 1.
Exceſſibus prælatorum & ſubditorum, Tit. XXXI. p. 442.
Noui operis nunciatione, Tit. XXXII. p. 443.
Priuilegiis & exceſſibus priuilegiatorum, Tit. XXXIII. p. 445.
Purgatione canonicâ, Tit. XXXIV. p. 449.
Purgatione vulgari, Tit. XXXV. p. 451.
Iniuriis & damno dato, Tit. XXXVI p. 453.
Pœnis, Tit. XXXVII, p. 454.
Pœnitentiis & remiſſionibus, Tit. XXXVIII. p. 456.
Sentẽtia excõmunicationis, Tit. XXXIX. 462.
Verborum ſignificatione, Tit. XL.
Regulis iuris, Tit. XLI.

## *Omiſſa, vel errata in Paratitlis.*

IN Prologo ad lect. Pag. 1. lin. penult. *quam*, legendum, *quæ*,
pag. 6. lin. 8. quæ, legendum, *quas*.
pag. 53. lin. 12. in quo, adde, *continebantur*.
pag. 57. lin. 17. poſt hæc verba, *vnam negant*, adde, *non adhibita forma*.
p. 61. lin. 10. vmbone ad, *delenda virgula*.
p. 106. lin. 27. quorum, lege, *quarum*.
p. 123. lin. 1. aliaā, lege, *aliam*.
p. 168. lin. 18. Monachpu llo, lege, *Monachi pullo*.
p. 170. lin. 17. incederem, lege, *incederent*.
p. 171. lin. 12. numero, lege, *munere*.
p. 284. lin. 17. *per fidem enim.* addendum, *tanquam per radicem, initium, & principium.*
ead. lin. 30. à baptizante, adde, *tantùm*.
p. 189. lin. 22. ſpectare, lege, *expectare*.
p. 196. l. 18. concilium, lege, *conſilium*; & alibi ſæpè.
p. 247. l. 6. blifteres, lege, *Blaſtares*.
p. 290. l. 24. braudea, lege, *brandea*.
p. 322. l. 28. pollicere, lege, *polliceri*.
p. 328. l. 26. quæ, lege, *quas*.
p. 352. l. 7. vnum, lege, *verum*.
p. 356. lin. 23. procliui, lege, *procliues*.
p. 362. lin. 20. Mediol. l, dele, *lit. l.*
p. 363. l. 26. priori lege. *prioris*.
p. 396. l. 37. reuſit, lege, *reus ſit*.
p. 397. l. 6. illis, lege, *illi*.
pag. ead. lin. 34. cedum, lege, *cædem*.
p. 407. lin. 10. icrimini, lege, *crimini*.
p. 420. lin. 6. ſed addendum, *ſupra*.
p. 422. l. 24. fr. audand, lege, *fraudandi*.
p. 422. l. 35. γυυαικόδαν, lege, γυυαικόδας.
pag. 457. l. 38. reductas, lege, *redactus*.
p. 461. l. 37. poſt hæc verba, *pœna temporalis*, adde, *niſi iuxta menſuram contritionis*.
p. 463. lin. 22. vel etiam iis, lege, *hi*.
pag. ead. lin. 27. extinguunt, lege, *extingunt*.

Digitized by Google

# PARATITLA
# IN QVINQVE LIBROS DECRETALIVM.
## LIBER PRIMVS.
### De ſumma Trinitate, & Fide Catholica.
### *TITVLVS PRIMVS.*

GREGORIVS Nonus hunc Iuris Canonici Codicem ad exemplum Iuſtinianei compoſitum, à nobiliori parte inchoauit, quæ fidei & religionis Catholicæ ſummam reſpicit, & præſertim à tractatu de Summa Trinitate: cùm ad poſtrema vſque tempora controuerſiæ de ea diu exagitatæ quodammodo ſopitæ, nec tamen omnino extinctæ fuerint. Trinitatis indiuiſa ſubſtantia ὁμοουσία, ijs admodùm ingrata fuit, ad quos Arij venenum peruênit. Hæc peſtis diu graſſata tam in Oriente, quàm in Occidente, cauſa fuit cur antiquum illum glorificationis hymnum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, ſemper in Eccleſia decantari ſolitum, Synodus Nicæna augeri decreuerit hoc verſiculo, *Sicut erat in principio, &c.* quem ſtatim receptum fuiſſe, conſtat ex Vaſionenſi, ſeu Vaſenſi Concilio; vt hoc additamento vetuſtas, ſeu traditio Eccleſiæ demonſtraretur. Cuius origo fluxit ex ipſius Domini verbis, *Euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et in eo fuit obſeruantior ipſa Occidentalis, quòd in fine cuiuſque pſalmi dictum hymnum ſubiunxerit; Orientalis verò poſt completos Pſalmos, & Antiphonas, vt ſcribit Caſſianus *lib.* 1. *cap.* 8. Sicut autem Trinitatis myſterium ſemper ab orthodoxa fide



Digitized by Google

agnitum fuit, ità & nomen; non verò effictum Nicænæ Synodi temporibus, vel potiùs poſt Nicænam Synodum ab Epiſcopis Athanaſio & Euſebio cum alijs multis Epiſcopis Alexandriæ cōgregatis, qui ὁμοούσιόν τε τῷ πατρὶ, καὶ υἱῷ τὸ ἅγιον πνεῦμα ὡμολόγησαν, καὶ τριάδα ὠνόμασαν. Id eſt, *Spiritum ſanctum Patri & Filio conſubſtantialem confeſſi ſunt, & Trinitatem nominarunt*, vt ſcribit Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 11. Quin potiùs vſu quodam generali anteà receptum fuerat, & vulgò vſurpatum, vt conſtat ex Epiſtola Alexandri primi, (quam noſtri ſeculi Nouatores nullo iure ſuſpectam habent) ex Tertulliano *lib. aduerſùs Praxeam*, Cypriano locis pluribus, & Iuſtino Martyre, *in tractatu* περὶ τῆς ἁγίας τριάδος; qui quidem integris ſeculis Synodum ipſam præceſſerunt. Hoc Trinitatis vocabulum cùm omnino Arriani tollere non poſſent; nouum figmentum, & ante ipſam Synodum inauditum mentiebantur, eâdem fraude quâ etiam, *conſubſtantialis*, nomen exoſum habentes, ὁμοιουσίου, id eſt, *ſimilis ſubſtantiæ*, ſubſtituerunt, vt exploderent conſubſtantialitatem, in alia Nicæna ſynodo habitâ ſub Conſtantio, non in eadem Nicæa ciuitate Bithyniæ, ſed in Thracia, vt ſub ciuitatis eodem nomine ignarum vulgus deciperent. Similiter etiam ex vocabulo ὁμουσίου, demptâ vnicâ ſyllabâ, οὐσίου, id eſt ſubſtantialis vocem proferebant, vt ſcribit D. Hilarius, *Tractatu de Synodis*; cùm ſinè dubio ὁμοούσιον ab Eccleſia receptum fuerit, vt ſcribit D. Auguſt. *Tractatu in Joannem: Aduerſùs impietatem Arrianorum, nomen*, ὁμοούσιον, *Patres condiderunt, non rem nouam tali nomine ſignauerunt. Hoc enim vocatur*, ὁμοούσιον, *quod dicitur, Ego & pater vnum ſumus.* Ideò autem ſacroſanctum Trinitatis nomen auerſati ſunt tot hæretici, quòd aut conſubſtantialitatem non probarent, aut vnitatem cum Trinitate pugnare contenderent. Quæ lis cùm increbuiſſet, cauſa fuit Innocentio III. Abbatis Ioachimi libellum condemnandi; cùm enim is non ampliùs vnitatem cum Trinitate contendentem aſſerere auderet, ne in damnatam rursùs hæreſim incideret, Trinitatem nouo commento aggreſſus eſt, fatendo quidem vnitatem non veram & propriam, ſed quaſi collectitiam & ſimilitudinariam, & aſſerendo nullam rem eſſe quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; nec eſſe eſſentiam, nec ſubſtantiam, nec naturam; quamuis Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnam eſſe eſſentiam, vnam ſubſtantiam, vnam naturam concederet: Et ità arguebat Petrum Lombardum, qui dicebat vnam quandam rem eſſe quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & ſunt tres perſonæ, ideóque Trinitatem tantùm eſſe; at ille ex eo quaternitatem inducere Petrum aſſerebat,

Digitized by Google

tres nempe perſonas, & communem eſſentiam quaſi quartam; quam calumniam Innocentius III. *in cap. 2. Concilij Lateran,* eluit. Iſte Ioachim ſimilem, non eandem cum Petri Gnaphei Fullonis, Epiſcopi Antiocheni, hæreſim adſtruebat, qui quaternitatem introducere voluit triſagio in omnibus Eccleſijs decantari ſolito, *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis*, addens, *qui paſſus eſt pro nobis miſerere nobis*: effingebat duos filios, vnum immortalem, alterum mortalem crucifixum; toti Trinitati crucem coadunans & vnam Trinitatis ſubſtantiam aſſerens crucifixam. Contra illum tot celebres Epiſcoporum epiſtolæ leguntur, Acacij Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, Pamphyli, Aſclepiadis, Iuſtini, & ipſius Felicis Papæ tertij, vt patet ex *Epiſtola ad eumdem Petrum*, ſententiam depoſitionis & condemnationis eius continente; contra hunc etiam Concilium Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum ſecundum fuere celebrata. Quocunque igitur modo, ſiue ex Petri Gnaphei, ſiue ipſius Ioachimi dogmate, Trinitatis myſterium, & tota fides Catholica, cuius fundamentum eſt ſanctiſſima Trinitas, deſtruebatur; ideò hic titulus ità conceptus fuit, quia ſinè Trinitate ſalus eſſe non poteſt, imò Trinitas eſt ipſa ſalus, ipſa fides; & hoc nomen *Salus*, Trinitatem deſignare notat D. Auguſt. *in expoſitione Epiſtolæ ad Romanos*: ait enim linguâ Punicâ ſignificari tria, *& Hebræi ſalutem vocant Salom,* vt ſcribit D. Hieronymus, *cap.* 10. *in Matthæum*: quæ ratio maxima fuit, cur in colloquutionibus & epiſtolis familiaribus ſalus ſemper ſoleret apponi inter Chriſtianos, quaſi præcipuum eo tempore veræ fidei, & Chriſtianæ religionis argumentum, quo Catholici ab hæreticis diſcernerentur. Et ob id etiam Synodus Nicæna decreuit, *vt formatæ literæ tribus elementis Græcis, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum deſignantibus ſignarentur,* vt Iuo Carnotenſis ſcribit, *libro de cauſis clericorum.* Eſt porrò aduertenda Ioachimi fraus, qui quidem ſeſe Trinitatis fidei inhærere effingens hanc quaternitatem ex Petri Lombardi doctrina effluxiſſe mentiebatur. Ideò ea quæſtio mota ſub Alexandro III. manſit indefinita vſque ad Innocentium III. vt ſcribit Matthæus Paris in Henrico II. qui addit Abbatem non proprio motu litem hanc excitaſſe, ſed ſuaſu Alexandri III. cui falsò perſuaſum fuerat Petrum contra veram Chriſti humanitatem docere: quæ cauſa fuit cur Archiepiſcopo Senonenſi Synodum Lutetiæ conuocare præceperit, ſed poſtmodùm cognitâ calumniâ Petro illatâ, & detectis Ioachimi erroribus, Innocentius III. Lateranenſe Concilium conuocauit, in quo non ipſe Abbas, ſed ipſius libellus hæreſis damnatus fuit; quem



Digitized by Google

quia Eccleſiæ iudicio ſubmiſit, hæreticus dictus non fuit; illi ſiquidem hæretici non cenſentur, qui ſententiam ſuam pertinaciter non tuentur, ſed cenſuræ ſubijciunt, *Can. dixit Apoſtolus.* 24. *q.* 3. E contrario quilibet prauæ opinionis aſſertor, licèt ab Eccleſia non recedat, hæreticus cenſetur, *Can. Hæreſis. ead.* Fuit hic Abbas vir alioquin clarus, qui monaſterium Florenſe inſtituit, magni & acuti ingenij, qui etiam diuinandi laudem non minimam conſequutus eſt, quaſdam enim præſtigias edidit, quæ Prophetiæ vulgò vocantur; commentaria etiam in quoſdam ſacræ Scripturæ libros quibus vaticinia miſcuit, vt Xiſtus Senenſis in ſua Bibliotheca refert. Non ea verò mens fuit Innocentij III. vt ad hunc libellum confutandum tam ſolenne Concilium indiceret, ſed propter multas alias hæreſes, inter quas fuêre errores Almarici: ille Albigenſium ſectæ adhæſit, vt videre licet in articulis ab eo propoſitis, quos refert Cæſarius *Dialogo quinto, cap.* 2. inter quos fuit ille impius, non aliter Chriſti corpus eſſe in pane altaris, quàm in alio & qualibet alia re; quæ fuit aſſertio Albigenſium, vt patet ex dicto Concilio Lateranenſi. Fuit hic Almaricus Carnotenſis territorij, qui ægrè ferens dogmata ſua improbari morbo occubuit, ac poſt aliquot annos editâ conſtitutione Lateranenſis Concilij, oſſa eius exhumata & combuſta fuerunt publicè, cum ſuis ſequacibus adhuc ſuperſtitibus Lutetiæ, iuſſu Philippi Auguſti Franciæ regis, vt Hiſtorici narrant. Hunc autem titulum Innocentius quartæ compilationi iuſſit præfigi, cùm in tribus prioribus deſideraretur.

## *DE CONSTITVTIONIBVS.*

### Tit. II.

VT in libris Iuris Ciuilis, ità & in his poſt ea quæ ſunt Iuris ſacri de conſtitutionibus & reſcriptis agitur. Eo nomine comprehenduntur in primis Canones Sanctorum Apoſtolorum, ſecundùm numerum præſcriptum in *Can.* 1. 2. 3. 4. *diſt.* 16. & Conciliorum generalium, de quibus *diſt.* 17. Synodorum prouincialium, & priuatarum, *diſt.* 18. Epiſtolæ quoque decretales, *diſt.* 19. & 20. tum decreta, mandata, interlocutiones, ſanctiones, pragmaticæ, reſcripta, priuilegia; quibus plena & integra fides & auctoritas conſtare debet; maximè ſupra leges ciuiles; edicta & conſtitutiones ſecularium Principum, quæ in cauſis Eccleſiaſticis neminem adſtringere debent, *Can. Bene. diſt.* 96. niſi quatenus con-

ſentiunt Canonibus Eccleſiaſticis, & ſacris Scripturis, *can. Non licet, & ſeq. diſt.* 10. Quod ſi veram Conſtitutionis ſignificationem ſpectemus, & iuris Ciuilis veſtigia ſequamur, ſimiliter hoc iure dicemus eam eſſe, quam Summus Pontifex edidit proprio motu & ſpontaneâ voluntate, ἐξ οἰκείας φύσεως, vt loquitur Theoph. *ad titulum de Iure naturali, apud Iuſtinianum:* vel ad preces & ſuggeſtionem aliquorum, vel ob negotia, *l. leges. C. de legibus. l.* 1. *ff. eod.* & in eo tantùm diſtabit Canon, quòd ſit lex quædam primitùs à Domino, vel Apoſtolis edita, vel in Concilijs promulgata: Conſtitutio verò ex emergentibus cauſis & neceſſitatibus originem ſumpſerit, *cap. Canonica. infra, de ſentent. excom.* ſicut apud Iuriſconſultos lex, & conſtitutio: vtraque tamen eandem planè vim habet & auctoritatem, ſiue eam per epiſtolam Pontifex ſtatuerit, *Can. in canonicis. diſt.* 29. ſiue per annotationem, ſiue alio quouis modo; dummodo conſtitutio ſit generalis, & in formam edicti tranſierit. Edicta ſunt leges publicæ, quæ per omnes populos & prouincias iudicum programmatibus diuulgantur; & licèt ortum ex priuatorum cauſis ſumpſerint, tamen *ſimilium cauſarum facta componunt*, vt loquitur *d. l. leges.* Ex quibus omnibus conflati fuerunt varij Codices, tum iuſſu Theodoſij, cùm Iuſtiniani Imperatorum; ſic etiam Codex ille Canonum Eccleſiæ vniuerſæ olim in Concilio Chalcedonenſi probatus fuit, & à Iuſtiniano confirmatus *Nouel.* 131. quâ ſtatuit τάξιν νόμιμον ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας vicem legum habere. Hi Canones ſumpti fuerunt ex diuerſis Concilijs, quæ quidem Concilia eos hauſerant ex ſanctorum Patrum ſcriptis & ſacras regulas vocitabant; quibus poſteà Summorum Pontificum conſtitutiones acceſſerunt; inter quas differentia adhibenda eſt, quòd aliæ ſint generales, aliæ priuatæ. Generales ita dignoſcuntur, tum quòd ſcriptæ ſint, *Can.* 3. *diſt.* 1. tum quòd omnes omnino comprehendant, neminem excipiant, atque in corpus iuris ſint relatæ, *cap.* 1. *hoc tit.* nec ad priuatos ſeparatim pertineant, ex definitione Atteij Capitonis apud Gellium *cap.* 2. *lib.* 10. quamvis pro aliquo priuatim negotio editæ fuerint, dummodò conditoris mens fuerit eas generales facere, *l.* 12. *C. eod.* quæ mens ſinè dubio concipitur ex eo, quòd priuatas illas conſtitutiones in corpus iuris transferri voluit: nec intereſt quo motu Pontifices eas promulgarunt, ſponte, an rogati, precibus, relatione, ſuggeſtione, vel lite motâ, vt de principum conſtitutionibus definitur in *d. l. leges.* A generalibus canonibus vel conſtitutionibus diſtinguuntur priuata decreta, ſiue perſonalia, ſiue realia; quæ tunc demum vim & robur habere poſſunt, ſi à Summo Pontifice



Digitized by Google

fuerint approbata, vel confirmata, etſi contra ius commune, *cap. cùm acceſsiſſent. hoc tit.* Similiter etiam valent ea quæ in Synodis prouincialibus, & conuentibus vniuſcuiuſque diœceſis peculiariter conficiuntur, licèt à Summo Pontificenon approbentur; quia quæ decreuit Synodus prouinciæ rata habentur, dummodò ad priuatam eius vtilitatem pertineant, non verò ad Eccleſiæ vniuerſalis detrimentum; quæ tunc confirmari cenſentur eo ipſo, quòd iure ſtabilita ſunt à Synodis iure congregatis; quæ bis in anno fieri mandat Concilium Tridentinum, vt in his tria potiſſimum conficiantur; delicta ſcilicet & crimina puniantur, mores ad optimam diſciplinam redigantur, lites & controuerſiæ dirimantur. Non idem dicendum de ſtatutis, ſiue inſtitutis (vt elegantiùs loquitur *l. 1. C. Quæ ſit longa conſuetudo*) vnicuique Eccleſiæ proprijs; quæ non poſſunt ſuſtineri niſi Synodi prouincialis, vel diœceſanæ, vel Summi Pontificis autoritate fulciantur, *cap. quoniam. infra. de vita & honeſt. cleric.* ſinè vlla falſi ſuggeſtione *cap. ex parte. hoc tit.* Multò minùs valebunt ea quæ à laïcis fiunt, *cap. Quæ in Eccleſiarum. hoc tit.* etiam ſi Eccleſiæ vtilitatem reſpiciant, *cap. Eccleſia. eod.* quia de rebus ſpiritualibus diſponendi facultatem non habent: niſi initio conſtitutionis & donatiui id fuerit reſeruatum, iure patronatus & fundationis: quia tunc licuit olim, & adhuc licet, ſtatuta quædam edere, dummodò contraria non ſint legibus & canonibus: vt de ijs qui ſeipſos præfectos & ephoros τοὺς ἡγουμένους ſinè Epiſcopi confirmatione conſtituunt, in *Can. 1. Synodi Conſtantinop.* I. & II. vbi Balſamon laudat conſtitutionem Imperatoris, quâ patroni ſtatuta edere poſſunt, vt pro ſuo arbitratu bona adminiſtrentur; dum tamen nihil contra leges & canones agant. Quin etiam ſæpius eis beneficiorũ collatio denegata fuit. Vnde Innocentius III. epiſt. cxciv. lib. III. Regeſt. xv. negat collationem præbendarũ Mathildi Comitiſſæ Flandriæ, quam ipſa ſibi reſeruauerat, & ſuis ſucceſſoribus in fundatione cuiuſdam Eccleſiæ in loco dotalitij ſui, Nepa nuncupati. Idem de alijs Eccleſiarum patronis ſtatuitur, atque etiam de Vniuerſitatibus, quæ ſtatuta condere non poſſunt inconſulto Summo Pontifice, vel Epiſcopo, *cap. ex literis. hoc tit.* quia mixtæ ſunt, auctoritate Pontificiâ ſimul & regiâ conſtitutæ, vt hæc noſtra Toloſana; ideò Pariſienſis Conſeruatorem ſuum & Iudicem Apoſtolicum & Regium nominat, quod confirmatur argumento ſumpto ex *cap. ſuper ſpecula. infra, de priuilegijs.* Oportet autem ea ſtatuta eſſe iuri conformia, vt vel defectum ſuppleant, vel ius iam certum confirment; quæ tamen non ideò minùs ſunt neceſſaria, nec fruſtra edita cenſenda ſunt, quòd ius receptum

Digitized by Google

continẽant; quia, vt Gloſſæ annotant, duplici modo peccantes cogi poſſunt, iure communi, & vigore ſtatuti. Alia ſunt ſtatuta, quæ vocantur Conſtitutiones, quæ non ab ipſis Vniuerſitatibus & Collegijs factæ ſunt, ſed à Summis Pontificibus indultæ: quales ſunt quæ quibuſvis corporibus, ciuitatibus, aut Curijs dari dicuntur in *l. 2. C. eod.* Hæ propriè Pragmaticæ ſanctiones vocantur, *l. vlt. C. de diuerſis reſcript.* ad differentiam reſcriptorum quæ priuatis dantur, *l. 1. C. eod.* & de plano ex mera & vnica Summi Pontificis voluntate in conſiſtorio Sacrorum Procerum, & ſynodis proficiſcuntur; ideóque pragmatica ſacra vocantur, *can. vlt. diſt.* 101. deſumpto ex Canone 12. *Concilij Chalcedonenſis*, ad quem Zonaras, ea προσταγμάτων ἐγγράφων id eſt *edictorum nomine* nuncupat, & *can. 38. Synodi 6.* τοὺς πολιτικοὺς καὶ δημοσίους τύπους. id eſt, *ciuiles ac publicos typos.* Quamuis autem ex priuatorum cauſis ortum habeant, quia tamen in publicam cauſam & vtilitatem conuertuntur, putà Collegiorum, Vniuerſitatum, prouinciarum, Pragmaticæ appellantur *d. l. vlt.* quo fit vt publici iuris ſint conſtitutiones, & ab omnibus agnoſci vt tales debeant, licèt non omnes tangant. Similiter edicta quæ à Principibus feruntur, conſtitutiones & pragmaticæ ſanctiones promiſcuè appellantur, & ad idem ſæpius referuntur: ſiquidem Imperatores non ſemper ijſdem verbis loquuntur licèt eâdem mente; vt cùm dicunt, *Generali lege ſancimus*; aliàs, *hâc edictali lege*, quibus verbis leges, edicta, Sanctiones pragmaticæ, reſcripta, Conſtitutiones deſignantur, *l. 4. C. de domeſticis & protectorib. lib. 12. lege pragmaticâ conſtituendum credidimus.* Id manifeſtum eſt in *cap. 64. lib. 1. legum Sicularum*, vbi Rex Guillelmus, primò ità loquitur; *Hâc edictali lege ſancimus*: & mox addit, *præſentis pragmaticæ ſanctionis edictum.* Idem planè dicendum de reſcriptis, & Conſtitutionibus Pontificum, quæ vel epiſtolas, vel decreta, vel reſcripta, vel pragmaticas appellamus: ſic l. 10. C. *de ſacroſanct. Eccleſ.* mentionem facit cæleſtis oraculi, annotationis, & diuinæ pragmaticæ ſanctionis loquens de Conſtitutione Patriarchæ Conſtantinopolitani: & in hoc noſtro titulo cùm agitur de negotijs Vniuerſitatum, & Capitulorum, reſpondet Summus Pontifex eorum precibus, & definit controuerſias in *cap. cùm omnes, & c. cùm acceſſiſſent, hoc tit.* Quæ Conſtitutiones nihil aliud ſunt, quàm pragmaticæ ſanctiones, *cap. 1. de rerum permut.* iuxta definitionem *d. l. vltima*: & hoc ſingulare habent, vt quamuis ad preces alicuius Curiæ vel Collegij fiant, tamen preces non continent, ſicut priuata reſcripta, vt refert D. Auguſt. *in collatione tertij diei cum Donatiſtis.* Hæ autem pragmaticæ ſanctiones, edicta, conſtitutio-

Digitized by Google

nes, & ſimilia, vel propriâ manu , ſiue annotatione Principis ſubſcribebantur, vel ſacro encauto, vel ſigillo inſigniebantur,vt ex innumeris locis in Codice Theodoſiano patet,& ex *l. 2. C. ex quib. munerib. lib. 10. d. l. 6. C. de diuerſis reſcript.* Annotatio fiebat per ſubſcriptionem cum ſyngrapha breui relatione rei geſtæ, non verò nudà nominis appoſitione, *cap. 6. infra. de fide inſtrum. Nouella 126. cap. 6.* Quò pertinere videtur ſubſcriptio Summi Pontificis vulgò apponi ſolita, *fiat vt petitur*; aliquando verò cùm rei geſtæ narratione, ſiue annotatione adhibebatur ſacrum encautum, vel ſigillum, *l. 4. C. Theod. de extraordinarijs criminibus*, id eſt ſacro oraculo, ſeu præcepto manu principis conſcripto : Luitprandus in Legatione: *Sanctiſſimus Dominus*, ſic corrigendus Luitprandus, ἐνέτειλε, *præceptum conſtituit, quod & ſigillo ſuo ſignauit.* Et ita differentia adhibebatur inter annotationem ſiue ſubſcriptionem, & ſignum ſeu ſigillum; nam ſignare & ſubſcribere maximè differre docemus in noſtris Obſeruationibus, in quibus & de diuerſis Bullarum modis agimus, quando aureæ, argenteæ, plumbeæ, vel cereæ erant; quæ tamen omnes ſæpius aureæ dicebantur, etſi nullo auro illuſtrarentur; ſicuti etiam ſacra oracula dicebantur, & varijs etiam nominibus provt res poſtulabat donabantur , quòd ſummum auxilium adferrent, & è ſacro principis ore proficiſcerentur. Non abſimili ratione Conſtitutiones Summorum Pontificum, licet vulgò ſint plumbeæ, dici debent aureæ Bullæ, cùm per eas loquatur Spiritus ſanctus, & quæ ab illis fiunt , ab ipſius Diui Petri ore pronuntiata exiſtimentur, *can. ſic omnes. diſt.* 19. *Chriſtus enim Rex regum , & Dominus dominantium illis in perſona Petri poteſtatis plenitudinem conceſſit* , vt ait Clementina *2. in fine. de ſententia & re iudicata.*

## *DE RESCRIPTIS.*

### TIT. III.

DE reſcriptis eſt hic titulus, & meritò præcedenti ſubiungitur; nam reſcripta & mandata ſunt ſpecies conſtitutionum. Conſtitutio, ſicut lex, ſui naturâ ius publicum facit, reſcriptum quoque, niſi ſit priuatum , veluti reſponſio ad ſingulares preces & libellos, *l. 1. C. de precibus Imperat. off. l. 1. ff. de appellat.* & licèt ad vnius inſtantiam petitio facta ſit, quia tamen voluit Summus Pontifex, vel Princeps, ius commune facit , & propriè deſinit eſſe reſcriptum , vt conſtitutionis dignitatem aſſumat; ideò iure

Digitized by Google

iure optimo omnia reſcripta, licèt perſonalia, quoties de iure quicquam definiunt generalia ſunt, *cap. 8. 9. & cap. Paſtoralis. hoc tit.* In *capite, cauſam. 18. eod.* quæritur, quomodo hæc clauſula, *quantùm de iure poteritis*, ſit accipienda; Papa reſpondet de iure communi, prout definitum eſt in Concilijs generalibus, vel Patrum decretis, *cap. ex parte. 33. cap. ab excommunicato. 41. hoc tit.* vel ſi ipſe de nouo definiat, quia *ius commune habet in ſcrinio pectoris, cap. vlt. provt Dominus nobis miniſtrauit conſultationibus reſpondere cogimur ſingulorum,* ait Alex. III. in *cap. 1. hoc tit. in prima compilatione.* Nec enim quicquam in literis & reſcriptis Deo contrarium & ſacris canonibus inimicum emittere ſolet, *cap. 4. hoc tit. in 2. compilat.* vt cùm Papa mandat alicui de beneficio aliquo prouideri, ſubintelligitur, ſi dignus exiſtat, *cap. 7. hoc tit.* & hoc reſcriptum propriè vocatur mandatum, licèt & mandatum dici poſſit de quocumque alio negotio; vt in iure ciuili quoties mandatur cognitio ſeu iuriſdictio, *l. 4. ff. de officio eius cui mandat. l. 6. de offic. proconſulis*: ſumitur & pro quocunque onere quod alicui iniungitur, vt *in cap. 1, de procurat.* Denique mandatum, parum, aut nihil differt à reſcripto: *mandatum & reſcriptum dicuntur literæ Principis. l. 5. §. 1. de cenſib.* & paſſim hoc iure, epiſtolæ, edicta, præcepta, iuſſiones, imò & ſigilla ſynecdochicè pro literis ſigillatis in *legibus Longobard. lib. 2. tit. 55. cap. 2.* & Boiorum *cap. 14.* & alibi paſſim; quia literis & reſcriptis frequenter ſigillum, ſeu Bulla Papæ apponitur, *cap. licèt, & ſeq. infrà. de crimine falſi. cap. Nuper. infrà. de fide inſtrum.* ſæpè annotatio vel ſubſcriptio propria ipſius manu adhibetur, vel officialium Cancellariæ Rom. eodem ferè pacto quo Imperatores reſcripta ſuâ propriâ manu, vel Quæſtoris firmata, aut ſigillo ſeu bulla aurea emittebant, vt ſuperiori titulo diximus; quæ quidem maiorem auctoritatem quàm ſimplicia habent; erant ſimplicia ſinè ſigillo, aut annotatione principis, vel Quæſtoris, eo ſcilicet inſcio, quæ magiſtri ſcriniorum, aut memoriales dabant, vt nominatim ſcribit Valentinianus, *Nouella, de homicidio*, cuius verba clarè arguunt ipſum Cuiacium, qui ad *l. fin. C. de petitionib. bonorum ſubl. lib. 10.* ſcribit ſimplicia eſſe quæ ſubnotata à Quæſtore ſolo, vel magiſtro ſcriniorum edebantur; nam è contrario conqueritur Imperator quòd reſcripta illa ſimplicia Quæſtore inſcio darentur; *Cùm reſcripta*, inquit, *huiuſmodi etiam viro illuſtri Quæſtore neſciente procedant.* Vnde ſatìs patet Quæſtoris reſcripta non fuiſſe ſimplicia; quia propter aſſiduas Principum occupationes ad eorum aures vota ſupplicantium non perueniebant, ſed totum iuſtitiæ pondus penès Quæſtorem erat, vt liquet ex *d. Nouella*, quò fiebat vt eo etiam inconſulto magiſter



Digitized by Google

ſcriniorum & memorialis ( qui ſcriniarij in *cap. ad audientiam. infrà. de præſcriptionib.* dicuntur ) ad libellos reſponderent; quod Valentinianus in cauſis grauibus, veluti homicidijs, ægrè tulit; & hoc eſt quod innuit *d. l. vlt.* Vel cùm æternæ memoriæ aliquid mandare vellent, tunc id ad Principem vel Quæſtorem referebant, vt in Chronico Engoliſmenſi fauore Eccleſiæ fieri dicitur: *Quod præceptum*, inquit, *Bartholomæus Cancellarius eius ſcripſit, & ipſe Dominus Rex Carolus manu ſua, & de annulo firmauit.* Talia igitur reſcripta licèt priuata, ius publicum faciunt, & generalia non immeritò dicimus, cùm diſtinguimus ab ijs quæ merè perſonalia ſunt; quæ quidem canonis aut conſtitutionis robur non habent, licèt in corpore iuris inſerta; quia non ea fuit Summi Pontificis mens, nec quæſtio propoſita tam ius, quàm factum reſpicit; ità ſunt reſcripta gratiæ, & mandata de prouidendo, *cap. conſtitutus*, *cap. mandatum. hoc tit.* & priuilegia, de quibus infrà. Inde emergit vulgaris reſcriptorum diuiſio, vt alia ſint iuſta ſiue iuſtitiæ, alia perſonalia ſiue gratiæ, *cap. gratia. hoc tit. in 6.* hæc ex mera Summi Pontificis liberalitate & beneficio, illa ex iuris ordine procedunt; hæc annalia, illa perpetua, iure ciuili, *l. 2. C. hoc tit.* & in heredes tranſeunt, *l. 2. & vlt. C. Theod. eod.* Iure verò noſtro annalia, *cap. ex parte, & cap. plerumq. hoc tit.* ſi intelligantur ſecundùm cõmunem Interpretum ſententiam; quum re verâ ex his non colligatur mentem Pontificum fuiſſe ea efficere annalia, niſi eo caſu, quo antequàm primum reſcriptum præſentatum fuerit, aliud fuerit impetratum; nam ſi tunc annus exceſſerit, primum inutile eſt: inde tamen effectum eſt, & moribus receptum, vt omnia reſcripta iuſtitiæ fuerint annalia, contempto hac in parte iuris ciuilis ordine; & cum hoc temperamento, vt annus computetur à die quo quis dolo, vel negligentiâ non vtitur. Perſonalia verò reſcripta perpetua eſſe vulgò exiſtimantur, ex *cap. decet. de reg. iuris in 6.* licèt iure ciuili annalia, aut ſaltem temporalia dicantur, *arg. l. 2. C. hoc tit.* in qua Claudius Imperator reſpondet, *ea quæ ad ius referuntur eſſe perpetua*, quaſi dicat reliqua eſſe temporaria: quia Imperatores olim beneficia perſonalia initio ſui imperij confirmare vel extinguere ſolitos fuiſſe certum eſt, *l. 6. ff. de excuſat. tuto. & l. 14. C. Theod. de paganis.* id conſtat ex Suetonio, Plinio, & alijs; tùm etiam quia ad heredes non tranſeunt, *l. priuilegia. de reg. iur.* tum quia diem & Conſulem requirunt, nec aliter valent, *l. 4. C. eod.* quod ideò requiritur vt tempus computari poſſit, intrà quod inſinuanda, & alleganda ſunt, *d. l. 2.* quæ omnia coniecturam faciunt perſonalia eſſe temporalia, licèt non dilucidè conſtet: nam & difficilè id probari poſſet, ſiue hoc iure, ſiue ciuili. Et in

Digitized by Google

eo contendunt omnes Iuriſconſulti, & ſeſe confundunt miſcentes tempora quibus dantur reſcripta, cum ijs quæ ad inſinuationem & allegationem requiruntur; quæ tamen valde ſunt diſtinguenda. Tempora verò quibus durant reſcripta iuſtitiæ, licèt non exhibita procul dubio perennia ſunt, & ideò tranſeunt in heredes. *d.l.2. & vlt. C. Theod. hoc tit.* hoc iure annalia ſunt, *d. cap. plerumque.* Perſonalia intrà quod tempus ſint inſinuanda nec vllo iure definitur, niſi ex ſupradicta coniectura. Exhibita perpetua eſſe dicendum eſt, ex *d. cap. decet*, ſcilicet ea quæ poſt litem conteſtatam annum euaſerunt, quæ vſque ad triennium durant. *l. properandum. C. de iudicijs*: niſi dolo malo factum eſſet vt triennium effluerct, ſic enim debet intelligi *caput. Venerabilis. infra, de iudicijs.* Sed cur potiùs perſonalia reſcripta aliquo tempore concludi meruerint, ratio eſt, quia odium ſecum trahunt, & pugnant cum iure communi: Harmenop. *lib. 1. tit. 1.* ἐρρώσθω παράνομος ἀντιγραφὴ βασιλέως: id eſt, *ratum habeatur quod præter leges reſcriptum eſt principis.* Quæ cauſa fuit cur Opilius Macrinus in animo habuerit omnia reſcripta tollere, vt iure, non reſcriptis ageretur, apud Capitolinum, quòd gratiâ & fauore ſæpiùs concederentur, vt innuit *cap. 4. in 3. compil.* Aliam differentiam ponit ius ciuile, inter reſcripta iuſtitiæ ſiue generalia, & gratiæ ſiue perſonalia; quòd illa valeant etſi neque dies, neque Conſul fuerit adiectus; hæc verò minimè. *l. 4. C. eod.* quod ità ſumendum eſt, leges olim & conſtitutiones generales ſiue priuatas ſinè die & Conſule auctoritatem habuiſſe, vt teſtatur D. Auguſt. *collat. diei 3. cum Donatiſtis*: quod non placuit Conſtantino Imperatori qui ius illud abrogauit, & vetuit, ne deinceps ſinè die, & Conſule proferrentur in *l. 1. C. Theod. de Conſtitutionibus.* Hlotarius Imper. *in legib. Longobar. tit. 38. In finibus Tuſciæ quæ ſunt abſque menſe & die menſis, nullum habeant vigorem.* quod Iuſtinianus tamen non probauit; quum enim multas conſtitutiones, edicta, & reſcripta optima, quamuis ſinè die, & Conſule in Codicem ſuum referre cuperet, eis plenam auctoritatem nominatim tribuere voluit, *Conſtitutione vnicâ, de nouo Codice faciendo*: ideò Tribonianus, cui per eandem conſtitutionem eadem colligere, iiſque adijcere, imò & eorum verba mutare conceſſerat, dictæ legis primæ verba immutauit, & horum verborum loco, *ſi qua poſthàc edicta, ſiue conſtitutiones*, appoſuit, *Si qua beneficia perſonalia*, vt ſcilicet nouum ius ſtatueret, & reſcripta tantùm perſonalia ob diei & Conſulum defectum expungeret in *l. 4. C. hoc tit.* quam Gratianus iuris huius conſortem fecit in *can. dicenti. 25. q. 2.* Sed Summi Pontifices eam legitimam non agnouerunt; quum moris eſſet frequentioris in Eccleſia neque diem, neque



Digitized by Google

Conſulem decretis & epiſtolis adijcere: quæ cauſa fuit cur in accuſatione Cæciliani Epiſcopi Carthaginienſis Cirtenſe Concilium falſi argueretur teſte eodem D. Auguſt. *dicto loco, cap.* 17. *Vnum*, inquit, *quia contra Eccleſiaſticam conſuetudinem ipſum Cirtenſe Concilium diem & Conſulem haberet.* Et adducebatur Nicænum Concilium in quo cùm ſymbolum fidei ſcriberetur, nulla temporis nota appoſita fuit quod erat neceſſarium: Nec ideò minùs decreta & conſtitutiones valuiſſe ſinè ſubſcriptione, quæ tamen addita procul dubio fidem augebat, vt factũ eſt in Synodo Romana ſub Iulio primo: vnde Athanaſius, *lib. de Synodo Arimmenſi in negotio Paſchatis*, diem & Conſulem adiectos fuiſſe dicit, licèt in dicta Nicæna ſynodo omiſſos. Ex quibus & alijs quamplurimis ſynodis, epiſtolis, & decretis ſiue fidei, ſiue alterius cuiuſcunque negotij ſatis conſtat certam conſuetudinem non fuiſſe; licèt frequentiùs ſubſcriptio adhiberetur; fidem faciunt primorum Pontificum epiſtolæ, & decreta Leonis magni, & omnium quotquot fuerunt vſque ad Pelagium, & ad Gregorium Magnum, quos primùm, reiectis Conſulum notis, menſem, & indictionem adſcripſiſſe videmus; quod tamen alij poſteà non fecerunt, Nicolaus nempe primus qui Gregorium ſequutus eſt, Ioannes octauus, Gregorius ſeptimus, Alexander tertius, Innocentius tertius, & ceteri qui longas & multiplices epiſtolas Decretales ediderunt. Sed & loco indictionis, annus Pontificatus poni cœpit, vt videre eſt in epiſtolis Innocentij tertij. Aliquando nomen Imperatoris appoſitum fuit, ſicut fecit Zacharias. Vt vt ſit non dubitem diem & annum eſſe ſcribendùm, quomodò enim fides adhiberetur, & annus quo durant reſcripta computaretur in *d. cap. plerunque*? Quando reſcriptis ſubſcribi cœperit annus Chriſti, V. *Obſeruat. lib.* 3. Eſt etiã alius defectus qui nullius momenti reſcripta efficit, quoties dolo aut ſupinâ negligentiâ veritas reticetur, *cap. 3. hoc tit.* ideò Anaſtaſius Imperator in *l. vlt. C. hoc tit.* in omnibus reſcriptis & pragmaticis ſanctionibus hanc clauſulam exprimi voluit, *ſi preces veritate nitantur, l. interpoſitas. C. de tranſact.* quam noſtri Reges in Gallia obſeruant, & in ſuis libris ac diplomatibus adhibent. Eam tamen omiſſam obeſſe noluit Alexander III. ſed ſubaudiendam eſſe ſemper, reſpondit in *cap. 2. hoc tit.* licèt eam crebrò apponant Summi Pontifices, vt in *cap. ex parte; ſi ita conſtiterit. hoc tit.* quæ verba idem ſonant *l. 2. C. de reuocand. donat. cap. Conſtitutus. hoc tit.* Ità fit vt hæ clauſulæ ſint generales & omnia quæ propoſita in libellis fuerunt liquidò conſtare velint, vt hæc, *ſi ita eſſet, cap. olim, cap. dilectus, cap. Rodulphus. cap. ſignificauit, hoc tit.* ſimiliter conditio iuris ſemper eſt intelligenda, quæ, licèt non appoſita ſer-

uari debet, qualis eſt illa, *Quantùm de iure permittitur, cap.* 1. *de appellat. in* 6. *cap. Cum adeò.hoc tit. ſi dignus exiſteret, cap. cauſam qua. inf. de elect.* ſemper ordo iuris ſeruandus eſt, niſi neceſſitas aliud ſuadeat, *cap. in cauſis.infra, de ſentent. & re iud.* ſic etiam iniqua conditio è contrario contemnenda eſt, & reijcienda, *cap. Quintauallis. de iureiur.* Quæ omnia ſunt admittenda in reſcriptis iuſtitiæ, non in merè perſonalibus, ſeu priuilegijs, quæ ad alias perſonas extendi non debent, quàm quæ nominatim deſignatæ ſunt, *cap. cùm olim. & cap.* 40. *de officio iud. deleg.* licèt iure ciuili valerent & prodeſſent heredibus, & in heredes eorum qui reſcripto vſi non eſſent, *l.* 2. *& vlt. C. Theod. hoc tit.* quia oblatio precum, & reſponſio Principis pro litis conteſtatione habebatur, *l. dubium. eod. & l.* 1. *C. quando libellus principi datus.* At non ità hoc iure, quo lis conteſtata non præſumitur ex ſola reſcripti conceſſione; quod apertè demonſtrat Alexander III. *in cap. Relatum. infra de offic. & poteſt. iud.* qui litem conteſtatam definit prout ordo iuris expoſtulat *titulo de litis conteſtat. Si lis fuerit per conqueſtionem & reſponſionem partium conteſtata.* Vt eſt in integra decretali, in Concilio Lateranenſi, parte 7. quod & in dubium non reuocauit Vrbanus III. *in cap. graue. eod. tit. de offic. iud.* qui citatione factâ litem conteſtatam fore dicit. Nec obſtare poteſt *caput, Quia. de iudicijs*, quo reſcriptum obtentum contra eum qui vi deiecit valere præcipit ſummus Pontifex contra ſucceſſorem; id enim eſt ius ſingulare in odium eius, qui in vitium & malam fidem defuncti ſucceſſit, qualis eſt violentus poſſeſſor, contra quem interdictum vnde vi, licèt totum perſonale; hoc iure fit mixtum, rem nempe perſequitur, & in ſucceſſorem tranſit, *cap. ſæpe. inf. de reſtitut. ſpoliat. cap.* 1. *de alienat. iudicij mut. cap. Aduerſus. de immunitat. Eccleſ.* Hanc diſtinctionem pro regula canonica obſeruandam eſſe docet Gloſſa, quam ſequitur Panormitanus, quemadmodum quoties reſcriptum ſucceſſorum commodum reſpicit, vel ratione dignitatis, aut officij, vel quia Eccleſiæ intereſt; tunc enim in ſucceſſorem tranſit, *cap. dilecti. & cap. ſignificaſti. infra, de foro competent.* quæ eſt ratio *capitis, ſignificauit. hoc tit.* in quo pecunia mutuò accepta fuerat ab Epiſcopo pro Eccleſiæ negotijs, ideò eius heres à creditoribus conueniri non debet. Ex quibus omnibus regula generalis elicienda eſt, vt ſemper re integrâ reſcriptum longiùs non extendatur: *re integrâ*, id eſt ante citationem factam, vt Gloſſa notat ad *caput, vt debitus. infra, de appellat.* dummodo reſcriptum ſit de re non tranſmiſſibili, vt loquuntur Interpretes, quæ non conueniat heredi, ſed defuncto tantùm, vt eſt fori priuilegium, *cap. Clericum, & cap. cùm ſit. de foro compet.* vt eſt me-



Digitized by Google

ritum, vel crimen quod non egreditur perſonam: ſimilia exempla opportunè refert Gloſſa, & Dinus in *cap. is cui. & cap. quod alteri, de reg. iur. in* 6. ſemper enim in cuius gratiam reſcriptum conceptum fuerit magis inſpici debet, quàm ad quem dirigatur; nam licèt ad vnum dirigatur, tamen ad plures alios pertinet, ſi in eo contineantur, *l.* 1. C. *hoc tit.* Debet etiam perſpici à quo proficiſcatur, vt debitus honos reddatur; nam literæ, epiſtolæ, & reſcripta ſummorum Pontificum cum honore & reuerentia excipienda & adimplenda ſunt, *cap.* 5. *hoc tit. Decretales epiſtolas quas Beatiſsimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Roma pro diuerſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter eſſe recipiendas,* inquit Gelaſius I. in concilio Romano. Contemptus verò grauiter puniri ſolebat amiſſione bonorum, & verberum caſtigatione *in cap.* 3. *lib.* 4. *Capitularium, & tit.* 7. *cap.* 1. *legum Longobard.* Hunc honorem frequenter oſculo decerni notum eſt; nam literæ & epiſtolæ principum pro ſalutatione & reuerentia labris admouebantur, vt ex Paulo Diacono *Obſeruat.* 8. *lib.* 1. *adnotauimus.* Sic & amicorum literæ oſculo in modum adorationis excipiebantur olim, & primitùs in Eccleſia ex more cōmuni, vt ſcribit Theophilus Alex. in *epiſtolis ſuis Paſchalibus*; quæ literæ dicebantur priuatæ apud D. Auguſt. *epiſt.* 162. ad differentiam earum quæ Pacificæ, Confeſſoriæ, Communicatoriæ, Commendatitiæ, Decretales, Paſtorales, Catholicæ, Apoſtolicæ, Dimiſſoriæ, Circulares, Synodicæ dicuntur. *diſt.* 71. *&* 72. *Can.* 11. *concilij Chalced. can.* 7. *Synodi Antiochenæ*; quæ à ſummo Pontifice Epiſcopis & cęteris prælatis dabantur; ſicut Clericæ quæ à Clero ſede vacante apud Cyprianum *epiſt.* 4. Sunt & alia reſcripta, ſeu literæ frequentes in hoc iure, quæ pro ratione cauſarum, & qualitate diuerſam ſortiuntur denominationem; Monitoriæ in *veteribus Gloſſ.* ὑπομνηστικὰ. *Nouella* 138. θεῖα κομμονιτώρια apud Caſſiodorum *lib.* 7. *epiſt.* 27. dicuntur etiam Suaſoriæ, Rogatoriæ, Exhortatoriæ, Accenſoriæ quales Regi Anglorum Eduuino, & Correctorias genti Scotorum miſiſſe Honoriū III. ſcribit Henricus Huntidonenſis, *lib.* 3. *Hiſtoriarum*, preces ab Innocentio III. *epiſt.* 213. *lib.* 1. *& epiſt.* 253. *lib.* 2. *Regiſtri*: tum quia ſummus Pontifex primum verbis mitioribus vtitur; cùm quòd prima mandata admonitionem potiùs, quàm iuſſum præferant. Sequuntur deinde Præceptoriæ, quæ ſtrictiùs obligant, Græcis προστακτικαὶ, quibus mandatur aliquid fieri, *cap. dilectus.* 27. *infra. de præbend.* ad exemplum præceptorum regiorum de quibus toties in *veteribus formulis, & in legibus Salicis, tit.* 5. *& in* Capitula*ribus.* Quæ ſanè præcepta, ſeu præceptoriæ literæ, ſicut monitoriæ magis ex tenore & materia cauſarum, quàm ex verbis ipſis dignoſ-

Digitized by Google

cuntur, *can. dudum* 18. *q.* 2. in quo licèt hortatoriam ſcripſiſſe videatur Gregorius, quia tamen mens imperantis agnoſcitur, præceptoriam eſſe notat Gloſſa, quemadmodum in *l.* 1. *C. communia de legat. volo, iubeo*, rogandi ſignificatum habent, & è contrario etiam *rogo, hortor*, ſumuntur pro, *volo, impero.* Hæ autem literæ non omnino & præcisè obligant: ideò adiectum eſt tertium genus nempe executoriarum, per quas executores deputantur, *cap. conſtitutus.* 19. *hoc tit.* Et hic ordo ſolet obſeruari, vt monitoriæ aut præceptoriæ præcedant, quamuis & executoriæ ſolæ aliquando emittantur, *cap. Capitulum. hoc tit.* rarò & ſpeciali gratiâ, vt docet Gloſſa *in cap. ex inſinuatione. hoc tit.* Quando verò monitoriæ & præceptoriæ præceſſerunt, earum mentio in executorijs fieri debet, alioquin hæ nullius ſunt momenti, *d. cap. ſuper literis. hoc tit.* Regulariter trium literarum ordo ſeruatur, nec temerè refragari licet. Quòd ſi hi ad quos diriguntur non obtemperauerint, vt in mandato de prouidendo, ſi beneficium alteri contulerint, valet collatio, niſi clauſula irritans fuerit appoſita, *cap. ſi ſoli. de conceſſ. præb. ſi quid à te fuerit ordinatum decernimus non tenere*, inquit Innocentius III. *epiſt.* 5. *lib.* 2. vel executor datus ante rem geſtam inhibuerit, *cap. tibi qua. hoc tit. in* 6. & executioni reſcriptum mandauerit, vt potè aliquem inueſtiendo, & ſtallum in choro aſſignando apud eundem Innocentium, *epiſt.* 213. *lib.* 1.

## *DE CONSVETVDINE,*

### TIT. IV.

ACTVM eſt ſuprà de Conſtitutionibus & ſtatutis Eccleſiarum, nunc de Cõſuetudine, & ità bis eadem materia excuti videtur: nam quid aliud ſunt ſtatuta, ſiue inſtituta Eccleſiarum quàm cõſuetudines? an in eo tantùm differẽtia quòd ſtatuta ſint ius ſcriptum, cõſuetudines ius non ſcriptum, quod cleri & populi vſus longo tẽpore comprobauit. *§. ſinè ſcripto. Inſt. de iure naturali?* minimè. Nam & cõſuetudo nomen eſt generale, quod tam ius ſcriptum, quàm non ſcriptum complectitur, *can. conſuetudo, diſt.* 1. ità vt promiſcuè ſtatuta, & Conſtitutiones appellentur conſuetudines, *cap. cùm dilectus. & ſeq. hoc tit.* Ergo conſuetudines à iure ſcripto non differunt, contra ſententiam D. Baſilij in *can. conſuetudinis. diſt.* 11. qui conſuetudines vocat quæ ſcriptæ non ſunt, ſed vel traditione apoſtolicâ, ſimplici ritu, obſeruantiâ, & ſilentio σιωπῆ roborantur. Hanc differen-

Digitized by Google

tiam vt apertè dignoſcamus, diuiſionem accipere debemus ex iure ciuili inter ius ſcriptum & non ſcriptum, quam ſequutus eſt D. Auguſt. in *can. Catholica. ead. diſt.* vt quicquid in Eccleſia Catholica tenetur, aut Scripturarum auctoritas ſit, aut traditio vniuerſalis; quicquid ſacris Scripturis definitum ſit, dicatur ius ſcriptum; quod verò longo vſu, & generali conſenſu receptum, ius non ſcriptum, & conſuetudo appelletur. Traditiones enim licèt hodie ſcriptæ reperiantur, maximè quæ ad fidem pertinent, multò antè receptæ fuerant vſu ſolo, & longo annorum decurſu, donec ſcriptis mandatæ ſunt. Et hęc eſt prima iuris publici diuiſio, in ius ſcriptum quod ſacris Scripturis continetur, & non ſcriptum quod traditionibus, maiorum inſtitutis, & moribus per totam Eccleſiam Catholicam diffuſum eſt. Altera diuiſio eſt iuris priuati, in ius quoque ſcriptum, quo vnaquęque regio ſibi conſtitutiones & ſtatuta ſcriptis inſeri mandauit; vel non ſcriptum ex ſolo vſu ſinè ſcriptura, vt docet D. Auguſt. *can. in his, & ſequentibus, diſt.* 11. quod ex Platone deſumpſit, qui *lib. 7. de legibus* ciuitatem colligari, & conſiſtere tradit ex his omnibus quæ leges, vel conſuetudines, vel inſtituta appellantur, *ὅσα νόμους, ἢ ἔθη, ἢ ἐπιτηδεύματα καλεῖ.* Et hæ priuatæ leges, reſpectu iuris communis & publici, dicuntur conſuetudines & inſtituta, ſiue, vt vulgus loquitur, ſtatuta. Sic videmus in Gallia leges Salicas vocari conſuetudines, quæ tamen ſcriptæ ſunt & legum nomen accipiunt, *cap. 12. formularum Marculphi.* Friſiones, Ripuarij, Saxones, Longobardi, & aliæ pleræque nationes patrios mores aſſeruarunt, eóſque publicis monumentis & diptychis mandarunt, quos leges ſimul & conſuetudines nuncuparunt. Similiter mores vniuſcuiuſque Eccleſiæ licèt ſcriptos, & Synodos Prouinciales, conſuetudines vocamus, ſi ius vniuerſum ſummorum Patrum, & Conciliorum generalium decreta & canones ſpectemus, *d. Can. Catholica. Priuatis,* inquit *conſtitutionibus & proprijs informationibus vnaquæque pro locorum varietate provt cuique viſum eſt ſubſiſtit & regitur.* Nec tamen huiuſmodi ſtatuta, & conſuetudines vllo pacto iuris vniuerſi & Eccleſiæ orthodoxæ deſtruunt auctoritatem; dummodò in his verſentur quæ fidei non contradicunt, licèt cæremonias, ritus, dignitates, ac ordinem viuendi peculiarem habeant, *can. Nos conſuetudinem. diſt.* 12. verbi gratiâ in *cap. cùm olim. hoc tit.* Præcentor in quibuſdam Eccleſijs Anglicanis dignitatem habet, in alijs perſonatum, in alijs nec dignitatem nec perſonatum, ſed ſimplex officium; id non pugnat cum ſacris canonibus: difficiliùs ferri poſſet vt Archidiaconus dignitatem non haberet, quæ & ſuâpte naturâ debetur. Aliquando etſi fidei nullum ſit periculum

periculum, tamen ſi de ſplendore & dignitate totius Eccleſiæ agatur, conſuetudines vim nullam habent; veluti iure communi clericus coram Eccleſiaſtico iudice conueniri debet, contraria conſuetudo nullius erit momenti, *cap.* 8. *infra, de iudicijs.* Ità etiam efficere non poteſt conſuetudo, vt clericus reſeruata Ordini Epiſcopali officia exercere poſſit, *cap. Quanto.eod.* vel electus adminiſtrare, non habitâ priùs confirmatione, *cap.7. hoc. tit.* Denique non eſt tanta conſuetudinis auctoritas vt rationem ſimul & legem vincat, *l. 2. C. hoc tit.* quia vt rectè dixit Imperator, *plerumque ratio pugnat cum lege*, vbi vtrumque ineſſe debet; ideóque legem ſinè ratione ſi quæ ſit vincit conſuetudo, cui veritas & ratio ſuffragantur, *can. fruſtra, & ſequenti. diſt. 8. can. conſuetudo diſt. 12.* quæ tunc derogat iuri ſcripto, cùm & neceſſitas & ratio fortior reperitur. *l. 1. C. eod.* vt in *cap. dilecti. infra, de arbitris.* fœminæ illuſtres & præcellentes in Gallia in ſubditos iuriſdictionem habent, & arbitrium ſuſcipere poſſunt, contra iuris auctoritatem in *l. fœminæ. ff. de regul. iuris. can. infamis.* 3. *q.* 7. & *can. mulierem.* 33. *q.* 5. Et ex aduerſo per conſuetudinem ab ordinaria iuriſdictione eximuntur qui ſeruitio capitali deputati ſunt, *cap. cum contingat. infra, de foro compet.* Sic canonica portio æſtimatur in ſepulturis, *cap. de vxore. & cap. certificari. infra. de ſepult.* idem in decimis, *cap. ad Apoſtolicæ. infra. de decimis.* in electionibus, *cap. cùm eſſes. infra. de teſtament.* Denique in omnibus caſibus quibus ius publicum, vel honor, vel auctoritas Eccleſiæ non læditur, tunc conſuetudo fortior eſt lege, & naturam imitatur, τῇ φύσει ἔοικεν, ait Philoſophus *lib. 7. de moribus*, iuxta dictum illud,

*Multos quod partum eſt meditando permanet annos,*
*Atque in naturam tandem conuertitur vſus.*

Imò laudabilior eſt ſæpius conſuetudo quàm lex; quippe lex eſt ius coactum, conſuetudo voluntarium, δίκαιον ἑκούσιον; illa malorum, hæc bonorum; illa ἐν σανίσιν, ἢ στήλαις, id eſt in tabulis, ac columnis: hæc ἐν ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς, id eſt in noſtris animis cuſtodiuntur, vt eleganter dixit Dio Chryſoſtomus Oratione περὶ ἔθους. Nec tamen inferre debemus ex eo quòd rationem conſuetudinis præualere dicit Imperator *in d. l.* 1. quòd lex aliqua ſinè ratione lata fuerit, ſed quòd maior potiórque fuerit conſuetudinis, quàm legis ratio, quæ minor habenda eſt reſpectu loci, temporis, aut perſonarum, *can. ſit ſancta. diſt.* 12. exemplum eſt in *can. aliter. diſt.* 31. Inde fit vt *conſuetudo ſit vera rationis, ſiue legis interpres*, vt ait Tertul. *lib. de Corona militis. l.* 38. *hoc tit.* & ita ſuperet legem, imò & deſtruat, abroget, emendet, damnet; quò factum eſt in vtroque iure, vt innumeræ leges & conſtitutiones olim obſerua-



Digitized by Google

tæ contemptæ fuerint; ſic Draconis, Solonis,& Cliſtenis leges abrogatas fuiſſe ſcribit Libanius in *Apologia Socratis.* Sæpius tamen ac frequentiùs tunc demum vim tantam habet conſuetudo, cùm lex deficit, cùm non omnia quæ in controuerſiam venire poſſunt,legibus definita ſint, quarum defectum ſupplet conſuetudo, *l.* 3. *§. vſu. ff. de teſtib. l. 3. C. hoc tit. l. 1. de vſur.* quemadmodum etiam cùm lex & conſuetudo deficiunt in cauſis de nouo emergentibus, id eſſe cuſtodiendum quod proximum & conſequens eſt, docet Iulianus in *l. de quibus. de legibus.* Fabius *declamatione* 331. *ſi quid vltione dignũ non habet lex, manifeſtum iudicium proximum ſequi debere*, ad vicinorum leges recurrendum eſt, *cap. ſuper eo. infra. de cenſib.* maximè in rebus Eccleſiaſticis regula ſumi debet à metropolitana Eccleſia. *cap. cùm Eccleſia Vulterana. infrà de electione. cap. ſuper eo. de cognat. ſpirit.* niſi de his agatur quæ fidem, vel vniformem Eccleſiæ ſtatum reſpiciunt, tunc enim Romana conſuetudo ſeruanda eſt, *can. de his. diſt.* 12. veluti in ſacramentis, quæ adminiſtrantur provt Romana Eccleſia prædicat, & obſeruat, id eſt imperat,& ſolet, *cap. ad abolendam. infra de hæreticis.* Vt autem conſuetudo vim & auctoritatem habere poſſit, tria potiſſimùm ſunt conſideranda, vſus longæuus, ac tacitus populi conſenſus, temporis longitudo τῦ χρόνυ πλῆθος, *d. l. de quibus, cap. cùm conſuetudinis. hoc tit.* & antiqua traditio, *can. decreuimus.* 10. *q.* 1. cuius non exſtat memoria; non quidem decem annorum vt iuris ciuilis Interpretes voluerunt, ſed ad minus triginta vel quadraginta annorum, iuxta *l.* 2. *C. de præſcript. trigint. vel quadrag. annorum. cap. Abbate. infrà de verb. ſignif.* Præterea quantumuis ſit longæua & diuturna nullius eſt momenti, maximè ſi vitium trahat, *cap. vlt. infrà. de præſcript. cap. vlt. hoc tit.* debet enim eſſe vtilis & laudabilis quæ bona Eccleſiæ adferat: ſi ratio deſit, tunc potiùs erit corruptela, quæ nullo vſu & curſu temporis ſuſtineri poterit, *can. mala. diſt.* 8. nec vnquam peruerſa conſuetudo defendi poterit, niſi grauius malum timeatur, *can. denique. diſt.* 4. nec eſt bona ratio quæ adduci ſolet, ità à maioribus fuiſſe conſtitutũ, quâ reſponſione ſeſe tueri ſolebãt Bœotij, nec ad aliam rationem reddendam cogi poſſe contendebant, vt ſcribit Agatharcides in *Biblioth. Photij.* Poſtremò deſideratur vt ſit probata contradicto iudicio, id eſt cauſa cognita per ſententiam iudicis, *d. cap. Abbate. & l. conſuetudine. ff. eod.* & his modis dicetur vera & iuſta conſuetudo, non corruptela. Pręter conſuetudinem aliquid minùs adiunxerunt Gręci ἀχρησίαν, id eſt deſuetudinem, quam tamen nihil aliud eſſe quam conſuetudinem contra eos contendit Cuiacius, de quo quid ſentiam peculiari Obſeruatione ſcripſi.

Digitized by Google

## DE POSTVLATIONE PRÆLATORVM, TIT. V.

AD miniſtros Eccleſiarum ſeſe transfert Gregorius,de quibus agendum vtpotè de auctoribus conſtitutionum, & legum eccleſiaſticarum; quorum quidem nomine non tantùm Epiſcopos, ſed omnes Pręlatos cuiuſcunque generis ſint contineri dubium non eſt, *can.ſi in plebibus.63. diſt.* etſi in hoc titulo agatur tantùm de poſtulatione Pręlatorum, id eſt Epiſcoporum;nomine enim Prælati quoſcunque alios qui vel auctoritatem ſummam, vel iuriſdictionem quamlibet, vel adminiſtrationem habent contineri dicemus *infrà tit.de exceſsib. Prælat.* Iam verò quia maximè hic titulus ad poſtulationem Prælatorum pertinet,de ea agendum. Poſtulatio eſt προσαίτησις, ſiue αἴτησις, ſupplicatio, ſiue petitio concors eius qui regulariter eligi non poteſt; quam gratiam ſibi fieri à ſuperiore poſtulatur.*c.* 5. *h. t.* in quo notanda eſt vox, *gratiæ*, vt agnoſcamus poſtulationem contrariam eſſe iuri communi, & niti tantùm fauore, & beneficentiâ, quam ſuperior facit promouendo ad prælaturam eum qui de iure promoueri non debet, vel ob defectum, vel impedimentum; ità vt quotieſcunque electio quæ tota eſt ſtricti iuris, haberi non poteſt, ad poſtulationis remedium recurratur. Et vt poſtulatio ſuum ſortiatur effectum hæc potiſſimum requiruntur, conſenſus ipſius poſtulati,ſi ſit laicus, vt notat Gloſſa, *in can. Oſius. 61. diſt.* rationem hanc exiſtimo,quòd nemo cogendus ſit ad votum emittendum, & Ordines ſuſcipiendos,*can. vbi ità. 74. diſt.*ſed nec clericus. *can. geſta. 74. diſt.* niſi ob vrgentem Eccleſiæ neceſſitatem, *can. vlt. ead.* Epiſcopi etiam conſenſus adhibendus eſt,cuius ditioni ſubditur poſtulatus, *niſi eius Epiſcopus precibus exoratus concedere voluerit*, inquit *can. 2. & 3. diſt. 71.* vbi quærit Gloſſa, an diſſimulatio & conniuentia ſufficiat, quod negat, ex *can. literas.63. diſt.* quia nemo cogitur emancipare filium ſuum; oportet ſaltem probabilem eſſe conſenſum ſi non expreſſum: ideò in *can. primatus. 71. diſt.* dicitur, *ſinè conſcientia*, id eſt ſinè literis dimiſſorijs. Sic etiam monachus ſinè licentia ſui Abbatis, Epiſcopus fieri non poteſt, nec vllum honorem in Eccleſia ſuſcipere, ex decreto Gregorij in *can. quàm ſit. 18. q. 2.* ſed nec ordinari, nec fieri ſacerdos, *can. ſi quis Monachus. 16. q. 1.* ità Magnus Hincmarus à clero,plebe, Archiepiſcopo Senonenſi,aliiſque

Epiſcopis, cum conſenſu Abbatis & fratrum monaſterij S. Dionyſij, in quo degebat, ad Rhemenſem Eccleſiam electus fuit, id eſt poſtulatus, vt ſcribit Flodoardus. Poſtremò ſuperioris, id eſt ipſius ſummi Pontificis auctoritas deſideratur, citra quam poſtulatio aliqua locum habere non poteſt, ſiue poſtulatus ſit Epiſcopus, ſiue non; ſed maximè Epiſcopus, qui cùm iam ſpiritali matrimonio vni Eccleſiæ coniunctus ſit, non poteſt ſinè abſolutione illius ad aliam tranſire, *cap. bonæ. & cap. fin. hoc tit.* Requiritur ergo ad poſtulationem, vt fiat eius qui regulariter eligi non poteſt, qualis eſt neophytus, ſecundùm ſententiam Apoſtoli, quamuis D. Ambroſius ità fuerit vocatus, *can. Valentinianus.* 63. *diſt.* qualis eſt clericus in aliqua Eccleſia ordinatus, vel Epiſcopus alicuius loci, qui cùm ſpiritale contraxerit matrimonium, & Eccleſiæ ſuæ ordinatus ſit, ſicut colonus adſcriptitius, *can. ſanctorum.* 70. *diſt.* viâ electionis, quæ tota regularis eſt & canonica, ab ea extrahi non poteſt. Proinde magna eſt hodie differentia inter poſtulationem, & electionem, quamuis olim promiſcuè vtrumque nomen vſurparetur; vnde videmus paſſim apud Auctores electum dici, quem hoc iure poſtulatum dicimus: quippe quòd poſtulatio, cùm non ſit canonica ſed tumultuaria, nullum ſortitur effectum, donec à ſuperiore fuerit approbata: ideò quantumuis quis poſtulatus, & ſcrutinium publicatum fuerit, poſſunt poſtulantes à poſtulatione recedere, & in alium vota ſua conuertere, poſſunt variare quomodocunque libuerit: ratio apertiſſima eſt: quòd cùm inhabilis ſit poſtulatus, poſſunt abſque iniuria recedere, antequàm ei jus quæſitum ſit, quod nunquam ſit, niſi tunc demum cùm poſtulatio ſuperiori præſentata, & ab eo comprobata fuerit, *cap. poſtulationem. hoc tit.* & quamuis præſentatione factâ poſtulantes variare non poſſint, non ideò tamen poſtulatus vllum ius habet ante confirmationem, vt omnes Doctores in *dicto cap.* ſentiunt; in electione ſecus eſt, vt ſuo titulo dicetur.

Aliud poſtulationis genus eſt nominatio, quæ fit duarum, trium, aut plurium perſonarum; nec enim electio dicenda eſt, quia electionis forma eſt vt vnus dignior à pluribus eligatur, & concors ſeu maior pars Capituli, vel eligentium conueniat, *can. congregatio.* 16. *q.* 7. nominatio verò fit plurium, vt in Epiſcopo Neapolitano eligendo tres ſibi nominari mandat D. Gregorius *epiſt.* 15. *lib.* 2. & quoties plures eliguntur propriè electio non eſt, ſed nominatio; ſed nec poſtulatio quæ propriè fit vnius; quamuis in *cap. cùm olim,* nominatio etiam fieri dicatur vnius, ſed id ob promiſcuam nominum ſignificationem, cùm non ità ſubtiliter diſtinguantur, quin paſſim & reciprocè ſibi

inſeruiant, quorum præcipuam differentiam obſeruauit Innocentius magnus Iuriſconſultus. Quinimò addere poſſumus, non in eo tantum differre nominationem à poſtulatione, quòd illa fiat plurium, hæc vnius; ſed quòd poſtulatio tota pendeat ex gratia & mera liberalitate ſuperioris; non ità de nominatione, cui ipſe aliquantò magis adſtringitur, & ad quam ſequendam cogi videtur. Sic fiunt nominationes à Regibus noſtris vi Concordatorum, & ab Vniuerſitatibus in fauorem graduatorum nominatorum, menſibus Ianuario, & Iulio: Aprili & Octobri ſimplicium, quæ quidem ingerunt neceſſitatem, & maius robur habent quàm poſtulationes. Exemplo quoque patronorum quorum præſentationem, ſeu nominationem admittere tenetur ſuperior, *cap. paſtoralis. infrà. de iure patronat.* ideò patronorum nominatio pro collatione habetur, *cap. 4. infrà. de teſtib. cap. vlt. de conceſſ. præb.* dummodò qui nominatur ſit idoneus, *cap. 1. de iure patron. in 2. coll.* vnde fit vt qui nominandi ius habent creare dicantur, & nominatores creatores, & nominati creaturæ, *in l. 2. §. ſi eo. de adminiſt. rerum ad ciuit.* & *l. ſi quos. 59. C. de decurion.* & pleriſque alijs locis. In Baſilicis nominatores ſæpius, χειροτονῆται, dicũtur; imò & in iure ciuili nominatores decurionum, fidejuſſores eorum habentur, *l. vlt. C. de periculo nominat.* ſicut tutorum & curatorum, *l. 1. C. de magiſt. conueniend.* quod periculum non incumbit ratione beneficiorum nominatoribus; quia totum onus ſpectat ad prælatum, vel ſuperiorem, qui habet ius inſtitutionis, vt non niſi præuio diligenti examine quemquam admittat ex Concilio Tridentino.

## *DE ELECTIONIBVS,*

### TIT. VI.

HIC titulus debuerat præponi ſuperiori, quòd ſit omnino generalis ſi attendas ad nomen electionis & ſignificationem, quæ tam poſtulationis, quàm nominationis & tranſlationis, & electionis ſpecialiter deſumptæ nomen deſignat. Accuratè quidem tractandus eſt vtpotè continens materiam arduam & periculoſam, ex qua ſicut ex fonte omnia commoda & incommoda Eccleſiarum pendent: vnde B. Chryſoſtomus, *lib. 3. de Sacerdot.* dum ſciſcitatur, vnde tot turbæ & lites in Eccleſijs naſcantur; non aliundè opinatur, quàm ex Epiſcoporum electionibus, caſu potiùs ac temerè, quàm diligenter factis, ἐκ τοῦ τὰς τῶν

προεςώτων αἱρέσεις, καὶ ἐκλογὰς ἁπλῶς, καὶ ὡς ἔτυχε. diligenter, inquam, obſeruato ordine eccleſiaſtico & viâ Spiritus ſancti, qui omnibus electionibus præeſſe debět, *cap. 1. & 13. Act. Apoſt.* & *1. ad Titum*: quamuis enim differentia ponatur iure iſto inter electionem, quæ fit per inſpirationem Spiritus ſancti, & alias quæ fiunt per ſcrutinium, & per compromiſſum; tamen in omnibus diuina gratia intereſſe debet, aliter non eſſet vera electio. Quam differentiam diſcutiemus ſi priùs originem,.& progreſſum electionum attigerimus. Sciendum igitur eſt primitus electiones immediatè à Deo fuiſſe factas duodecim Apoſtolorum, cùm eos vel à piſcatione, vel à menſa nummulariorum, vel alijs occupationibus detentos proprio ore ad ſe euocauit. Sed & viam electionis in D. Matthia aperuit Dominus, & in eo rectæ & legitimæ vocationis fundamentum proponere, ac ſtabilire voluit Dominus noſter, cuius exemplum poſthàc ſequerentur diſcipuli, ac eorum ſucceſſores. Is mediatè electus fuit ab Apoſtolis, immediatè ab Spiritu ſancto, qui primùm vocauit eum, & deinde vocatum declarauit congregatio. Sic enim 13. Actuum dixit Spiritus ſanctus; *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*: προσκέκλημαι αὐτούς. Ità in electione Matthiæ vox totius congregationis erupit; *Tu Domine oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, & cecidit ſors ſuper Matthiam*, κλῆρος ἔπεσεν, *& adnumeratus eſt cum vndecim*, id eſt ſuffragijs electus, συγκατεψηφίσθη: quæ ſuffragia exquiſita fuere à ſingulis vel publicè, vel ſecretò, per ſcrutinium, vt dicitur in *cap. Quia propter. hoc tit.* & hanc fuiſſe veram ſortem, non verò fortunæ euentum calculis, aut baculis commiſſum credendum eſt: neque enim id fortunæ periculo commiſerunt Apoſtoli, ſed voluntati Dei quæ tunc aperta fuît; ità vt ipſi non tam elegiſſe quàm declaraſſe Matthiam dicantur, iuxta ſortem, id eſt voluntatem & gratiam Dei: *Sors*, inquit D. Auguſt. in *pſalm. 30. res eſt in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem*; ſic ſors fuit vocatio Pauli & Barnabæ, quæ vt vim electionis haberet, & Apoſtolorum auctoritate confirmaretur, & tranſiret in præceptum, dixit Dominus, *Segregate*: diuina gratia illis effulſit, quâ illuſtrati eos ad gentes miſerunt ſinè fortunæ periculo, ſed ſorte, hoc eſt diuino oraculo, quod Gloſſæ veteres κλῆρον χρησμὸν vocant; ſicut Lyciæ ſortes dicuntur apud Virgilium quòd per Apollinem in Lycia redderentur. In Matthia quidem duæ ſpecies electionum fuere; vna ſortis ſeu voluntatis Dei, altera ſuffragiorum: ſed hæc frequentiùs haberi cœpit, quia Deus raрò gratiâ illâ viſibili illuſtrat homines, ſed id religioni plurium committit, quorum congregationi præſidet, quoties in nomine

eius

Digitized by Google

eius conuocati fuerint, *can.non exemplo.26.q.2.* non verò calculorum, teſſerarum, globulorum, lapillorum, quæ in vrnam, vel hydriam, vel galeam conijciebantur: quæ omnia damnantur, maximè in electionibus Prælatorum. *cap. Eccleſia.infra. de ſortilegijs*; cui constitutioni viam præbuerunt gentilium leges apud Dionyſium Halic. *lib.* 2. licèt in officijs, & militijs dandis & agris aſſignandis fortunæ & ſortis ratio haberetur, vt notum ex *Aeneidos* 1. & Appiano *in Ibericis*.

Ex his, & alijs quæ hoc titulo tractantur tria potiſſimùm & nunc, & olim fuiſſe electionum genera colligere poſſumus *per inſpirationem, per ſcrutinium, & per compromiſſum.* Primum nulla requirit ſolennia, nec ſuffragiorum numerationem, ſed publicum conſenſum & repentinum, vltrò impellente Spiritu ſancto, & communiter omnibus poſtulantibus, *dicto cap. Quia propter*; ſic enim D. Ambroſius ſtudijs in diuerſa fluctuantibus infantis voce, ſed diuino inſpirante oraculo Epiſcopus conclamatur, ab omnibus vnanimiter receptus fuit, vt ſcribit Paulinus *in eius vita*; quod aliquando in ſummorum Pontificum electionibus factum legimus, & noſtro æuo Leo XI. hâc viâ Pontificatum inijt. Per ſcrutinium verò electio fit ſecretò & ſingulorum votis diligenter conquiſitis: ſcrutinium eſt diligens inquiſitio, cuius ritus celebres erant in examine Catechumenorum, exhibito exorciſmo, apud Leonem Magnum *epiſt.* 5. D. Auguſt. & alios: illud examen fit ſecretò & ſigillatim, *d. cap. Quia propter.* ne pateant omnibus quæ aguntur, ex *can. 4. Synodi Laodicęæ*, & ne electiones in pręſentia audientium fiant; per, *audientes*, populum intelligunt Zonaras, & Balſamon, licèt veriſimiliùs de Catechumenis intelligi debeat. Fit autem electio eius in quem maior & ſanior pars Capituli conſenſerit, ratione habitâ zeli ad zelum, & meriti ad meritum, vt ſcilicet merita electorum, & dignitas eligentium conſiderentur, *cap. in Geneſi. hoc tit.* nec ſemper numero eſt acquieſcendum, cuius iudicium raró tutius, & ſanius, *cap. gratum. ſup. de poſtul. prælat.* ad quod Gloſſa plenè docet, quomodo zelus, numerus, meritum expendi debeant, qui ordo vix hoc ſeculo obſeruatur, quo non tam eligentium dignitas, quàm numerus conſideratur, ſcilicet omnium ius æquale æſtimatur ex iure communi, quod, patrias leges, dixit Prudentius *lib. 1. contra Symmachum*,

*Seruemus patrias leges, infirma minoris*
*Vox cedat numeri.*

*Legem Curiæ*, dixit Symmachus *epiſt. 27.lib.* 4. *vt maioris numeri antiſtet auctoritas*, licèt *in ſententijs ferendis ſuffragia non numeranda eſſe, ſed ponderanda* dicat Plinius *epiſt.* 12. *lib.* 2. Porrò numerus hic apud

Digitized by Google

veteres ſæpius clàm & ſecretò exquirebatur, vt liberior vnicuique iudicandi, vel eligendi facultas pateret, & in quem quiſque vota ſua dirigeret, vel ſcripto in tabella & membrana, vel quouis alio ſigno in vrnam vel arculam demiſſo, quod & hodie religioſiores faciunt; colligunt enim tabulas ſeu membranas, quas γραμματεῖα vocat Plutarchus, & is cuius nomen pluribus inſertum reperitur, is ab omnibus electus cenſetur, nec id ſors dici poteſt, quia nullus eſt fortunæ caſus, ſed his tabellis tantùm voluntas deſignatur eligentium.

Per compromiſſum verò fit electio, cùm vni, vel pluribus, non quidem laïcis, eligendi poteſtas committitur, *cap. Sacroſancta. hoc tit.* quorum iudicio ſtandum omnino eſt, niſi indignum elegerint. *cap. cauſam.* 8. *hoc tit.* quod fit maximè cùm multitudo eligentium ſibi ipſi negotium facit: hoc conſilium præbet Gregorius in eligendo Neapolitano Epiſcopo, *epiſt.* 15. *lib.* 2. & *in cap.* 10. *in prima compilatione*: & hanc formam compromiſſi ſeruare tenentur compromiſſarij, aliàs eorum electio nulla eſſet, nec compromittentes hanc ſequi cogerentur, *cap. dilectus. hoc tit.* Quouis autem horum trium modo fiat electio, iure communi ad clerum pertinet, *eligente clero & populo*, inquit D. Cyprianus, *epiſt.* 24. 33. *&* 42. quod fuit ex Apoſtolica traditione, quam Patres Conſtantinopolitani ex veteri lege, ac SS. Patrum in Concilio Nicæno eſſe dixerunt τὸ παλαιὸν θεσμὸν, καὶ τῶν ἁγίων ἐν νικαίᾳ πατέρων ὅρον. D. Cyprianus *de diuina & apoſtolica traditione*, *canones eccleſiaſticos* vocat: D. Athanaſius apol. *1. antiquam inſtitutionis formulam*: Concil. Aurelian. II. *canonicæ regulæ diſciplinam: caput* 1. *huius tit. antiquam canonum conſuetudinem*; Concilium Pariſienſe I. *cap. 6.* Per cleri nomen intelligimus capitulum, ſeu collegium, ad quod regulariter ius hoc pertinet, *cap. cùm Eccleſia. infra de cauſa poſſ. cap. nobis. de iure patron.* licèt ex priuilegio & conſuetudine ad Capitulum ſolùm, *cap. cùm Eccleſia. hoc tit.* D. Hieronymus *epiſt. 85. ad Euagrium*: *Alexandriæ à Marco Euangeliſta vſque ad Heracleam & Dionyſium, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominarunt.* Additur frequenter populi conſenſus. *cap. Quanto. hoc tit.* & *can. plebs. can. ſanctorum. 63. diſt.* non tantùm in comprobatione electionis iam factæ, vt quidam ex verbis Cypriani colligere voluerunt, *præſente populo, vel aſſiſtente plebe*, ſed etiam faciendæ, *cap.* 2. *hoc tit. in 1. compil.* quod primùm Synodo Laodicena vetitum fuit, *can. 13.* vbi definitur, non eſſe permittendum turbis Epiſcopos & ſacerdotes eligere. Hoc à populo ad principem tranſlatum eſt, exemplo legis regiæ. *l. 1. C. de veteri iure enucl.* Quæ Principi non ſolùm bonorum, ſed etiam corporum poteſtatem dedit, vt Theoph.

Digitized by Google

*Theoph. addit ad tit. de iure naturali* οὐ μόνον τῆς ἡμετέρας περιουσίας, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν σωμάτων ἐστὶ κύριος. nam cùm habeant ius in capita & fortunas reges, hanc ad ſe facultatem aduocarunt; præſertim quòd ſe patronos & fundatores omnium Eccleſiarum in ſuis ditionibus profiteantur: ſed hoc ſimiliter prohibitum fuit præcipuè Nicænâ Synodo in *can. omnis. can. porrò. 63. d.* & quamuis id ſæpiùs factitatum in pleriſque regnis fuerit, non tamen ſponte, ſed coactè, vt teſtatur Lucius III. in *cap. 5. hoc tit. in 1. compil. ſi aliter fieri non poſſit*, inquit. Aliquando rigor ille temperatus fuit, vt electione factâ regius exſpectaretur aſſenſus, *cap. cùm terra. hoc tit.* Inde tot mala in Eccleſiam aliquando irruperunt, cùm ignari & indigni homines, & quod peius, pueri electi fuere, vnde verſus recitat Iuo *epiſt. 67.*

*Eligimus puerum, puerorum feſta colentes,*
*Non noſtrum morem: ſed regis iuſſa ſequentes.*

*Flodoardus, lib. 4. c. 22.* refert Odalricum Aquenſem Epiſcopum, præfectum Eccleſiæ Rhemenſi, vice filij Hugonis Comitis, tunc paruuli. Hinc & magna illa exorta eſt tempeſtas inueſtiturarum, quæ innumeras lites, diſſidia, hæreſes inuexit, de quibus ſatius eſt tacere, quàm tot ſanctiſſimorum Patrum querelas refricare, quibus hæc calamitas inexhauſtas lacrymas elicuit; non ideò tamen condemnem Regum nominationes à ſummis Pontificibus comprobandas in hacce ſeculi corruptela: maius fortè detrimentum ex electionibus timendum eſſet, cùm res omnes ambitioni & auaritiæ locum fecerint.

Præter hunc cleri, populi, regis conſenſum, olim tres ad minùs Epiſcopi intereſſe debuerunt, reliquorum ſuffraganeorum conſenſu & ſuffragio accedente, σὺμψήφων γινομένων τῶν ἀπόντων. *can. 4. Syn. Nicæna*, & *can. 13. Syn. Carthag.* & *can. 3. Syn. 7.* quod & D. Cyprianus agnoſcit *epiſt.* 68. *Epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Epiſcopus deligatur.* iuxta *can. non licet. 63. diſt.* imò & electio ſinè tribus Epiſcopis nulla erat. Syneſius *epiſt. 67.* Quod ad rem maturiùs exſequendam cautum fuit, ità vt nomine cleri, non ſolùm collegium, ſeu Capitulũ, ſed etiam Epiſcopos prouinciæ debeamus comprehendere: nec id referendum eſt ad χειροθεσίαν, ſeu, χειρῶν ἐπίθεσιν, *Act. cap. 13.* id eſt, manuum impoſitionem, conſecrationem, ad quamduo, vel tres Epiſcopi præcipuè deſiderantur, *can. 1. Apoſt.* ſed ad χειροτονίαν ſeu electionem, quæ per manuum elationem fiebat, acclamante vniuerſo populo; eligentes enim palmas attollebant, & per manus ſublatas numerabantur qui hunc vel illum elegiſſent, vt refert Zonaras ad *dictum can. primum*: nec mirum ſi ſæpiùs quæ de conſecratione ſunt,

D

Digitized by Google

ad electionem referantur, & è contra, cùm paſſim videas promiſcuè χειροτονίαν pro χειροθεσία, & è conuerſo accipi; vnde factum eſt vt multæ difficultates, & variæ natæ interpretationes fuerint: propriè tamen electio Grçcis ἐκλογὴ in *d. can.* 13. *ſyn. Laodic.* & ψῆφος in *d. can.* 3. *ſyn.* 7. & alibi paſſim. Eſt prçtereà obſeruandum in electionibus, vt vota omnium in ſcriptis redigantur, *d. cap. quia propter*; quòd eſt ex Concilio Nicæno *d. can.* 4. συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, & *can. in Epiſcopum.* 64. *diſt. can. legum.* 2. *q.* 1. *cum decreto ſcriptis roborato. can. Catinenſis.* 61. *diſt.* quod quidem decretum omitti non debet, quia eſt de ſubſtantia electionis & continere debet publicationem, inquiſitionem, collationem, & electionem, vt ſentit optimè Gloſſ. in *cap. innotuit. hoc tit.* denique ſeruetur forma Concilio Lateranenſi præſcripta in *d. cap. quia propter*; ſcilicet vt primò eligantur duo vel tres ſcrutatores, colligant vota ſingulorum, in ſcriptis redigant, mox fiat publicatio & poſtremò collatio *d. cap. Cumana.* abſentium ratihabitio deſideratur, ſcriptis etiam facienda, quos iure communi euocandos eſſe certum eſt *ex d. cap. Quia.* §. *vlt.* ſi ſunt in prouincia, & commodè euocari poſſunt. *cap. coram. hoc tit.* licèt Gloſſ. contrarium ſentiat, quæ conſuetudinem inſpiciendam eſſe dicit ad *caput coram.* 35. quod confirmat ex *cap. in Geneſi,* vbi Innocentius III. adfert conſuetudinem regni Franciæ; ſed ex eo non eſt inferendum ſolâ conſuetudine id fieri; imò verò iure communi cùm conſuetudo illa deſideret, vt ex toto regno abſentes non tantùm ex prouincia euocētur: aliàs verò certum eſt abſentes euocandos, *cap. quamuis. de off. Ord. in* 6. conſuetudo intelligi debet, de valdè remotis, quorum exſpectatio valdè ſuſpecta & damnoſa eſſet, vt idem ipſe Innocentius III. exprimit in *cap. cùm inter vniuerſas. hoc tit.* non ideò tamen negem aliud ſæpius conſuetudine obſeruari. Poſſunt quidem abſentes non intereſſe, & ſuffragium ſuum per procuratorem mittere, *cap. congregato. hoc tit. d. can.* 4. ille autem ſit de gremio, aliàs, licèt de iure non videatur repellendus, tamen optimè dicit Gloſſ. in *dicto cap. Quia.* Canonicos non facilè extraneum admiſſuros: hi etenim ità cautè ſibi ius illud vindicant, vt numquam extraneum pro quocunque negotio ſedentem in Capitulo, ſed rogantem tantùm & ſupplicantem excipiant: cùm autem dico omnes vocandos eſſe, intellige eos qui iure vocandi ſunt, vt excludantur qui defectum ætatis patiuntur, necdum pubertatem, ſcilicet 14. annos attigerunt. *cap. ex eo. hoc tit. in* 6. Concilio Tridentino prouectior ætas exſpectanda, quo nullus ad Canonicatum Cathedralis Eccleſiæ admittitur, niſi ætatis ad Ordines ſacros ſuſcipiendos legitimæ, nec vocem in Capitulo habere

habere poteſt, donec ordinem ſacrum aſſecutus fuerit: Excommunicatus quoque electioni intereſſe nequit, *cap. cùm inter.*16. *hoc tit.* cum hac tamen diſtinctione, an eligens ſit ſuſpenſus maiori, aut minori excommunicatione, vt latiùs tractabitur infrà de clerico excom. ſuſpenſus ab homine latâ ſententiâ, vel à canone, illo caſu repellitur, hoc verò admittitur, *cap.* 2. *& cap. ſi celebrat. infrà. de cler. excom.* Gloſſa in *cap. latores, infrà, de clerico excom.* & ità conciliantur canones inter ſe pugnantes. Similis ordo ſeruandus circa eos qui eligi debent, *cap. cùm Vintonienſis, & pluribus alijs, hoc tit.* contrà facientes, & indignum eligentes eâ vice conferendi facultate priuantur. Electione verò celebratâ, ſtatim ſequi debet publicatio, ne quid clandeſtinè fieri videatur, & fraudis ſuſpicio euitetur, non quòd ſit de ſubſtantia electionis *d. cap. Quia. in fine*: *quàm citiùs commodè fieri poterit*, ait Gregorius X. in *cap. Quàm ſit. hoc tit. in* 6. quod reſtringitur ad octo dies in *cap. cupientem. §. ceterùm, eod.*

Supereſt altera pars huius tit. quæ reſpicit electum, ac eius poteſtatem; non enim ſufficit electionem fuiſſe celebratam & publicatam, niſi electo præſentata, & ab ipſo acceptata fuerit, quæ, acceptatione factâ, confirmari debet ab his ad quos regulariter ordinatio, ſeu conſecratio dignoſcitur pertinere, *diſt.* 65. *&* 66. ab Epiſcopis comprouincialibus, & maximè à Metropolitano, vel Primate, *can.* 4. *Concilij Nicæni*; niſi id peculiariter ſummo Pontifici fuerit reſeruatum, dicit Innoc. III. in *cap. nihil eſt.* 44. *hoc tit.* vt de Archiepiſcopo Capuano dicitur in *cap. cùm nobis. hoc tit.* de Remenſi in *Synodo apud S. Medardum* in cauſa Hincmari, & apud Flodoardum in *hiſtoria Remenſi*: & peculiariter Primatum, Patriarcharum, & Metropolitanorum confirmatio reſeruatur, vt patet ex *epiſt. Simplicij Papæ*, ſicut hodie nominatio regibus & præſertim noſtro, tranſactione generali habitâ cum Leone X. & hæc confirmatio maximi momenti eſt, cùm matrimonium ſpirituale inter Eccleſiam & electum conciliet, *cap. inter corporalia. infrà, de tranſlat. Epiſc.* & iam gradum Epiſcopalem ſit conſecutus electus, licèt non omnem, ſed talem vt adminiſtrationem bonorum ſuſcipere valeat, & omnia quæ ſunt iuriſdictionis exercere; non tamen quæ ſunt maioris diſquiſitionis, vt notat Cuiacius ad *cap. verum. infrà, de for. compet.* ſed nec Ordinis, *cap. tranſmiſſam. & cap. cùm in cunctis. §. cùm verò. hoc tit.* Ante confirmationem verò adminiſtrationi ſeſe immiſcere non poteſt, *cap. qualiter. & cap. iamdudum. hoc tit.* nec cenſetur adhuc electus, ità vt aduersùs eum agi poſſit, ſicut aduersùs quemuis alium priuatum, & intendere accuſationem ſinè pœna inſcriptionis actor poſſit, eo caſu

Digitized by Google

quo non probauit: ſecus verò poſt confirmationem, *cap. ſuper his. infrà, de accuſationibus*: quia tunc priuilegia ferè omnia in eum concurrunt, adeò vt inſignibus vti valeat, coronâ amplâ, & birro, quem noſtri Camale vocant: dummodò ſit proximè cingendus, cùm tunc pro cincto habeatur. Et olim coniugati, ſimul ac electi erant, ab vxoribus recedere cogebantur: Hieronymus *lib. 1. aduersùs Iouinianum*, &, *epiſt. 50. ad Pammachium in fine*: *Epiſcopi, aut virgines eligantur, aut vidui, aut poſt ſacerdotium pudici.* Porrò immiſtio quæ fit à confirmato, & adminiſtratio bonorum Eccleſiæ, vim poſſeſſionis habet, vt notat Gloſſ. in *verbo, adminiſtrationem. d. §. cùm verò.* Differentia autem ponitur optima inter electionem, & confirmationem: quòd illa conferat prælaturam & adminiſtrationem in habitu, hæc in actu; illa ius, hæc exercitium, Gloſſa in *can. Quanto. 63. diſt.* exemplo iudicis delegati in *cap. Paſtoralis. ſuprà. de reſcript.* nec eſt neceſſaria inſtallatio, ſeu miſſio in poſſeſſionem vt Innocent. Hoſtienſis, & alij ſentiunt, contra ſententiam Archidiaconi in *cap. eum qui. de præb. in 6.* quam litemità componit Panormitanus, in *cap. tranſmiſſam. hoc tit.* aut alius eſt in poſſeſſione prælaturæ, aut non; illo caſu tenetur confirmatus aſſumere poſſeſſionem; aut nullus eſt in poſſeſſione, quia ſedes vacat de facto, & tunc poſſeſſionis aſſumptio non eſt neceſſaria: ſed hanc diſtinctionem non facilè probarem cùm iura loqãntur de quocumque electo, qui per confirmationem acquirit ius adminiſtrationis; ita tamen vt niſi poſſeſſione adeptâ ius ſpiritale non videatur adipiſci, nec niſi per conſecrationem plenarium ius habere; imò ſi eam ſpreuerit & negligenter tres menſes egerit abſque legitimo impedimento, ipſo iure priuatur, nec opus eſt ſententiâ, & denuò locus fit nouæ electioni, vacat ſedes, & capitulum ſuccedit, *can. Quoniam. 75. diſt. & can. Quoniam.* 100. *diſt. d. cap. ſi Epiſcopus. de ſuppl. negl. prælat. infrà.* Conſecratio iuriſdictionem confert, ſimul & ordinem, & fieri debet publicè in Eccleſia dum Miſſæ celebratur officium, *cap. Quòd ſicut. hoc tit.* à tribus ad minùs Epiſcopis, ità vt hic numerus videatur de ſubſtantia conſecrationis, ſecundùm Gloſſ. in *cap. Ne Epiſcopi. de temp. ordin. infrà.* ídque probat ex *can. vlt. 66. diſt.* contra *canonem 1. Apoſtolorum*: *Epiſcopus à duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur.* Apud Sidonium *epiſt. 25. lib. 4. Euphronius, & Patiens Ioannem conſecrarunt, quem creauerunt ambo; Euphronius teſtimonio, manu Patiens, ambo iudicio*: vbi Sauaro anxius eſt quomodò id factum, vt duo cõſecrarint contra *canonem* 39. *Concil. Carthag.* III. Balſamon ad *can. 13. Carthag. ſyn.* ſcribit primitùs quidem hunc canonem non fuiſſe obſeruatum: ità vt huic incommodo Synodus Nicæna proſ-

Digitized by Google

pexerit, *can. 4.* quo factum exiſtimem, vt de conſecrationis ordine trium numerus fuerit factus, & aliter conſecratio facta, licèt characterem imprimat, tamen effectum tollit: Archid. in *can. Quid ſit. de conſecrat. diſt. 2.* & Geminianus in *cap. degradatio. §. poterit. de pœnis, in 6.* Vno tantùm caſu ab vno Epiſcopo conſecrationem fieri poſſe docet, *cap. 27. Conſtitutionum Apoſtolicarum, tit. 8.* ſi propter perſecutionem, aut aliam grauem cauſam plures adeſſe non poſſint; dummodò afferatur decretum cõmiſſionis ψήφισμα τ͂ ἐπιτροπῆς pluiium Epiſcoporum, quod decretum vix hodie probaretur. In Archiepiſcorum conſecrationibus olim omnes ſuffraganei intereſſe debuerunt, aliter factæ irritæ erant, *can. 1. 66. diſt.* quod confirmatur, *cap. ſi Archiepiſcopus. infra. de temp. ordin.* hodie non obſeruatur: Gloſſa, horũ peculiariter conſecrationem ſummo Pontifici reſeruatam fuiſſe conijcit, omnino malè, ex *can. pudenda. 24. q. 1.* iuri enim communi nîl derogatum, ſed tantùm ſibi præcipuam habuit Papa pallij dationem, quod plenitudinem poteſtatis confert Archiepiſcopis, qui ſolâ conſecratione non omnimodam poteſtatem conſequuntur, cùm Epiſcopos conſecrandi ius non habeant, *§. 1. can Quoniam. 100. diſt.* ſed tantùm confirmandi, licèt alijs poſſint demandare conſecrationis munus, *cap. 1. infra. de tranſlat. cap. Quod ſicut. hoc tit.* & ſic intelligi debet, *cap. ſuffraganeis. hoc tit.* mirum tamen vt demandare alijs poſſint quod ipſi non habent. Tanta verò priuilegia ſequuntur conſecrationem tàm Epiſcoporum quàm Archiepiſcoporum, vt Papæ fratres fiant, Iuo Carnot. *Epiſt. 8.* quos ipſe in omnibus reſcriptis hoc nomine nuncupat, electos verò filios dicit, *cap. ſanè. de renuntiat. cap. coram. de off. & poteſt. iud. cap. Quàm graui. infrà, de crimine falſi.* imò & Cardinales qui non ſunt Epiſcopi. *cap. dilectus. infrà, de exceſſib. prælat.* tantúſque honor conſecrationi datur, vt ſingulis annis olim ſolennis eius memoria fieret, *can. Solennitates. & ſeq. de conſecrat. diſt. 1.* in Martyrologijs mentio fit ordinationis S. Ambroſij, dicebatur natalis Epiſcopatus: in veteri fragmento tranſlationis S. Martini: *Scitis quia poſt hoc triduum natalis Epiſcopatus eius eſſe conſueuerat.* ſicut *natalis imperij* apud Tacitum *6. Annal.* & Spartianum in *Adriano*; & quod maius eſt, olim reus vnus è carcere liberabatur, Iuo Carnot. *Epiſt. 53.* Vita S. Aniani *apud Sur. tom. 6. die 17. Nouembris.* Hæc autem omnia, quæ de electionibus diximus, ad omnes dignitates, perſonatus, & alia officia Eccleſiaſtica pertinere dubium non eſt, *d. cap. cùm in cunctis. §. inferiora,* vtpotè Præpoſituram. *cap. dudum*: Canonicatus, *cap. cùm Eccleſia*: Decanatum, *cap. cùm in iure*: Abbatiam, *cap. cauſam. cap. cùm inter. & cap. ad noſtram*: Eccle-



Digitized by Google

ſiam parochialem. *cap. querelam*. Prioratum. *cap. ſacroſancta.* atque etiam Ordines ſacros, Presbyteratum & Diaconatum. *can.* 3. *ſyn.* 7. Imperatorum etiam, *cap. venerabilem. hoc tit.* Quorum omnium electio tribus modis ſuprà dictis fieri debet, non quidem viuente, aut in extremis alio agente, vel nondum ſepulto. *cap. bonæ. 36. hoc tit.* ſed tribus hinc diebus, *can. nullus. 79. diſt.* quod Gloſſa non admittit, imò ſimul ac Eccleſia, vel beneficium vacat, ſtatim ad electionem procedi poſſe contendit, quod maior pars Doctorum ſentit, cùm tantùm obitus fiat mentio in *can. Epiſcopo.* 8. *q.* 1. ídque quod ſuprà dictum eſt magis honeſtatem, quàm neceſſitatem reſpicit.

## *DE TRANSLATIONE EPISCOPI.*

### Tit. VII.

HIC titulus pertinet ad ſuperiores, agit enim de genere vltimo electionis à nobis propoſito: ſed ideò peculiarem titulum fecit Gregorius, quòd tranſlatio non ſit minoris ponderis, quàm electio; nec temerè, ac inconſultò fieri debeat, ne inconſtantiæ vitium inuratur; tum quòd olim Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, & minores Ordines nulli abſque titulo, ſinè altari, ſinè parœcia, aut officio Eccleſiaſtico darentur, cui nominatim adſcribebantur, & à quo diuelli non poterant, *can. Sanctorum.* 70. *diſt.* ideò *Carthag. Synodus* 3. æquiparat tranſlationes, & reordinationes, quaſi is qui mutat Eccleſiam vel officium reordinetur; imò etiam rebaptizationes, quæ nunquam, aut rarò fieri poſſunt. *can. non licere. de conſecrat. diſt.* 4. vnde fit vt quoties aliquis ad Epiſcopatum, vel ordinem ſacrum, vel officium Eccleſiaſticum promouetur, ordinari, & certo negotio ſpecialiter adſtringi dicatur, non verò *ἀπολελυμένως*, *abſolutè*, *can.* 6. *Concilij Chalced.* relato in *can. neminem. d.* 7. id eſt, vt ſacras functiones quibus locis libuerit exercere poſſit, iuxta *Zonaram ad hunc locum*: vagandi enim & excurrendi licentia olim maximè exoſa, ità vt nullus abſque literis commendatitijs aliò pergere poſſet; quod vtinam hodie fieret: ſed proh dolor! ordinantur aliquando vilia capita ſinè titulo, ſinè beneficio, ſinè officio, quæ magno Eccleſiæ ſcandalo per orbem diſcurrunt. Ergo tranſlatio Epiſcopi in aliam diœceſim cautè fieri debet, & rarò; inde Krantzius 9. *metrop. cap.* 45. ſuis temporibus cœpiſſe frequentari tranſlationes ait, quæ anteà non niſi magnis & ponderoſis de cauſis fiebant. Non quidem prohibita fuit olim tranſlatio, ſed tantùm permiſſa

Digitized by Google

miſſa cum aliqua rationabili cauſa, *ὡς πλέον κέρδος*, id eſt, *propter maius lucrum*, *can.* 14. & 15. *Apoſt.* quod *lucrum, populi vtilitatem* interpretantur *Zonaras & Balſamon.* non verò reditus pinguiores, quibus hodie inhiant qui Epiſcopatum deſerunt, vt alium aſſequantur: quod lucrum malum dicit Iuſtinianus *Nou. 3.* quo caſu nullus ſponte ad aliam Diœceſim tranſire poteſt, ſed cum iuſſu & auctoritate Synodi, & multorum Epiſcoporum iudicio commonitus de minori ad maiorem, de populoſa ad populoſiorem, & de nobili ad nobiliorem vt loquitur Innoc. III. mandans Epiſcopo Nannetenſi Pictauios tranſire in *Epiſt. 498. lib. 1. regiſt.* Hæc tranſlatio dicitur propriè *μετάθεσις*; alia eſt *μετάβασις*, id eſt tranſitio, quæ etiam licita eſt, quando quis Epiſcopatum non habet, vel eſt eiectus, vel alio pacto deſtitutus, qui Epiſcoporum iudicio in vacantem Eccleſiam tranſire iubetur. Eſt etiam *ἐπίβασις*, inuaſio, quæ fit malis artibus; nullo conſilio, cùm quis propriâ auctoritate inuadit Eccleſiam, quæ omnia optimè diſtinguit Balſamon *in ſupplementis ad can. 15. ſyn. Nicana,* & ità docet intelligendos *can. 2. ſyn. Sard. & canonem 16. ſyn. Antioch.* Eâdem ratione Presbyter, Diaconus, aut quiuis alius in aliam Eccleſiam, vel miniſterium inconſulto proprio Epiſcopo tranſire prohibetur, *can. 15. Apoſt.* Succeſſu verò temporis effectum eſt, vt tranſlationes, vtpotè in maiorum cauſarum numero poſitæ, ſoli ſummo Pontifici fuerint reſeruatæ, vt eſt in *cap. Quod tranſlationem, infrà, de off. legati*: quia opus fuit diſpenſatione, quæ ab alio concedi non potuit, *cap. 1. 2. & 4. hoc tit.* ideò in *can. mutationes, 7. q.* 1. addita ſunt hæc verba à Gratiano, *auctoritate huius Sanctæ ſedis, & non tamen ſinè ſacroſancta Rom. ſedis auctoritate & licentia*, quæ deſunt in editionibus Decretalium Epiſtolarum; eâdem ratione quâ ſuprà diximus cõfirmationes fuiſſe reſeruatas Sedi Apoſtolicæ, ità vt nec legatus id ius habeat, niſi ſpeciali indulto. *cap. ſi Abbatem. §. fin. de elect. in 6. in d. cap. Quod tranſlationem.* Non ità de Abbatibus, ſicut de Epiſcopis; illorum enim tranſlatio non ad Papam iure ordinario pertinet, *can. Abbas.* 18. *q.* 2. niſi immediatè pendeant à Romana Eccleſia, *cap. cùm venerabilis. de conſuetud. cap. vlt. de renunciat.* Hodie in Gallia Abbatum tranſlatio Sedi Apoſtolicæ reſeruata etiam fuit, tranſactione regni generali; Clericorum verò mutationes ad Epiſcopum planè ſpectant, *can.* 15. *Apoſt. & can. 16. Nicanæ Syn.* ita vt cogendi ſint ab Epiſcopis, qui eos vel ad altiores gradus, officia grauiora, & digniores Eccleſias propter Eccleſiæ vtilitatem, non verò ad minores, prouehere volunt, vt rectè annotat Balſamon *ad can.* 34. *ſyn. Carthag.* ipſi verò citra voluntatem Epiſcoporum aliò tran-

Digitized by Google

ſire, vel alterius iuriſdictioni ſe ſubijcere nequeunt, *cap. ſignificaſti. inf. de foro compet.* Idem de monacho ſinè ſui Abbatis licentia, *cap. non eſt. inf. de regularib.* Et hæc quidem de tranſlationibus Epiſcoporum, Abbatum, & ceterorum. Eſt etiam alius tranſlationis modus non omittendus, non quidem perſonarum, ſed locorum, & Eccleſiarum, ſeu ſedium Epiſcopalium, quod fieri non poteſt propriâ & ſingulari voluntate Epiſcopi, ſed causâ cognitâ, *μετὰ συνοδικῆς διαγνώσεως*, inquit Balſ. ad *can. 74. ſyn. Carthag.* tribus potiſſimum de cauſis: ob perſecutionem, *can. temporis. 7. q. 1.* ob difficultatem locorum, veluti aeris intemperiem, *arg. can. quorundam. 74. diſt.* ob meliorationem, *can. ſi quis vult. 16. q. 7.* quæ diſtinctio eſt D. Auguſtini in *can. tribus. de conſecr. d. 1.* quod & de Abbatijs, & alijs Eccleſijs dicendum; adhibito nempe conſenſu Epiſcopi, & fratrum, in *d. can. ſi quis. & apud* Innoc. III. *epiſt. 179. lib. 1. Regeſti.*

## *DE AVCTORITATE, ET VSV PALLII,*

### TIT. VIII.

HIC titulus pendet à ſuperioribus, quibus de electionibus, tranſlationibus, confirmationibus, & conſecrationibus Epiſcoporum egimus, quibus addi debuit pallij traditio, in augmentum plenariæ poteſtatis Archiepiſcoporum, & Metropolitanorum; ſinè eo enim faſtigium Pontificiæ dignitatis non attingunt, nec verè, & propriè Archiepiſcopi appellari poſſunt, *cap. 3. hoc tit.* nec Epiſcopos conſecrare, Synodos celebrare, ordinare clericos, conficere chriſma. *cap. quod ſicut. ſuprà, de electione*: licèt olim hoc fieret, vt licet colligere ex *epiſt. 1. Gregorij* VII. *lib. 9.* Non quòd pallium quidquam addat conſecrationi iam factæ quantùm ad Ordinis miniſterium, ſed potiùs ad plenitudinem iuriſdictionis. Hoc non tam ex veteri Eccleſiæ inſtituto, quàm ex Apoſtolicæ Sedis, & totius Europæ conſuetudine fieri dicit Paſchalis II. in *cap. 21. in 1. compil. cap. ad honorem. hoc tit. priſcam Sedis Apoſtolicæ conſuetudinem* vocat Gregorius, *epiſt. 50. lib. 4.* ídque in ſignum obedientiæ & ſubiectionis, cui magis adſtringuntur Archiepiſcopi, quàm Epiſcopi, *maior nobis ſolicitudo Eccleſiarum, & cura populorum propter pallia credita, & recepta, quàm ceteris Epiſcopis incumbit*, ait S. Bonifacius Mogunt. *epiſt. ad Cubertum*; nam tunc iuramentum præſtant fidelitatis, & fidei Catholicæ vnitatem profitentur: ſed & facultatem conſecrandi Epiſcopos accipiunt

Digitized by Google

piunt, quæ cùm olim tota eſſet penès ſummum Pontificem, hoc ſigno conceſſa fuit Archiepiſcopis, *d. cap.* 21. Imò poteſtas ipſa ſumma & ſuprema aliquatenus pallio communicatur ipſis Archiepiſcopis & Metropolitanis, qui Papæ vices ſupplent, Greg. *epiſt. prædictâ. Quòd verò iuxta antiquum morem vſum pallij, ac vices Sedis Apoſtolicæ poſtulaſti*, inquit, *abſit ne aut tranſitoriæ poteſtatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in vicibus noſtris ac pallio quæſiſſe te ſuſpicer.* quæ Epiſt. ſcripta eſt ad Vigilium Epiſcopum Arelatenſem: Rabanus Maurus *de ordine Antiphonarij: propter Apoſtolicam vicem pallij honor decernitur*; ideò ab Alexandro III. *epiſtolâ* 23. *editâ cum epiſtolis Petri Cellenſis* Archiepiſcopus Lundenſis, Sedis Apoſtolicæ legatus dicitur. Itaque pallij datione fiunt Archiepiſcopi ſedis Apoſtolicæ legati: quod tamen ingeſſit dubitationem Gloſſæ in *can. Pallium.* 100. *diſt.* ideò dixit priuilegio id factum in gratiam Epiſcopi Auguſtodunenſis, ſed quare? quia ſcilicet pallium iure communi Archiepiſcopis conceſſum fuit, ídque petentibus; at verò Epiſcopis nuſquam, niſi ex peculiari priuilegio, quoties ſummus Pontifex eis vices ſuas conferre voluit. In Græcia non ſolùm Patriarchas, Primates, & Metropolitanos. Sed etiam omnes Epiſcopos pallijs vti refert Luitprandus Cremonenſis in *legatione ad Phocam*, & rationem addit, quòd per vim Theophylactus Patriarcha Conſtantinop. obtinuerit poſſe vti & ſucceſſores ſuos pallio, non petitâ licentiâ à ſummo Pontifice: quod ius ſenſim in omnes Epiſcopos Greciæ irrepſit. Hi autem Epiſcopi quibus ius Pallij ex priuilegio conceſſum erat, Metropolitani, vel Archiepiſcopi nomine gaudebant, dicti ſecundi metropolitani à Græcis, ad aliorum qui iure præcipuo primi dicebantur differentiam, vt ſcribit Hincmarus Rem. in *opuſculo ad Hincmarum Laudunenſ. c.* 17. & Balſamo ad *can.* 12. *Concilij Chalcedon.* Pallium ergo denotat iuriſdictionem in alios Epiſcopos ſuffraganeos; nec quidquam facit ad ſacerdotium, nec ad conſecrationem, quo dempto Archiepiſcopus nîl differt ab Epiſcopo: *alia ſunt ſacerdotij, alia pallij*, inquit Nicol. I. in *quadam epiſt. apud Crantzium lib.* 1. *Metrop. cap.* 39. quæ verba vt efficacia repetit Alex. II. in *epiſt. ad Archiepiſcopum Dioclient.* Pallium eſt beneficium non perſonale, ſed reale, quod datur ratione loci, & loco adhęret, ità vt tranſiens ab vna ad aliam ſedem nouo pallio ſit honorandus, *cap. Bonæ. de poſtul. prælat.* nec extra prouinciam deferre poteſt, *cap. cùm ſuper. hoc tit.* niſi gratiâ ſpeciali ſit indultum. *cap. ex tuarum. hoc tit.* ſolus Romanus Pontifex hoc poteſt *d. cap. ad honorem.* ſed nec quotieſcunque libuerit deferri poteſt; ſed ijs diebus quibus definitum fuerit, *can. porrò. de*



Digitized by Google

*conſecrat. diſt.* 1. D. Gregorius *epiſt.* 54. *ad Ioannem. Tibi non putauimus ignotum, quòd penè de nullo metropolitano legimus extra Miſſarum ſolennia vſum ſibi pallij vindicaſſe.* Dies quoque quibus ferre pallium licet enumerantur pluribus locis *dict. epiſt. Alex. II.* & apud *Innoc. III.* conſuetudine quidem hic ordo infringi poteſt, vt idem Gregorius reſpondet, in *epiſt.* 78. *lib.* 7. quæ omnia expreſſa habentur *diſt.* 100. Vtilitatem non exiguam induxit pallij datio, quippe terminos prouinciarum conſtituit, intrà quos quieſcere deberent variæ ſedes Epiſcoporum & paroeciæ, vt Obſeruatione peculiari docebimus. Nunc agendum de forma & qualitate huius pallij, cùm de ratione egerimus. Pallium torques eſt, imperij Eccleſiaſtici ſummam denotans, ad exemplum Romani, in quo Imperatores cùm maieſtatem ſuam alicui communicare vellent dabant vſum pallij & purpuræ, vt conſtat ex Capitolino *in Albino*: & in Gallia Torquati milites dicuntur qui Ordine regio inſigniuntur. Hunc torquem Sylueſtrum primùm geſtaſſe Hiſtorici docent, quo non tantùm ipſe, ſed eius ſucceſſores εἰς τὰς προελεύσεις in proceſſionibus ad imitationem Imperij Romani vtebantur; quod ex eo confirmari videtur, cùm ante Syluestrum pallij mentio nulla fiat, & primus Marcus eius ſucceſſor, hoc Epiſcopo Oſtienſi communicauerit, apud Anaſtaſium Bibliothecarium. Pius Imperator Conſtantinus fidei Chriſtianæ zelo incenſus ad ſummam auctoritatem reuocare voluit ſtatum Eccleſiæ, ideóque ingentia dona, & inſignia ei contulit, vt videre eſt apud eundem. Quidam verò pallij originem altiùs repetunt, à Lino nempe D. Petri ſucceſſore, & aſſeſſore, qui Ephod præſulibus in ſignum auctoritatis conceſſit. Ephod duplex fuit, vnum quod pro tunica linea ſumitur, ſimplex & lineum: aliud quod nunc ſuperhumerale eſt ſummorum Pontificum, ex hyacintho, purpura, cocco, byſſóque contextum, vt videre licet apud Anaſtaſium Sinaïtam, & Arnoldum Abbatem Bonęuallis, *tractatu de vltimis verbis Domini.* Huic torqui ſucceſſiſſe dicunt pallium, imò & à D. Petro communicatum; nam & ſcribit Rupertus, *lib.* 1. *de Diuinis officijs, cap.* 27. Maternum à B. Petro miſſum ad Eccleſiam Treuerenſem pallium ſuis ſucceſſoribus reliquiſſe, quod ſcilicet à ſuo principe acceperat. Vt vt ſit, communicatum pallium Epiſcopo Oſtienſi vtpotè omnium Epiſcoporum digniſſimo, à quo ſummus Pontifex conſecrari debuit, ad Primates, & Patriarchas ſucceſſu temporis tranſlatum fuit; tum deinde ad Archiepiſcopos, & Metropolitanos, poſtremò ad Epiſcopos ſingulari quodam priuilegio, vt ex Gregorij epiſtolis notum eſt. Illo autem torque imperatorio non vſos fuiſſe Pontifices conſtat, ſed faſciâ ex

candida lana contexta, in modum circuli humeros conſtringente, vt docet Onuphrius, quia Phrygium, ſeu Phrygionicum opus erat arte maximâ elaboratum, & acu pictum à Phrygibus, quos primos acu pinxiſſe refert Plinius, *lib.* 8. *cap.* 48. *en broderie.* Virg. 3. Æneid.

*Et capite ante aras Phrygio velamur amictu.*

cui faſtui renuntiarunt Pontifices, lanâ candidâ contenti, vel etiam byſſo, qui apud molles & delicatos non inferior ſerico, nec lino. Inter lanas goſſipium, xylon, & bombyx æſtimantur apud Plinium, *lib.* 19. *cap.* 1. quæ Indi ex arboribus colligunt apud *Philoſtratum, & Arrianum*; vel ex conchis marinis apud Tertullianum *lib. de Pallio*, *cap.* 76. *de mari vellera, quæ muſcoſæ lanoſitatis lautiores conchæ comant.* Quibuſdam linum, alijs lana apud Pollucem; vnde fit vt pallium D. Gregorij ex byſſo candente contextum fuerit, nullis acubus perforatum, ad luxum vitandum: nec tantùm ex ſola lana fiebat pallium, ſed ſimul ex lana & lino, licèt contrarium ſentiat Iſid. Peluſ. *epiſt* 136. *lib.* 1. Solæ cruces inſertæ filis aureis, & ſubtemine ſerico, vel bractea textæ erant, Venant. Fortunatus agens de Pallio Gregorij Turonenſis, *lib.* 2. *epigr.* 3.

*Serica cui niueis agnata eſt bractea telis,*
*Et textis crucibus magnificatur opus.*

Vbi meliùs forſan legendum, agnaua, vt & in quibuſdam codicibus: vel etiam imaginibus & picturis illuſtrabatur, vnde pallium dicebatur *geniatum*, *fait à images au vif*, ſicut apud Caſſiodorum *geniatum tribunal*, apud Capitol. in Pio, *geniatus vultus.* Licèt autem hoc pallium omnibus Metropolitanis debitum fuiſſe videatur, non tamen niſi præſentibus vel obnixè poſtulantibus datur, vt docet Iuo Carnot. *epiſt.* 250. *&* 254. *fortiter*, inquit Gregor. *epiſt.* 5. *lib.* 7. quod putem pro arbitrio ſummorum Pontificum factitatum: ſæpius quippe ſatìs fuit miſiſſe nuntios, *can. Quoniam.* 100. *diſt.* licèt Vrbanus II. *epiſt. ad Archiepiſcopum Mediolanenſem*, ſe non niſi præſentibus conceſſiſſe profiteatur, *quod quidem dignitatis genus nulli ante te niſi præſenti conceſſum eſt*, apud Platinam. Et hoc quidem Pallium de corpore B. Petri tantùm ſumi ſolitum fuit, *cap. ſignificaſti ſuprà*, *de elect.* quod intelligendum eſt de altari; quia ſcilicet altaria primùm erigi cœperunt ſuper ſepulcra Martyrum & Confeſſorum, quæ dicebantur *memoriæ. Primus Anacletus memoriam B. Petri conſtruxit*, inquit Anaſtaſius, & adhuc in noſtra Toloſana ciuitate in Capella S. Raimundi, iuxtà S. Saturnini Eccleſiam, altare maius tegit corpus ipſius S. Raimundi: ſuper altare autem D. Petri ſummus Pontifex benedicit pallium, vnde Vrbanus II. epiſt.

ad Bernardum Archiepiſcopum Toletanum ait; *Pallium tibi ex Apoſtolorum Petri, & Pauli benedictione contradimus*. Præter pallium aliquando ſummi Pontifices ſandalia, mitram, & alia mittebant: ita Ioannes VIII. Photio Patriarchæ Conſtantinopolitano, imò & crucis ante ſe deferendæ facultatem, rarò quidem Archiepiſcopis & Metropolitanis, niſi etiam Primatus, aut Patriarchatus iure niterentur: ſic Alex. II. crucem antè ferre permiſit Archiepiſcopo & Primati Sclauoniæ & Dalmatiæ *in ſuprad. Epiſt.* & Innoc. III. Theſſalonicenſi in *epiſtola nuper edita*, quem ab antiquo primum poſt quatuor Patriarchas, & Vicarium Sedis Apoſtolicæ dictum fuiſſe ſcribit, *lib. 15. Regiſtri.* Certum eſt quidem omnes Epiſcopos ius Crucis ad collum appenſæ habere, ideóque σταυροπάτας vocatos fuiſſe in *Cõcilio Conſtantinop.* 8. ſed & ſandalia, mitram, baculum, & cetera ornamenta quæ ad myſterium conſecrationis, non ad priuilegium pertinent. Plura hîc adijci poſſent quæ ad iura Primatum, & reliquorum ſpectant, quæ inferiùs ad titulos de Maioritate, & de Appellationib. dicentur.

## *DE RENVNCIATIONE,*

### TIT. IX.

RENVNCIATIO aptiſſimè connectitur ſuperioribus, quâ locus fit electioni, vel tranſlationi vacantibus beneficijs per renunciationem, ſiue ceſſionem: quæ quidem non minoris eſt ponderis, quàm cetera mutationum genera; quia frequenter contingebant horum causâ qui vltrò & ſponte renunciabant, ſiue ſpe pinguioris fortunæ: rarò tamen audiebantur, imò renunciatio prohibebatur non tantùm ijs qui digni ſacerdotio erant, verùm etiam alijs, vt eſt in *epiſt. canonica Cyrilli Alexandrini*: qui enim adeptus eſt aliquam dignitatem vel officium, & ad Ordines aliquos promotus eſt, iam addictus & mancipatus Eccleſiæ habetur, & in eo manere debet ad quem vocatus eſt, *can. Clericus. 21. q. 1. perpetuò perſeueret* inquit *can. Sanctorum. 70. diſt.* exemplo adſcriptitiorum & conditionalium hominum in *l. defenſionis. C. de iure fiſci*, qui quidem ad aliam dignitatem, vel officium, vel militiam aſpirare non poſſunt, *l. ſcripturas.* C. *qui potiores in pign.* de quibus etiam meminit Innoc. III. *in epiſt. ad Colocenſem Epiſcopum, lib. 15. Regiſtri & alibi ſæpius*: qui ſi recedant ab officio, & munere ſuo furtum ſui faciunt, & vt fugitiui repetendi ſunt, *l. cùm ſatis. C. de agricol. & cenſit.*

Digitized by Google

*lib. xi.* Ità erat olim in omnibus titulis beneficiorum, quos deſerere ſummum erat piaculum, & qui renunciabant ad id redire cogebantur, *can. non oportet.* & *can. ſi qui verò. 7. q. 1.* ſicut deſertores milites ad ſuum ducem cum elogio mittebantur, *l. 3. ff. de re milit.* Inter ordinatum & intitulatum alicui beneficio & Eccleſiam, matrimonium contrahi dicitur, quod vnius partis tantùm arbitrio diſſolui non poſſit: *contrahitur vltrò, citróque per mutuum conſenſum eligentium & electi, quaſi coniugale vinculum ſpiritualiter eſt contractum. cap. cùm inter Canonicos. ſuprà, de elect.* cui vinculo electus renunciare ſinè aliorum conſenſu non poteſt: ſicut nec poſt confirmationem, niſi de licentia Summi Pontificis, ad quem pertinet confirmatio, *cap. inter. ſup. de tranſlat. Epiſc. de licentia noſtra cedas*, inquit *cap. niſi. hoc tit.* Summus Pontifex ſolus poteſt ſoluere coniugium ſpirituale; quia tunc non homo, ſed Deus cuius vices gerit in terris id exſequitur, *cap. Quantò, ſup. de tranſlat. Epiſc.* licèt enim Primatibus, & Metropolitanis id conceſſum fuerit; *can. denique. 6. q. 3. can. 16. Synod. Conſtantinop.* cautiùs tamen id ius reſeruatum fuit ab Innocentio III. vt ſuprà titulo de electione notaui; & ſæpius Summi Pontifices renunciationem citra manus ſuas factam comprobarunt, pro pace, & neceſſitate Eccleſiæ, vt profitetur Alex. III. de renunciatione Lingonienſis Epiſcopi coram Æſchilo Archiepiſcopo Lugdunenſi facta, in *epiſt. 23. edita poſt Epiſtolas P. Cellenſis*, & in *cap. 1 in prima compil.* ad exemplum legum ciuilium, quæ prohibent abdicationem Legati Cæſaris, Præſidis, & Correctoris prouinciæ citra auctoritatem principis, *l. penult. de off. præſid.* apud Liuium volentem ſe abdicare magiſtratu prohibet Senatus & populus: & diſtinguunt optimè Iuriſconſulti inter abdicationem, & ceſſionem, quòd illa Græcis ἀποκήρυξις propriè ſit ſpontanea repudiatio, & declaratio ſe nolle ampliùs magiſtratum gerere, ſinè vllius iudicio & approbatione: & ceſſio fit in iure, causâ cognitâ, auctore prætore, vel nutu principis, & hæc renunciatio ἀποταγή, καὶ παραίτησις Græcis canonibus, ſinè nutu, vel ſummi Pontificis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel præfecti fieri non debet: quod ideò factum eſt ne temerè, ac ſinè iudicio ſuperioris fiant renunciationes, ſinè probatione, ἀδοκιμάστους ἀποταγάς vocat can. *5. Syn. I. & II. Conſtantinop.* In quo aduertimus ſummam illam rationem temporis ad probationem præfigendi ijs qui monaſticam vitam amplecterentur; nempe triennij, quod tempus pro varietate conſuetudinum & locorum breuius, vel longius habitum fuit, quo elapſo non licebat diutiùs vagari, & propoſitum relinquere; idem clericis ne beneficia ſua Epiſcopo inconſulto deſerant ſuadet *cap. admonet, &*



Digitized by Google

*c.pen. h. t.* Sic etiam & de Epiſcopis, quorũ non niſi diligẽti & canonicâ examinatione factâ, renunciatio eſt admittenda, cum quidam, veluti propter exactorum vexationes, vicinorum inuaſiones, populi inobedientiam, puſillo & abiecto animo ſuis Epiſcopatibus renunciant, inquit Balſamon, ad *can. 16. dictæ Syn.* Caſus certi & determinati ſunt quibus ceſſio admitti debeat, propter conſcientiam criminis, ob corporis debilitatem, ſcientiæ defectum, malitiam plebis, graue ſcandalum, & irregularitatem, ſuper quam diſpenſari non poteſt. *cap. niſi. hoc tit.* non verò leuibus de cauſis, aut propter tranquilliorem vitæ curſum, vtpotè Monaſticæ, quod & Gregorium Theologum, & Macrem quendam Dei famulum feciſſe perhibetur, cuius examinatam ceſſionem Patriarcha Lucas reiecit, eò quòd is renunciaſſet non *ὡς ἀνάξιος, ἀλλ' ὡς μὴ ἄξιος, non vt indignus, ſed potiùs non dignus,* vt idem Balſamon refert: quod & ità definitum fuit à Synodo Epheſina in *epiſtola ad Synodum Pamphyliæ,* ſuper libellum renunciationis Euſtathij Metropolitani, qui tamen poſteà pœnitentiâ ductus honorem & appellationem Epiſcopi ſibi concedi poſtulauit, atque obtinuit; ità tamen vt ſacra facere, & quempiam ordinare inconſulto Epiſcopo non poſſet, quod hodie paſſim conceditur. Ad Epiſcopatus verò curam & beneficij poſſeſſionem redire non poteſt, qui rite renunciauit *cap. ex tranſmiſſa. cap. in præſentia. hoc tit.* & licèt renunciando iurauerit, id non ad electionem, de qua nunquam cogitauit, extendendum eſt, vt docet Gloſſa, *cap. Clericus. infrà, de iureiurando.* Qui verò formam renunciationis debitam contempſerit, licèt illa renunciatio ſit nullius momenti, tamen in pœnam ipſius valet, quatenùs priuetur beneficio; vt de eo qui in manibus laïci renunciauit, *cap. Quod in dubijs. hoc tit.* quamuis aliàs renunciatio illicita, quæ iure non ſeruato facta eſt, etſi nullius momenti, non tamen priuet renunciantem. *cap. admonet. hoc tit.* quia ſcilicet ſicut de manu laïci beneficium accipere grauiſſimum eſt, ità & renunciare in eius manibus. *can. ſi quis deinceps. 16. q. 7.* Iuo Carnot. *epiſt.* 131. Nec obſtat *can. Gonſaldus 17. q. 2.* quamuis in manu aduocati renunciauerit, quia id fecit ſui non compos, ſed morbo coactus: imò & iſte aduocatus non erat merè laïca perſona, ſed aliquatenùs Eccleſiaſtica; aduocatus enim eſt defenſor Eccleſiæ, & cui beneficiorum ſæpè competit præſentatio, *cap. prætereà, & cap. cùm autem. infrà. de iure patronat.* vt latiùs ſuo titulo dicetur infrà: licèt aliàs rerum Eccleſiaſticarum diſpoſitio nulli laïco, etiam religioſo, competat, vt ſcribit Innocent. III. *epiſt. 347. lib. 1. Reg.* Sed nec omnis renunciatio valet, licèt facta coram legitimo ſuperiore, niſi

Digitized by Google

niſi etiam id libello, vel ſupplicatione in ſcriptis fiat, vt docet D. Gregorius *epiſt.* 51. *lib.* 7.

## *DE SVPPLENDA NEGLIGENTIA Prælatorum,*

### Tit. X.

INcvria, & negligentia eſt ſpecies quædam renunciationis, per quam Prælati, & patroni quibus facultas datur eligendi, vel præſentandi ius ſuum hâc vice amittunt, & ius deuoluitur ad ſuperiorem. Quæ quidem negligentia variè ſumenda eſt, quotieſcunque electio, vel collatio facta non eſt, vel iure non facta, vtpotè indignâ perſonâ ſcienter electâ, quo caſu ius deuoluitur ad ſuperiorem, *cap. cùm Vintonienſis. ſuprà. de elect.* & *hoc tit.* ſi intrà ſex menſes Concilio Lateranenſi ſub Alex. III. præſtitutos electio facta non fuerit, vt de electione Archidiaconi dicitur, in *cap. licèt,* & Cantoris. *in cap. vlt. hoc tit.* Hæc negligentia computatur à tempore notitiæ, *d. cap. licèt. cap. quia diuerſitatem. infrà, de conceſſ. præb.* & hoc in beneficijs ſimplicibus; nam in prælaturis tres tantùm menſes conceduntur, propter maius periculum, *cap. ne pro defectu. ſuprà, de elect.* quod ſtatuit Innoc. III. & quantùm ad Epiſcopatus, & Archiepiſcopatus Concilio Lateranenſi ſub Alex. III. derogatur, & ſex menſium tempus pro perſonatibus & dignitatibus minoribus tantùm obſeruari voluit in *cap. dilectus. infrà, de conceſſ. præb.* & id non à die vacationis, vt dixi, ſed notitiæ computandum eſſe dicitur, in *d. cap. quia in fine*, à quo tempore quis facultatem eligendi vel conferendi habuit; tunc enim vtile tempus habetur quo experiundi poteſtatem habet is cui competit actio, *l. 1. ff. de diuerſ. & temp. præſcrip. ex quo cognouit*, ait *l. 6. de Calumniatorib.* nec currit ignoranti, ſed tantùm tempus quod dicitur continuum, *l. 2. quis ordo in poſſeſſ. ſeruetur*, in qua Vlpianus bene diſtinguit, vt dicatur vtile in quo dies omnes vtiles ſunt, ſcilicet vt per ſingulos dies ſcierit, & potuerit. Sic dies cretionis numerantur apud Vlpianum *tit. 22. Cernito in diebus centum proximis quibus ſcieris, poteriſque.* Quidam tamen generaliter exiſtimarunt notitiam ſiue ſcientiam ità ſpectari, vt nunquam ſit in mora qui nunquam ſcierit: quod Clemens V. ita interpretatur in *Clement. de conceſſ. præb.* ad tollendas dubitationes vulgò emergentes, vt tempus tunc demum currat, cùm in loco, vel Eccle-

Digitized by Google

ſia beneficij nota fuerit vacatio, aut per ſe, vel per alium ſcire quis potuerit; ei enim tunc negligentia imputatur; ſupina enim & diſſoluta ignorantia eſt ignorare quod omnes norunt, de qua Papinianus in *l. cùm ſex. de ædilit. edict.* vocat. παροιμίας, ſeu voces de via, aut propatulo collectas, quocunque denuntiante, vt ait Gloſſ. in *l. item veniunt. §. petitam. ff. de petit. hered.* Imò verò videtur monitio neceſſaria, ità vt illi ad quos ius conferendi pertinet ſint admonendi, Innoc. *III.* in *epiſt.* 21. *lib.* 2. *Idoneis perſonis*, inquit, *valeas conferre, ſi iuxtà Concilij Lateran. conſtitutionem illi ad quos pertinent ad commonitionem tuam neglexerint ordinare*: & *epiſt. 151. lib. 1. canonicè moneas vt infrà menſem poſt admonitionem veſtram, perſonam idoneam eligant in paſtorem.* Alia eſt negligentia, quæ fit datâ operâ, vel dolo à ſcientibus, vel cùm impedimentum aliquod eſt, quo fit vt inutilis fiat & inhabilis ad agendum de iure, ſicut de ſyndico dicitur in *l. 1. §. vlt. Quod cuiuſque vniuerſit.* vel propter crimina quæ eum irregularem faciunt & inutilem, ità vt Pontificale officium exercere non poſſit, *cap. ex literis. infrà. de exceſſib. Prælat.* quæ negligentia dolo comparatur in *can.* 1. *86. diſt.* & excommunicationem ſæpè infert, *can. placuit. 11. q.* 3. quam etiam ſequitur ſuſpenſio, vel degradatio, *can. dictum.* 81. *diſt.* Negligens etiam dicendus eſt, qui citrà crimen & culpam ſenio aut infirmitate perpetuâ laborat, cui datur coadiutor, *can. quamuis,* & *ſeq. 7. q. 1.* & *cap. 2. hoc tit. in 6.* & tunc omnis poteſtas, & iuriſdictio ad ſuperiorem non deuoluitur, *cap. 1. hoc tit. in* 6. quia iuriſdictio non pendet ab Archiepiſcopo, nec ad eum deuoluitur, niſi viâ appellationis, ſed tota ad Capitulum ſocium ſuum & conſortem, *cap. cùm olim. infrà de maiorit. & obedient.* & *cap. vnic. eod. tit. in 6.* Negligens etiam dicitur electus, qui munus ſuæ conſecrationis intrà tempus à iure definitum ſpernit, *can. Quoniam. 75. diſt. can. Quoniam. 100. diſt.* qui propter negligentiam priuandus eſt munere conſecrationis, imò & deponendus; quod ſolus Metropolitanus facere poteſt: & in eo differentiam agnoſcere debemus inter electum & conſecratum; quòd ille deponi à Metropolitano poſſit; hic non niſi à ſummo Pontifice, ad quem diximus ceſſiones, tranſlationes, depoſitiones pertinere. Inde etiam colligere licet, canones illos qui ipſo iure priuari dicunt Epiſcopum, ſententiam requirere, *d. cap. Quoniam.* quod etiam ſentit Panormit. in *cap. cùm in cunctis. §. cùm verò, ſuprà de electione.* Et tunc demum cùm negligentia electi examinata, & Epiſcopus iure ſuo motus eſt, ad Capitulum ſpectat ius electionis, & nedum priuato Epiſcopo Capituli eſt proſpicere rebus ſpiritualibus, & temporalibus, ſed & Oeconomum conſti-

cõſtituere, *cap. 16. ſeſſ. 24. Concil. Trid.* nec enim Metropolitanus huc vſque manum extendere poteſt, ἀλλ' ὑπὸ παραφυλακὴν ἔστωσαν τοῦ κλήρου τῆς ἐκκλησίας, id eſt, *ſed ſint ſub cuſtodia cleri Eccleſiæ*, inquit, *can. 35. Syn. 6. in Trullo*, qui refertur in *canone non liceat* 12. *q.* 2. & ſolius Capituli eſt adminiſtrare, *cap. fin. hoc tit. in 6.* quod ius accuratè ſeruat noſtrum Capitulum Eccleſiæ Toloſanæ, cui creandi Vicarios, & res Eccleſiæ procurandi facultas à pluribus retrò ſeculis competit, & notandum, in quo multi peccant, Capitulum non tantùm poſſe decernere de rebus Eccleſiæ, & iuriſdictionem aſſumere, ſed & Sedem vacantem pronuntiare, quamuis ſententiâ priuationis ſecuta non fuerit: quia dupliciter vacat Eccleſia; verè & de facto, cùm iam ſententia lata eſt, vel mors interceſſit; quo caſu nulli dubitant ad Capitulum ius omne pertinere; aut verò intellectu & interpretatione ob negligentiæ caſus ſupradictos, qui ſuſpendunt electum vel promotum, & inhabilem reddunt, & ſedem quantùm ad Eccleſiæ adminiſtrationem vacantem efficiunt; ſedes etenim vacat, nec tamen Eccleſia caret Epiſcopo: ſic cenſuerunt mecum multi in quæſtione diutiùs agitata, ob negligentiam in petenda conſecratione Cardinalis de la Valette Archiepiſcopi electi. Idem exiſtimo in electo nondum confirmato, nondum conſecrato, qui ob negligentiam non aſſumpſit poſſeſſionem, nec ſe immiſcuit adminiſtrationi: tunc enim Capituli eſt eius ſupplere vices, quem Eccleſia ſponſum ſuum, niſi per confirmationem non agnoſcit, *can. ſicut. 7. q. 1. cap. inter corporalia. ſuprà. de tranſl. Epiſc.* & vt negligentiæ caſus ſint aperti, electo primùm datur menſis ad deliberandum num electioni de ſe factæ conſentire debeat; poſteà tres habet menſes à tempore electionis ad petendum confirmationem, *cap. Quàm ſit, de elect. in 6.* tres alios ad petendam conſecrationem *d. can. Quoniam.* & *can. 2. 72. diſt.* Si eſt Archiepiſcopus habet adhuc tres alios menſes ad petendum pallium, *can. 1. 100. diſt.* vt diſtinguit Gloſ. in *cap. ſi electio*, in verbo, *aliam. de elect. in 6.* quibus locis ſemper concluditur Capitulum ius habere per tales negligentias nouam faciendi electionem, & conſequenter ſuſcipiendi omnem adminiſtrationem: Sed quia in hoc regno tranſactione ſolenni Pontificiâ & regiâ, electiones ſublatæ ſunt, & regiæ nominationi hoc ius attributum eſt, Capitulum cùm de nouò eligendi facultatem non habeat, non poteſt etiam Epiſcopum priuare, & ſententiam in eum ferre, ſed tantùm ius declarandi Sedem vacantem, ob inutilitatem, vel alios certos defectus illæſum & illibatum retinere. Quæ ideò libentiùs aſſero, vt peccandi occaſio ijs amputetur, qui in re luce meridianâ clariore nubes quærũt, vt ſuæ vel ambitioni, vel auaritiæ, vel adulationi faueant. Quod at-

attinet ad negligentiam ſecularium principum ſupplendam, Clemens IV. Rom. Pontifici reſeruatam contendit in *cap. 1. hoc tit. in 6.* Regnum Portugalliæ cùm inteſtinis rebellionibus & ſeditionibus periclitaretur, ſtatuerunt primores tum Eccleſiaſtici, cùm ſeculares aduocare Coadjutorem Comitem Bononiæ, fratrem Sancij regis, ob cuius deſidiam tot mala ingruebant; ídque fieri Apoſtolicâ auctoritate deliberarunt, quod Innocentius IV. tunc in Concilio Lugdunenſi degens probauit; & eundem Alphonſum coadiutorem regni nuncupauit, cui & capitula & articulos propoſuit iureiurando firmanda, prout deinde effecit Pariſijs circa annum *1244.* quod tamen magnas lites excitauit. Tutelam etiam regnorum ad Summum Pontificem pertinere colligunt quidam ex *cap. cùm terra. ſuprà, de elect.* imò & electionis confirmationem & reiectionem in *cap. venerabilem. eod. can. alius.* 15. *q.* 7. quod primùm Gregorium VII. ſuis Conſtitutionibus decreuiſſe alij narrant, vnde tamen infelices controuerſiæ, & ſchiſmata proceſſerunt.

## *DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM,*

### TIT. XI.

DE electionibus & poſtulationibus Prælatorum ſuprà; iam tranſeundum ad proprium munus ipſorum, quod quidem præcipuum eſt in ordinationibus, in quibus & collationes olim fiebant Eccleſiárum, *can. Sanctorum.* 70. *diſt.* Inſtitutio Eccleſiaſtica eſt, vt extra ieiunia quatuor temporum ad ſacros Ordines nulli promoueantur, *cap. 2. hoc tit.* quod ius eſt vetuſtiſſimum & à naſcentis Eccleſiæ initio duxit exordium, *can.* 13. *Apoſtolorum*; quo conſtat tempore ordinationum fieri ſolita ieiunia. Hoc tempus Zephyrinus Papa congruum vocat, *in can. 31. 75. diſt.* quod & S. Sylueſter ſolitus fuit obſeruare, dum Presbyterorum, & Diaconorum ordinationes faciebat, menſe potiſſimum Decembri; vt certum eſt ex Anaſtaſio Bibliothecario, & Pontificali; ídque à B. Petro vſque ad B. Simplicium duraſſe ſcribit Amalarius Fortunatus *lib. 2. cap. 1. de Eccleſ. offic.* argumento ſumpto ex ipſo Pontificali, in quo reperitur Simplicium, ordinationes feciſſe menſe Decembri, & Februario; quod quidem non erat Conſtitutionibus cautum, donec Gelaſius I. quarti menſis ieiunio, ſeptimi, & decimi, quadrageſimalis initij, ac medianæ quadrageſimæ die ordinationes fieri debere definiuit *epiſt. 9. can.*

Digitized by Google

*ſin.* 75. *diſt.* quem tamen ordinationes non feciſſe niſi ijſdem temporibus quibus Simplicius, ſcribit idem Anaſtaſius. Hæc quatuor tempora tandem ità accuratè fuerunt obſeruata, vt nullus Epiſcopus extra ea ordinare potuerit,& qui aliter egiſſet ſuſpēſione plecteretur. Exemplum præbet *cap. 2. hoc tit. in 2. compil.* in quo Clarienſis Epiſcopus, quòd in vigilia Aſſumptionis Deiparæ quemdam in presbyterum ordinaſſet, ab Epiſcopali adminiſtratione ſuſpenſus fuit. Simili etiam iure promotus extra illa tempora, Ordinum ſuſceptorum fructu carebat, *cap. cùm quidam. hoc tit.* hunc tamen ritè Ordinem ſuſcepiſſe, & charactere inſignitum fuiſſe non eſt dubitandum, licèt miniſterium interdictum ei eſſet, *cap. conſultationi. hoc tit.* Duplex porrò tempus in his conſiderandum eſt, ſtata nempe,& certa quatuor anni ieiunia, quibus id licuiſſe diximus; tum etiam interſtitia quæ tranſgredi nemini fas fuit, ità vt certus & definitus annorum curſus, vnicuique Ordini conſtitutus foret, antequàm ad alium perueniri poſſet, quod clariùs expreſſiſſe Zozimum indicant eius epiſtolæ, ex quibus ſumptus eſt *canon; in ſingulis. 77. d.* Tum etiam ætas ipſorum ordinandorum expreſſa fuit in Subdiaconis 20. annorum, in Diaconis 25. Presbyteris 30. *can. 14. & 15. Synodi 6. in Trullo, & totâ diſt.* 77. quæ omnia paululum immutata ſunt Concilio Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 11. & 12. Et ſicut diſtincta ſunt tempora; ità & ordinationes, ne plures ſacri Ordines vnâ, eadémque die conferri poſſent, *cap. 13. & 15. hoc tit.* nec etiam minores cum aliquo ſacro, niſi alia fuerit loci conſuetudo, vt cenſent Doctores in *cap. de eo*, & *cap. dilectus. hoc tit.* in quo diſpenſare poſſe Epiſcopos autumant, ſicut in collatione Ordinum minorum: non verò vt duo Ordines ſacri conferantur, etſi inueterata regionis conſuetudo id tulerit, *cap. 2. hoc tit.* ſed nec ipſe Metropolitanus id permittet, *cap. dilectus.* Solus ſummus Pontifex his legibus ſolutus eſt, qui vbicumque, & quandocumque voluerit duos, vel tres, vel ſimul omnes ſupremâ ſuâ auctoritate conferre poteſt, *d. cap. de eo.* vel alijs gratiam facere, *d. cap. dilectus.* Sic enim Clemens VI. Imbertum Delphinatus principatu abdicato, nocte Natalis Domini ad omnes ſacros Ordines vno ductu promouit, vt refertur in Hiſtoria ipſius. Clementis, ſumpta ex Bibliotheca Fuxenſi: Minores certè Ordines omnes ſimul & ſemel vno, eódemque die, extra quatuor ieiuniorum tempora conferre poſſunt Epiſcopi, niſi conſuetudo obſtet, inquit Gloſſ. ad *d. cap. de eo.* Non quidem cum Subdiaconatu, quia cùm ſit Ordo ſacer ſeparatim dari debet, licèt quidam contrarium cenſeant, vbi conſuetudo id facit, cui ſententiæ inhærendum vix exiſtimauerim. Quod



Digitized by Google

ad locum attinet in Eccleſia Cathedrali ordinationes fieri debere monet Concilium Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. vel ſi alibi magis idonea Eccleſia ſeligatur, præſente clero, & Canonicis adſtantibus, quorum conſilio & approbatione talia peragantur, *can.* 22. *Concilÿ Carthagin.* IV. ſicut in omnibus alijs negotijs, *cap. Quanto. de his quæ fiunt à prælat.* qua de re plures ſunt Conſtitutiones antiquæ & nouæ, quibus facilè illuditur hoc tempore, dummodò tamen Eccleſia illa intrà Diœceſim exiſtat; non enim fines tranſgredi poteſt Epiſcopus ἔξω τῶν ἑαυτοῦ ὅρων, *can.* 35. *Apoſtolorum*; nam hoc caſu quidam nec characterem imprimi dixerũt, ac ea quæ ab ipſo geruntur irrita fieri ἄκυρα πεπραγμένα, *can.* 13. *Synodi Antiochenæ*, ἄκυρον εἶναι τὴν χειροθεσίαν, in *can.* 22. quod etiam refertur in *can.* 6. & 7. 9. *q.* 2. quia ſcilicet non eſt maior defectus quàm poteſtatis. Hoc eſt quod obijciebat Ioannes Conſtantinopolitanus Epiphanio, quòd in ſua Eccleſia Ordines contuliſſet, καὶ νῦν αὖθις ἐπιτρέπεις σεαυτῷ, *iam tibi ipſi facis poteſtatẽ*, vt ſcribit Socrates, *lib.* 6. *cap.* 13. verũtamen contrariũ fuit concluſum, characterem nẽpe impreſſum ritè fore; & quod dicunt Conſtitutiones antiquæ nullas eſſe tales ordinationes, benigno intellectu ad executionem Ordinum referri debere ſcribit Gloſſ. in *cap. eos. hoc tit. in* 6. Ita enim Vrbanus Papa II. Hugoni Archiepiſcopo Lugdunenſi reſcribit in *can. Lugdunenſis.* 9. *q.* 3. quaſi per præſumptam proprij Epiſcopi licentiam; quæ certè non excuſat niſi dimiſſorijs litteris expreſſa ſit, *cap.* 11. *hoc tit.* Idem ius ſtatuitur, ſi quis Epiſcopus in ſua Diœceſi alienum clericum ordinauerit, *totâ diſt.* 71. Inde orta eſt grauis contentio inter Græcos & Latinos, quòd paſſim Græci Latinos, Latini Græcos ordinarent, hac de re habeo peculiarem Obſeruationem *cap.* 9. & 11. Monachi eandem à ſuis Abbatibus & Præpoſitis ἡγουμένοις, acceptam licentiam Epiſcopis præſentare debent, *cap. ad aures. hoc tit.* & *totâ diſt.* 58. alioquin ab Ordinum acceptorum executione ſuſpenduntur. Poſſunt quidem Abbates ex priuilegio minores Ordines conferre, dummodò manus impoſitionem ab Epiſcopo acceperint, & Presbyteri gradum conſecuti fuerint, ex generali ſtatu Eccleſiæ, ἐν ἰδίῳ Μοναστηρίῳ καὶ μόνῳ ἑκάστῳ ἡγουμένῳ ποιεῖν. id eſt, *in proprio Monaſterio etiam vnicuique Abbati facere licet*, *cap.* 7. *Syn. Conſtantinop.* quod ideò factum, ne monachi cellis ſuis derelictis vrbes obire, & Epiſcopos adire cogerentur, vt inibi docet Balſamon. Id præcipuum habuerunt omnia Ordinum capita, Abbates generales S. Benedicti, Caſſinenſes, Cluniacenſes, Ciſtercienſes, & Præmonſtratenſes, quibus ius annuli, mitræ, & chirothecæ datum fuit: cui tamen honori Præmonſtratenſes renunciarunt, & conſequenter Ordi-

Digitized by Google

num collationem amiſerunt, *ne forſitan ex his aliquod elationis ſupercilium aſſumerent*, inquit Innoc. III. *epiſt.* 196. *lib.* 1. *Regiſtri.* Non alijs verò quàm ſuis monachis & conuerſis Abbates cõferre Ordines potuerunt, niſi ex indulto & licentia Epiſcoporum, *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. *Concilij Trid.* qui ſi non ſibi ſubditos ordinauerint pœnas iuris non effugiunt; ſimul cum ijs qui Ordines acceperunt, quibus tamen πρώτη σφραγὶς primus character impreſſus manet, ſicut ijs qui ab alieno Epiſcopo acceperunt, *can.* 16. *Apoſtolorum.* Hæc prærogatiua gerendi inſignia Pontificalia pluribus peperit faſtidium, cùm ſit hic honos tantùm Epiſcopis debitus, de quo conqueritur Petrus Bleſenſis, *epiſt.* 90. *inſignia Epiſcopalis eminentiæ in Abbate nec approbo, nec accepto.* & hunc abuſum condemnat D. Bernardus *epiſt.* 42. De illa tamen liberalitate à ſummis Pontificibus conceſſa, cur conqueri non debeant Epiſcopi, ſcribit fusè Goffridus, *epiſt.* 27. *lib.* 2. Clemens tamen IV. diſtinctionem adhibere voluit, vt coram Epiſcopis Abbates mitris, gemmis, laminíſque aureis vel argenteis vti non poſſent, vt refert Sirmundus in Notis ad eandem epiſtolam. Hac de re eſt optima Conſtitutio Clementis IV. quam cum alijs penès me habeo.

## *DE SCRVTINIO IN ORDINE FACIENDO,*

### TIT. XII.

ORDINATIONEM præcedere debet ſcrutinium; ideò & titulus de ſcrutinio apponi debuit. Scrutinium eſt certa quædam & legitima examinandi forma, ἐξετασμὸν ſiue ἐξέτασιν, Græci canones vocant, id eſt quæſtionem & criminis inquiſitionem, quam δοκιμασίαν, καὶ τοῦ βίου αἵρεσιν, *vitæ electionem* vocat *Syn. VI. in Trullo, can.* 22. hæc omnino præuia eſſe debebat, vt ſinè ea ordinati eſſent deponendi, ex decreto Nicænæ Synodi, in *can. ſi qui ſinè, diſt.* 80. Primitùs hic ordo ſtatutus fuerat, vt admitterentur contradictores ſeu accuſatores aduersùs ordinandos, vt crimina & defectus in lucem prodirent; & ne tamen paſſim, & de triuio illi accuſatores admitterentur, fiebat priùs accuſatorum examinatio, ἀνάκρισιν vocat *Canon* 19. *Concilij Nicæni*, & Balſamon ἐξέτασιν intrà tres menſes, Nou. Iuſtinian. 6. *Quomodo oporteat Epiſcopos* &c. Id verò non tantùm de ſcrutinio Epiſcoporum, ſed omnium clericorum intelligendum èſt, imò & monachorum, qui olim ab Epiſcopo examinari ſolebant, *can.* 40. & 81. *Synodi VI. in Trullo.* hæc



Digitized by Google

examinatio triennium durabat, *can. 5. Synodi ſeptimæ Conſtantinop.* cui tempori ſucceſſit annus probationis: vita, mores, doctrina, genus expendebantur, *can. definimus, 4. q. 1.* & *can. omnibus. 2. q. 4.* tam obnixè, & fortaſſis nimium pertinaciter, vt in pluribus regionibus non admitterentur, niſi qui ex ordine Sacerdotali ortum traxiſſent; exemplo Iudæorum, qui ex tribu Leuitica ſolùm Sacerdotes admittebant, & in eo damnat Armenios *Syn. VI. can.* 33. quod etiam Balſamon Athenienſibus & Meſembricenſibus objicit. Doctrinæ quoque examen, ſanctum fidei ſymbolum, & diuina dogmata apprimè ſciri deſiderabat, *can. nulli, & ſeq. diſt. 38.* Quæ quidem ſcripturâ ſuâ ordinandi firmare debebant, & his etiam ſeſe inſcribere; quod tamen ſe non vidiſſe aſſerit Balſamon ad *can. 19. Syn. Carthag.* aſſerítque Epiſcopos tantum, non clericos reliquos, huic inſcriptioni adſtringi debuiſſe. Mirum cùm ἐπιγραφὴ nihil aliud ſit quàm aſſertio, & in ſcriptis redacta teſtificatio doctrinæ, quam quis tenere debeat, quæ in locum ſacramenti corporalis ſucceſſit, à quo abſoluuntur omnes clerici, vt ipſemet Balſamon agnoſcit ad *tit. 9. cap. 27. Photij.* Sicut verò fidei confeſſionem ordinandi in ſcriptis mandabant, & ità ſe inſcribebant, ſic etiam ex aduerſo accuſatores per eandem κατάθεσιν periculum ſui faciebant, *can. 6. Syn. II. Conſtant.* idémque clericos feciſſe Balſamon non aduertit in *epiſt. Baſilij Archiepiſcopi ad Corepiſcopos*, objicientis, quòd præter ſuam conſcientiam & citra legitimum examen multi ad Ordines admitterentur, & pro libito ſeſe inſcriberent, atque in Clericorum ordinem referrent: quem ſacerdotalem catalogum vocat *can. Apoſtolorum. 8.* ídque prohibet Baſilius, καὶ μηδενὶ ἐξεῖναι ἑαυτὸν ὅτε βούλεται παρεγγράφειν, id eſt, *& nemini liceat quando velit ſeipſum inſcribere.* Porrò examen fit per priorem Diaconum, id eſt Archidiaconum; cuius officium eſt omnes priùs ordinandos examinare, vt quos idoneos repererit, Epiſcopo repræſentet, *cap. vt noſtrum. infrà, de officio Archidiac.* ideò in hoc capite vnico formula proponitur, quâ Archidiaconus petat nomine Eccleſiæ, vt aliquos ad Ordines promoueat Epiſcopus, qui tunc priùs ab ipſo dignitatis teſtimonium accipit. Eâdem fermè ratione, quâ in conferendis Ordinibus ſcrutinium illud obſeruabatur, ità & in aſſignandis Eccleſijs quæ Presbyteris ad annum commendabantur, vt ſi incapaces reperirentur alijs darentur: hoc notat Alex. III. in *epiſtola ad Ambianum Epiſcopum, edita poſt epiſtolas P. Cellenſis*: *Significans*, inquit, *quòd prædicto Danieli præſcripta Eccleſia non fuerit conceſſa, ſed ad probationem vſque ad annum commendata.* Quod munus probationis olim dabatur Corepiſcopis, quos ſuo tempore exoleuiſſe refert in

illud

illud Baſilij, Balſamo: *Et omnes clericos fieri ab Epiſcopis*, κατὰ μόνην δοκιμασίαν αὐτῶν, *per ſolam ipſorum probationem.*

## DE ORDINATIS AB EO, QVI *Epiſcopatui renunciauit*,

### Tit. XIII.

QVæ ſuperiùs dicta ſunt pertinent ad ordinationes quæ fiunt ab Epiſcopis; ſed quia diſtinguendum eſt inter Epiſcopos veros & legitimos, ideò hic titulus ſubiungitur, vt ſciatur an ordinatio bona ſit, quæ fit ab Epiſcopo qui Epiſcopatui renunciauit. Olim Epiſcopi liberiùs renunciabant ſuis Epiſcopatibus, quod citra diſpenſationem ſummi Pontificis fieri non poſſe ſuprà demonſtrauimus *tit. de renunciatione.* hîc diſtinctio adhibetur, vtrùm ceſſio Sedis & loci tantùm facta fuerit; an verò Ordinis & dignitatis: nam ſi loci tantùm, reſeruatur Epiſcopo facultas munia Pontificalia exercendi, & Ordines conferendi; ſi loci & Ordinis, vtrumque amittit, nec quicquam præter minores Ordines conferre poteſt, quia hi etiam à non Epiſcopis dari potuerunt, *cap. cùm contingat. infra, tit. ſequenti. can. quoniam. 69. diſt. & cap. 1. hoc tit.* quam diſtinctionem liberè non eſſe admittendam dicent plerique: dubia enim emergunt, vtrùm Epiſcopus poſſit renunciare loco & Ordini; loco quidem ſinè dubio ex indulgentia ſummi Pontificis, vt fusè diximus ſuprà, *tit. de tranſlatione, & de renunciatione.* Ordini verò qui fieri poteſt? character eſt indelebilis, ſolâ enim degradatione id fieri potuit: nec tamen id nouum; antiquitus enim plurimos & ſedi Pontificali, & dignitati, ſiue Ordini renunciaſſe conſtat: vnde eſt quòd Euſtathius in *Concilio Epheſino, cap. 1. tom. 2.* cùm ceſſiſſet Epiſcopatu, lacrymans petijt, vt ſibi nomen & honor Epiſcopi relinqueretur, quod factum; ità tamen vt propriâ auctoritate quemquam non ordinaret, niſi aſſumptus & vocatus: ſic reſcripſit *Synodus Epheſina conuentui Pamphyliæ.* Solebant plerique Epiſcopi tædio tùm laboris & curæ, cùm ſolitariæ, tranquilliorîſque vitæ deſiderio Epiſcopatibus renunciare, quod damnat *can. hoc nequaquam. 7. q. 1.* quòd à perfectiori vitæ inſtituto ad ignobilius deſcendere viderentur: eâdem planè ratione quâ in *Concilio Aquiſgranenſi* ſtatuitur, ne Canonici cucullas monachorum induant. Quomodò igitur potuerint Epiſcopi ſuis Epiſcopatibus, ac ſimul Ordini renunciare non

Digitized by Google

eſt expendendum, cùm id fieri nequeat, niſi ob crimen & καθαίρεσιν prçcedentem; ídque intelligendum quoad ſui officij & Ordinis executionem, cùm ſedem non habeant, nec diœceſim, nemini proprio iure Ordines conferre poſſunt, niſi eo modo, quo & minores à non Epiſcopis conferuntur: quæ diſtinctio eſt Panormitani, & omnium ferè Doctorum, qui & inde colligunt Epiſcopatum eſſe Ordinem. Sed nec Epiſcopus σχολάζων, in Eccleſiam vacantem tranſire, illícque pontificalia exercere propriâ auctoritate poteſt. *can. 16. Syn. Antiochenæ.* Illi Epiſcopi dicuntur vagi, errantes, vacantes, ſeu βακαντίβοι apud Syneſium, *epiſt.* 67. Scoti in *Concilio Matiſc. II.* ſed cur? vide peculiarem Obſeruationem *14. lib. 1.* Sentiendum eſt Epiſcopos iuri ſuo causâ cognitâ renunciare potuiſſe, ſed non Ordini & characteri, qui exui non poteſt, ſed quantùm ad executionem ſuſpendi: ideóque & qui ordinati fuerint à talibus Epiſcopis Ordines quidem recipiunt, ſed ab executione remouentur, donec, ſi ignoranter promoti fuerint, à proprio Epiſcopo fuerint diſpenſati, ſi ſcienter, à ſummo Pontifice, quam puto fuiſſe mentem Alex. III. in *cap.* 1. *hoc tit.* idem eſt de ordinatis ab Epiſcopo ſuſpenſo, excommunicato, vel ſchiſmatico in *cap.* 2. & *can. Ab excommunicatis.* & *can. ordinationes. 9. q. 1.* Qua de cauſa cùm Iuo Carnotenſis requiſitus à Guillelmo Ebroïcenſi, electo Dunelmenſi an poſſet ſuſpenſus Metropolitanus Ordines conferre, remiſit hunc ad Sedem Apoſtolicam *epiſt. 157.* Flodoardus *lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis, cap. 11.*

## *DE ÆTATE, ET QVALITATE, & ordine præficiendorum.*

### TIT. XIV.

ET hic quoque titulus ad Ordines pertinet, qui aliàs inſcribitur de ætate & qualitate ordinandorum, & prçficiendorum in quibuſdam libris, & melius vt exiſtimo, vt ex ſequentibus patebit, quem auget quarta compilatio, de ætate, & qualitate ordinandorum, præficiendorum, & ordinantium; quia & hos omnes complectitur. Diſtinguuntur ordinationes à præfecturis, & officijs, de quibus ſequentibus titulis: ordinantur, enim qui ſacris initiantur ἱερωμένοι, vt ſunt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi: ordinantur minores clerici etiam per manus impoſitionem, διὰ χειροθεσίας ἐπισκοπικῆς, & characterem accipiunt

accipiunt per tonſuram, διὰ σφραγῖδα ἐπικουρίδος, vt docet Balſamon *can.* 13. *Synodi VII. Conſtantinop.* & *can.* 77. *Synodi VI. in Trullo*; nec ſolâ & ſimplici benedictione id fieri, ſed manus impoſitione docet apertè *can.* 33. *eiuſdem*; quamuis à quibuſdam aliud ſit ſcriptum, qui σφραγῖδα accipiunt pro ἱερολογία cùm ſit re verâ character, ſigillum, ſeu impreſſio per tonſuram. Fefellit eorum opinionem, quòd hanc σφραγῖδα in modum crucis fieri legerint, quod tamen in omnibus cuiuſlibet characteris collatione fieri, non in ſola benedictione certum eſt. Nec quicquam facit *can.* 51. *Baſilij ad Amphilochium*, qui diſtinguit ſacros Ordines qui per χειροτονίαν fiunt, ab alijs qui per σφραγῖδα: cùm tamen omnes per χειροθεσίαν, id eſt, *manus impoſitionem* aſſumantur: nam & Baptiſmus characterem imprimit, *can. diſplicet.* 23. *q.* 4. *characterem dominicum portatis in Sacramento quod accepiſtis*, cùm agit de Chriſtianis in genere: idem in *can. Quomodò. de conſecrat. diſt.* 4. & alibi ſæpè. Veruntamen characteris, ſeu manus impoſitionis plurima eſt differentia; alia eſt manus impoſitio conſecratoria, alia confirmatoria, alia curatoria, vt optimè notat Gloſſa in *can. manus*, 1. *q.* 1. Theologi characteris impreſſionem tribus propriè caſibus fieri dicunt, in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine apud D. Thomam; & hic Ordinis character omnes tam minores, quàm maiores Ordines complectitur: quam etiam differentiam aduertit Zonaras ad *can.* 2. *Synodi Chalcedonenſis.* Sed in hoc eſt diſcrimen, quòd vtrumque & χειροτονία, & χειροθεσία in ſacris Ordinibus reperitur, in alijs deſignatio tantùm ab Epiſcopo cum χειροθεσία. Alia præterea eſt manus impoſitio non valdè aliena, quæ character Imperatoris dicitur in *can. Quemadmodum.* 23. *q.* 7. ſicut & in regum vnctionibus, *cap. vnico, infrà, de ſacra vnctione.* Alia adhuc eſt valdè inferior quæ ſolam benedictionem ſpiritualem complectitur, ſinè charactere, εὐλογίαν πνευματικὴν, de qua *cap.* 39. *lib.* 8. *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, quod inſcribitur, χειροθεσία ὀρθρινὴ, id eſt *impoſitio manus matutina*, cùm Epiſcopus populum ſuum benedicit: ἔπιδε ἐπὶ τὸν λαόν σου, τοῦτον τοὺς κεκλικότας σοὶ τὰς ἑαυτῶν κεφαλὰς, id eſt, *reſpice populum hunc, hos dico qui tibi ſua capita inclinarunt.*

Altera pars rubricæ eſt, præficiendorum; quo nomine continentur qui non ordinantur propriè, ſed eliguntur, nec inter Ordinum gradus cenſentur, vt ſunt dignitates omnes, officia Eccleſiaſtica, & præfecturæ, licèt aliquando manus impoſitionem citra σφραγῖδα ab Epiſcopo recipiant, vt ſunt Abbatiæ; nam Abbates propriè præfici dicuntur in *cap. cùm contingat, & ſeq. hoc tit.* deſumpto ex *cap.* 1. & 2. *in*



Digitized by Google

*quarta compilat.* hi dicuntur καθηγούμενοι, & præfectura monaſteriorum ἡγουμενεία, quam ex Epiſcoporum permiſſione capiunt Abbates, vt ſcribit Balſamo ad *can. 14. Synodi VII.* nec poſſunt officium exercere, quin ſint ſacerdotes, vt idem ſcribit ad *can. 6. Synodi Carthag.* quia & confeſſiones audire debent, & lectores ordinare, & tonſuram conferre poſſunt, licèt ex laïcorum numero poſſint aſſumi ἐξ ἀνάγκης ἕπεται τὸ εἶναι τὸν καθηγούμενον ἱερέα, id eſt, *neceſſariò ſequitur eſſe ſacerdotem.* Scio quidem & ἡγουμένους pro Epiſcopis accipi, & pro quibuſlibet alijs dignitatibus, quibus præcipuè autoritas data eſt, apud D. Paulum *cap. 13. ad Hebræos.* Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, Primicerij, & alij qui ſuo munere funguntur, non per ordinationem & manus impoſitionem quâ character imprimitur fiunt, ſed per ſolam benedictionem, &ità dicuntur ordinari in *can. nullus, & ſeq. diſt.* 60. vbi ordinatio & inſtitutio promiſcuè vſurpantur; ſicut apud Suetonium *in Domitiano*: *Viſum proximâ ordinatione præficere Aegypto Metium Rufum*: vel etiam ordinatio ſumitur pro οἰκονομίᾳ & adminiſtratione, vt explicat Gloſſ. in *can. Epiſcoporum. 74. diſt.* ſic ordinatio Orientis ſumitur apud eundem Suetonium in *Nerone cap.* 40. quod genus ordinationis ad dignitates & officia, quæ ſequentibus titulis exponuntur, pertinet.

De fœminis loqui non eſt alienum, quæ nomine προκαθημένων continentur in *can. 11. Synodi Laod.* quæ & præſidentes & presbyteræ dicebantur: hæ quidem ingredientibus fœminis in Eccleſiam veluti quodam magiſterio fungentes præerant, ac eas πρὸς εὐταξίαν in ſuo ordine conſiſtere iubebant, vt Zonaras & Balſamo ſcribunt. Presbyteræ ſupra annos aliquod poſt ſexageſimum aſſumebantur: Diaconiſſæ verò viduæ in anno ſexageſimo ex decreto Apoſtoli. *1. ad Timoth. cap.* 5. χήρα καταλεγέσθω μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα. Virgines autem quadraginta annorum ex Patrum decreto aſſumi dicit Balſamo ad *can. 19. Synodi Nicænæ*, & *can.* 40. *Syn. VI.* quas quidem ab Eccleſia eliminatas exiſtimandum eſt *Synodo Laodicenâ*; prohibet enim ἐν ἐκκλησίᾳ καθίστασθαι, id eſt, *conſtitui*, ſeu, *præfici.* Scio quoſdam hoc de ordinatione ſumere, alios de manus impoſitione, nam & in *can.* 40. *Syn. VI.* χειροτονεῖσθαι dicuntur ex *Synodo Nicæna can. 19.* non tantum benedictione fieri, ſed etiam conſecrari per manus impoſitionem certum eſt: Et in eo agitur tantùm de his virginibus, quæ antè quadraginta annos ſchemate ſolo contentæ, ſinè manus impoſitione, inter laïcas cenſebantur, non de ijs quæ iuxta legitimum tempus conſecrationis receptæ erant. Quicquid ſit, & ordinari ampliùs,

Digitized by Google

& præfici prohibitum eſſe Laodicænâ Synodo dicendum eſt, quod & confirmat Zonaras, cùm ait canonem decernere, vt eæ vltrò γίνεσθαι ἢ οὕτως καλεῖσθαι, *ne fiant, néue his nominibus appellentur*; imò nec benedictionem aliam accipiant, quàm quæ communiter populo impenditur, vt eſt conſtitutum in *can. 26. Concilij Arauſicani primi*, quod repetit Epaunenſe *can. 11.* quo conſecratio viduarum vetatur, ſolâ benedictione ſimplici reſeruatâ; quam etiam benedictionem propter earum fragilitatem ſuſtulit *can. 18. Synodi Aurelianenſis* II. In reſponſis Balſamonis *ad interrogata Marci Patriarchæ Alexandrini, cap. 35.* dicitur propter menſtruorum inquinationem à miniſterio fuiſſe eiectas, cùm anteà gradum, βάθμον, ad altare haberent. Quin multùm prodeſſent primis temporibus non eſt dubium, vbi morum ſeueritas vigebat, ità vt mulieres baptizandæ ante Presbyteros, aut Diaconos non nudarentur, ſed frons tantùm ab eis vngeretur, reliqua corporis pars à diaconiſſis vt ritè exponitur in *cap. 15. Conſtit. Apoſtolicarum. lib. 3.* οὐ γὰρ ἀνάγκη τὰς γυναικὰς ἀνδρῶν κατοπτεύεσθαι: *non enim opus eſt vt viri inſpiciant fœminas.* Iam perſequamur ſigillatim quæ ad materiam huius tituli pertinent. Ætas & ceteræ qualitates deſiderantur propter titulos, ſiue beneficia, ſinè quibus olim nemo Ordines recipiebat, ex *decreto Euariſti*, & ex *concilio Chalced.* ordinatio ſinè titulo nulla erat ipſo iure, *can. Neminem. 70. diſt.* ideò ordinans ſinè titulo de ſuo alere tenetur, *cap. accepimus. hoc tit.* eos ſcilicet quos ad ſacros Ordines promouit, non verò reliquos; quamuis in *cap. 2. infrà, de præbendis*, ità fuerit definitum. Triplex eſt titulus vt notum eſt, beneficij ſiue Eccleſiæ, quæ eſt in ciuitate aliqua, pago, vel martyrio, id eſt, templo Martyribus dicato, vt notat Zonaras ad *canonem 6. concilij Chalced.* Monaſterij, vt ibi etiam dicitur; nam licèt monachi vulgò ad Ordines aſpirare non poſſent, ſed laïcorum numero cenſerentur, & miſſas perrarò celebrarent, imò nec audirent, vt conſtat ex P. Bleſenſi *epiſt. 86.* & *123.* habebant tamen aliquos qui in ſolitudinibus & monaſterijs miſſas celebrarent, vt refertur in *can. Eleutherius. 18. q. 2.* Patrimonij quoque titulo Ordines dabantur, quod noui iuris eſſe exiſtimauerim; nam quod Gloſſa in *d. can. Neminem. locum poſſeſsionis*, pro *patrimonio* intelligit, non eſt exaudiendum; Gratianus enim loco ἡ κώμης id eſt, *pagi*, *poſſeſsionis* vocem appoſuit. Temporibus quidem D. Hieronymi ad patrimonium ordinatos fuiſſe clericos quidam conijciunt ex *can. vlt. 16. q. 1.* quod apertè dicitur in *cap. Epiſcopus, infrà de præbend.* Inter hos tres titulos præcipuus ſemper fuit titulus Eccleſiæ, ſeu beneficij, cuius causâ ſcrutari merita, ætatem, mores debet

Epiſcopus, Abbates, Præpoſiti, Archipresbyteri, & ceteri Eccleſiarum Prælati ad ſacerdotium promoueri debent, ceteri ad Ordinem dignitati & officio conuenientem, *cap. 1. hoc tit.* & quidem Presbyteri vigeſimum quintum annum attingere debent, ex decreto Alexandri III. in Concilio Lateranenſi, *cap. cùm in eunctis. ſuprà, de elect. cap. 4. licèt. eod. in 6.* & *cap. 12. ſeſſ. 23. Concilij Trident.* Ætas illa vocatur à Iuriſconſultis legitima, ſinè qua nemo contrahere, vel officium publicum exercere poteſt, *l. 1. ff. de minorib.* Senatores Romæ infra hanc ætatem non fiebant, vt ſcribit Dion Caſſius, *lib. 51.* L. Iunius Tribunus plebis vnicuique magiſtratui ætatis legem dixit, apud Liuium *lib. 10.* Seuerior multò fuit Lycurgus qui ſexageſimum annum conſtituit *apud Plutarchum*, vnde Senatus, ac γερουσία nomen accepit: multò ergo magis in ijs qui Eccleſiarum & populi curam ſuſcipiunt deſiderari debuit prouectior ætas; Epiſcopis quidem triginta annorum, *d. cap. cùm in cunctis*, quæ olim in omnibus Presbyteris requirebatur, *can. 14. Syn. VI. in Trullo*, & *can. 11. Synodi Neocæſarienſis.* Diaconi verò & Subdiaconi olim vigeſimum quintum annum exigebant, hodie vigeſimum tertium, & vigeſimum ſecundum, *cap. Generalem. hoc tit. in 6.* Equidem in beneficijs curam animarum non habentibus faciliùs diſpenſari poteſt, vt ſunt Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium, licèt perſonatum vel dignitatem habeant, cum quibus Epiſcopus diſpenſare poteſt, *cap. vnico. in 6. hoc tit.* niſi tales ſint quibus ſit annexus ordo Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, quorum diſpenſatio ſoli Summo Pontifici reſeruatur. Quamuis enim Concilio Tridentino omnibus Eccleſiarum Cathedralium Canonicis ordo ſacer iniunctus ſit; tamen id communiter non obſeruatur, quoties ab Ordinarijs canonicatus conferuntur, qui eos conferre poſſunt ijs qui decimum quartum ætatis annum attigerunt, Gloſſa *in cap. Si eo tempore. de reſcriptis, in 6.* ſecundum ius antiquum; hâc conditione vt quis vocem non habeat in Capitulo, donec ad Subdiaconatum peruenerit, *cap. vlt. Clement. huius tit.* Beneficia verò merè ſimplicia in ſeptennio conferuntur, iure communi, licèt Concilio Tridentino annus decimus quartus ſit exſpectandus. Et quamuis ætas in omnibus ordinibus definita ſit ad obtinenda beneficia, Papa ſinè dubio poteſt diſpenſare in ijs quæ curam animarum habent, ſicut quantùm ad reſidentiam, *cap. licèt canon, de elect. in 6.* vnde colligunt Doctores reſidentiam eſſe iuris poſitiui. De ordinantibus eſt vltima pars rubricæ in quarta compilat. quam attingere debemus, quia & de his agitur hoc tit. nam non ſolùm ordinandi, ſed etiam ordinatores ſcientiâ, moribus, ætate pręſtare debent

Digitized by Google

ne incapaces ordinent, *cap. penult. & vlt. hoc tit.* debent enim inquirere eorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum vbi educati ſunt; ſi ſint bene literati, ſi fidem Catholicam teneant, vt eſt in *can. Quando. 24. d.* ne pœnam eandem incurrant, quam in electionibus infligi eligentibus diximus *ſuprà, tit. de elect.* Scientia potiſſimùm ad hunc effectum deſideratur, quia ipſi decreta Conciliorum, & ſacros canones auribus ordinandorum inculcare debent, *can. placuit, 28. diſt.* & vt ordinandi ritus & cæremonias Eccleſiæ diſcant, & rationem reddant, eis præbere debet ordinans librum officiorum, quem *libellum officialem* vocat *can. Quando. 38. d.* qui quidem libellus an ſit *κονδάκιον*, de quo toties Codinus in *lib. de officijs Conſtant.* Balſamon in *reſponſ. 5. ad Marcum Patriarcham Alexandrinum*, in quo canones, troparia, odæ, εἱρμοὶ, στιχηρὰ, καθίσματα, & cetera quæ cum modulatione canebantur, vt annotauit Gretſerus *ad dictum Codinum.* Denique omnia iuris diuini & humani arcana in ſcrinio pectoris habere debet, vt ab ordinandis rationem exigere poſſit, qualiter ſuſceptum officium celebrent, vt eſt, *d. can. Quando.* Ideò inter alia inſignia Pontifex in veteri Teſtamento rationale officij, ſeu λόγιον ad pectus geſtare ſolebat, in quo erat δήλωσις, καὶ ἀλήθεια, id eſt, *declaratio, doctrina vel veritas*, præcipua Epiſcoporum munera, vt ex eo admoneretur Pontifex, & per eum populus, de his quæ in ſuo officio, ſacrificijs, & ſacerdotio conſideranda forent, *cap. 28. Exodi.* Erat autem illud rationale breuis pannus, ex auro, & quatuor coloribus diſtinctus, palmi magnitudine, cui intexti erant duodecim lapides, virtutum figuram ſignificantes, vt patet ex *d. cap. 28.* & latè docet D. Hieronymus *epiſtola ad Fabiolam 128.* Similis conſuetudinis ſolennem obſeruationem Ægyptiorum ſacerdotes habuiſſe reperio apud Ælianum, *lib. 14. varia hiſt. cap. 24.* qui imaginem ex ſapphiro ornatam collo geſtare ſolebant: ſapphirus enim cęruleus eſt & aureis guttulis, ſiue notis ſplendens, apud Plinium *lib. 2. cap. 9.* qui ad ſolis radios igneum veluti fulgorem emittit, quo homines ſeculi negotijs occupatos, qui Deum ſupra omnia, & proximos ſicut ſeipſos diligere ſtudent ſignificari docet D. Ambroſius *in cap. 21. Apocalypſis.*



Digitized by Google

## DE SACRA VNCTIONE,

### Tit. XV.

NEc malè ſequitur titulus iſte, quum in ordinationibus vnctio adhiberi ſoleat, quam eſſe multiplicem docet. Alia eſt vnctio Pontificum, alia ſacerdotum, alia regum, alia Cathecumenorum, confirmandorum, infirmorum, & altarium, ſiue Eccleſiarum. Pontificum quidem, quod ſumptum eſt ex veteri Teſtamento, cuius cæremonias, iuxta quas vncti fuerunt Aaron & filij eius, deſcribit *cap.* 29. *&* 30. *Exodi.* Vnguentum quo liniebantur ex myrrha, cinnamomo, calamo, caſia, & oleo confectum erat, eáque vnctio fiebat tribus in partibus: effundebatur ſuper caput, manus replebantur oleo, veſtes etiam perungebantur; quod hodie ferè ſeruatum, vt Pontifices nouæ legis ad caput & manus vngantur, veſtes verò benedicantur. Caput ſolius Pontificis vngitur, vt demonſtretur principatus, imitando Dominum, qui caput eſt Eccleſiæ: D. Auguſtinus; *imitando illum*, inquit, *qui caput eſt Eccleſiæ, per vnctionis gratiam fit & ipſe caput Eccleſiæ ſibi commiſſæ: propter auctoritatem & dignitatem,* ait Innocent. III. in hoc tit. Quâ quidem vnctione, ità imprimitur character, vt deleri & tolli non poſſit: ideóque olim Pontifices mitram ſuam, ſeu cidarim mouere, & caput detegere prohibebantur, *cap.* 21. *Leuitici*, τὴν κεφαλὴν οὐκ ἀποκιδαρώσει, id eſt, *caput ſuum non decidarabit,* vt vertunt Septuaginta Interpretes. Manus verò vnguntur, quia tunc *benedicendi & conſecrandi poteſtatem Epiſcopus accipit*, inquit Innocentius; quod commune habent Sacerdotes cum Epiſcopis, propter ſacramentorum adminiſtrationem, *can. generaliter.* 16. *q.* 1. quorum ideò manus repleri & conſecrari dicuntur, *Numer.* 3. *Quorum repletæ & conſecratæ manus vt ſacerdotio fungerentur. cap.* 13. *Paralip.* 2. *Quicunque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos.* Repleri dicuntur manus, vel ob vnctionem, vel quòd ipſi in ipſa conſecratione victimas & holocauſta offerrent; vel etiam quòd eorum manus donis & oblationibus cumularentur, vt & hodie obſeruatur. Vnctionem illam ſequitur manus impoſitio, & characteris impreſſio; & tunc omnis poteſtas ſpiritalis impenditur: oſculum verò pertinet tantùm ad inaugurationem, ſicut & orarij, annuli, & baculi traditio, quæ ſunt myſtica iuriſdictionis iam impenſæ inſignia. Ideò Marinus legatus veteris Romæ in *Synodo VIII. Conſtantinopolit.* introducto Photio ſcipioni innixo

Digitized by Google

dixit: *Eripiatur illi de manu baculus, eſt enim Eccleſiaſticæ dignitatis ſymbolum*; & tunc demum cùm depoſitus aliquis Epiſcopus reſtituebatur, hæc omnia illi reddebantur, *can. 27. Concilij Tolet. IV.* Per baculum iuriſdictio, & ligandi ac ſoluendi poteſtas deſignatur, Innocent. III. *epiſt.* 79. *lib.* 2. *regiſt.* Durantus *lib.* 2. *de ritib.* genus præcipuum inueſtituræ Abbatum, & Epiſcoporum eſſe ſcribit D. Bernardus, *Sermone de Baptiſmo.* Baculus ille, aliàs ſceptrum vocatur ab Othone Friſingenſ. *lib.* 2. *cap.* 6. *de geſtis Friderici primi*, vulgò virga paſtoralis apud Iuonem *epiſt.* 8. *&* 236. & alibi paſſim. Quâ quidem virgâ, ſeu baculo olim Imperatores ſibi ius dandi Epiſcopatus arrogare voluerunt, eo potiſſimum argumento, quòd olim in electionibus ſimul cum clero & populo intercederent; quo etiam iure vſi Chriſtianiſſimi noſtri Reges; non quidem vt paſtoralis muneris ius impendere cogitarent, ſed tantùm bonorum temporalium, & fundi Eccleſiaſtici vſum redderent, vt eſt apud Iuonem, *epiſt.* 60. quòd quia notiſſimum nec probationibus, nec autoritatibus eſt confirmandum; cùm innumeri libri de inueſtituris referti ſint. Hoc vnicum adnotandum, ſolum Summum Pontificem baculo non vti ſolitum, inquit Innocent. non quòd incongruum eſſe iudicet, ſed propter duplicem rationem hiſtoricam, & myſticam, de qua videnda eſt peculiaris Obſeruatio *14. lib. 1.* Annulus verò adminiſtrationem familiæ, & ſupellectilis Eccleſiæ cuſtodiam deſignat, Innoc. III. *epiſt. 526. lib. 1. vt in l. cùm pater. §. pater plurib. de legat. 2.* Sic enim heredes fiebant apud Aelium Spartianum *in Adriano*, Valerium Max. *lib. 7.* Iuſtinum *lib.* 12. quæ fuit etiam cauſa cur pronubis daretur annulus apud Clementem Alexand. in *Pedagogo.*

De vnctione Cathecumenorum, tum etiam Eccleſiarum, & altarium dicetur commodiùs ſuis titulis, infrà. Reſtat Confirmatio quæ pertinet εἰς τὴν τοῦ ἐλαίου χρῖσιν, *ad olei vnctionem*: hæc fit more Athletarum ad confirmandos Chriſtianos in pugna contra Diabolum, *can. Spiritus ſanctus. de conſecrat. diſt.* 5. cuius effectus diuerſus eſt ab effectu baptiſmi, licèt vtrâque vnctione imprimatur character, paſsímque omnibus Chriſtianis impendi debeat, *can. omnes fideles. ead. diſt.* Differentia maxima eſt inter baptiſmatis & Confirmationis vnctionem, quòd illa à quolibet ſacerdote, hæc à ſolo Pontifice fieri debeat, *can. de his. ead. can. quamuis.* 68. *diſt. can. Presbyteros.* 95. *diſt.* cuius differentiæ rationem aliam quærere non debemus, quàm quæ à D. Gregorio datur; nempe vſus, & vetus conſuetudo, *can.* 1. *ead. diſt* 95. & à Pontifice ieiuno, niſi ex magna neceſſitate, *can. vt ieiuni, & ſeq. ead.*

Digitized by Google

*diſt. 5. de conſecrat.* Regum vnctio diſſimilis eſt à ſuperiore, quæ fit in brachio dextro, non in capite, vt olim in veteri Teſtamento, quo ſacerdotium & regnum coniungebantur: imò & ſi reges non eſſent ſacerdotes, capite tamen inungebantur, ſicut Saül & Dauid à Samüele, Salomon à Sadoco, Ioas à Iojada, Iehu ab vno ex filijs Prophetarum. Quæ vnctio in nouo Teſtamento à capite ad brachium tranſlata eſt, vt ait hîc Summus Pontifex: plures tamen à capite ad pedes oleo inunctos fuiſſe conſtat, vt reges Romanorum ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν, apud Theophanem, *in Chronico*: & ità Carolum M. inunctum fuiſſe refert Conſtantinus Manaſſes, quod eſt cõtra Ordinis Rom. ſeriem. Ea vnctio frequentiùs fiebat ex oleo ſacro, licèt aliquo communi oleo perunctos, vt Saülem, fuiſſe conſtet, Dauidem etiam, quem alij ſacro perunctum exiſtimant, & probant ex *Pſalm. 88. Oleo ſancto meo vnxi eum*, cuius ſententiæ eſt Genebrardus. Oleum ſacrum in vaſe magno tabernaculi aſſeruabatur, confectum primùm à Moyſe, quod durauit vſque ad Babylonis captiuitatem, ſimili prodigio quo ampulla Regum noſtrorum inungendorum ſanctum chriſma indeficiens ſuggerit, vt idem aſſerit; qui & diſtinctam fuiſſe regum & ſacerdotum inunctionem refert, vt illorum fieret in fronte inter palpebras in modum coronæ; ſacerdotum verò in modum crucis; vtrorumque tamen vnctio regiam tribuit honorificentiam, vt ait D. Ambroſ. in *epiſt. 2. ad Corinthios*, iuxta illud D. Petri, *Quia ſumus genus regale per vnctionem ſpiritalem.*

## *DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.*

### TIT. XVI.

ORDINATIO, ſiue Ordo eſt ſacramentum, de quo cùm iam dictum ſit, meritò additur hic titulus, an ſacramenta debeant, & poſſint iterari; quorum quidem generalis eſt lex, vt quatuor repetantur, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-vnctio, & Matrimonium; cetera tria nunquam, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo: quamuis olim & Extremam vnctionem repetere non eſſet licitum, vt ex D. Auguſtino, & Ambroſio probat Iuo Carnot. *epiſt. 257.* quod effectum fuit Concilio Trident. *ſeſſ. 14. cap. 3.* contra id quod continetur in *canone, Nihil. de pœnit. diſt. 3.* Rationem differentiæ ſumimus, ex eo quòd in illis character non imprimitur, ſicut in his: ſi quidem in Baptiſmo ἡ σφραγὶς

πίστεως

Digitized by Google

πίστως, *character fidei* imprimitur, in Confirmatione τῦ πληρώματ☉ τῦ ἁγίυ πνέυματ☉, id eſt *plenitudinis Spiritus ſancti*; in Ordine verò ἡ σφραγὶς τ̃ ἐξυσίας, *character poteſtatis*, *can. quod quidam. 1. q. 1. can. licitè. 32. q. 7.* ideóque iterari non debeant, *can. non licet.* 107. *de conſecrat. diſt. 4.* Et quidem in primis Baptiſmum non poſſe iterari omnes ferè cenſuerunt, dummodò eſſet ritè factus, alioquin iterum poſſe conferri dubium non eſt: licèt enim ab hæreticis præſtetur, modò iuxta formam à Domino præſcriptam, valet baptiſmus, *can. oſtenditur*, & *can. ab antiqua, de conſecrat. diſt. 4.* ſiue à laïco, *can. in neceſſitate*: ſiue à pagano, *can. Romanus. ead.* ſiue ab Apoſtata, *can. nullus.* Hoc tantùm additur, vt ſola eis gratia reconciliationis impendatur, per quam Catholicæ fidei ſocientur, *can. ſi re verâ. 30. ead.* & virtutem Spiritus ſancti accipiant, *can. Quamuis, ead.* quæ datur per manus impoſitionem, & chriſmatis vnctionem, & ſanctæ Euchariſtiæ communionem, *can. ſi qui apud can. veniſſe. can. in Eccleſia, ead. & ſequentib.* At quoties vel qui baptizant, vel qui baptizantur ſanctiſſimæ Trinitati; vel tribus perſonis non credunt, ſed vnam negant, vt ſunt Bonoſiarij & Cataphryges, tunc repetendus eſt baptiſmus. Alij repetebant baptiſmum Chriſtianorum, inter quos Eunomius, hoſtis infenſiſſimus ſanctæ Trinitatis, contra quos acribus pœnis inſurgunt Imperatores in *l. 1. & 2. C. Ne ſanctum Baptiſ. reiteretur*, & *l. domus. 49.* & *l. Hæreticorum. 56. Cod. Theod. de hæreticis.* Marcionitæ ter baptiſmum repetebant, ait Epiphan. *hæreſi 42.* In his omnibus non alia diſtinctio adhibenda, quàm quæ primùm fuit accepta ab Stephano I. Papa, vt quoties Eccleſiæ forma ſeruata non eſſet, toties iteraretur baptiſmus, contra ſententiam plurimorum, qui nimio zelo quęcumque ab hæreticis fiebant condemnabant, vtpotè Baptiſmum, ordinationem, manuum impoſitionem & ſimilia, iuxta decretum Synodi Iconienſis, & Synadenſis in *Epiſt. Firmiliani apud S. Cyprianum epiſt. 75.* & epiſtolam Concilij Antiocheni apud Euſebium *lib. 7. cap. 6.* & Nicephorum, *lib. 6. cap. 7.* Fundamentum ſumebant ex *can. Apoſtolorum. 68.* quo baptiſmus & ordinatio ab hæreticis facta reprobantur ὅτι ὔτε κληρικὺς, ὔτε πιςὺς ποιεῖ, *quo neque clericos, neque fideles facit.* Hæreticos intelligunt Apoſtoli, qui cum Eccleſia Catholica non conueniunt, nec eius formam ſequuntur; ideò baptiſmus repetitur, ſicut & ordinatio, quòd propriè non dicitur reïteratio, quia *quod non oſtenditur geſtum, non videtur iteratum*, inquit, Capitulare *329. lib. 7.* Quòd ſi in ijs quæ iuxta formam & ritum Eccleſiæ deſiderantur aliquid omiſſum fuerit, hoc cautè ſupplendum eſſe dicitur in *cap. 1. & vlt. hoc tit.* Quæ ſuppletio fieri debet ijſ-



Digitized by Google

dem diebus, quibus & ordines conferuntur. *cap. 2. hoc tit.* Quod attinet ad ſacramentum Confirmationis, ne iterari debeat ijſdem rationibus vtendum eſt; nam & Confirmatio ità olim baptiſmo cohærebat, vt coniunctim ſemper darentur, imò & Confirmatio eſſet perfectio baptiſmatis, ideóque τελείωσις vocatur, & perfectio à S. Ambroſio, *lib. de Sacramentis*: conſignatio per vnctionem, apud Paulum 2. *Corinth.* 1. & conſummatio ac ſignaculum diuinum, apud Cyprianum *epiſt.* 73. cuius Sacramenti collatio penès Epiſcopos ſemper fuit, *cap.* 10. *lib.* 3. *Apoſtolicarum Conſtitutionum.* vtrumque illud ſacramentum olim duobus ſtatis temporibus coniunctim dabatur, *Capitul.* 185. *lib.* 6. in feſto Paſchæ, & Pentecoſtes: & ſimul ac baptizatus aliquis erat, ad Confirmationem recipiendam Epiſcopo offerebatur, D. Dionyſ. Areopagita, *cap. 2. de cæleſti hierarchia*: & tunc demum is vtroque ſacramento naſci dicebatur, apud Cyprianum *epiſt.* 72. qui & rationes affert, cur iteratio in tribus iſtis ſacramentis prohibeatur, *lib. de ablutione pedum*: *Nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renouat, nemo ſacro oleo lita, iterum linit aut conſecrat; nemo impoſitioni manuum vel miniſterio derogat ſacerdotum, quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi euacuari poſſet, quod ille ſanctificat.*

## *DE FILIIS PRESBYTERORVM ordinandis, vel non.*

### TIT. XVII.

SVPERIORIBVS titulis actum de varijs ordinationum impedimentis, quibus & hoc additur circa filios Presbyterorum. Quærendum in primis de quibus agatur hoc tit. an de his qui ante ſacerdotium ex legitimo matrimonio nati; an verò poſt ſacerdotium, vel ex matrimonio, vel ex concubitu. Non eſt hîc adducendum vetus iurgium Græcorum circa matrimonium; de his enim agetur *infrà, tit. qui clerici, vel vouentes matrim.* Hæc tantùm hîc ſtatuenda regula eſt, alios dici & eſſe legitimos ex matrimonio ſacerdotum ante ſacerdotium; alios eſſe ſpurios, ex illicito nempe concubitu; vtroſque ab ordinibus arcent conſtitutiones huius tituli, ſed diuerſimodè; ſiquidem natos ex legitimo matrimonio ordinari non prohibent vllæ leges, præterquàm in paternis Eccleſijs, *cap.* 3. *hoc tit.* ne ſucceſſio hereditario iure introducatur, *cap. ad extirpandas.* 11. *hoc tit.* niſi media aliqua perſona

interceſſerit, *cap. ex tranſmiſſa. hoc tit. cap. conſuluit. infrà, de iure patronat. can. Apoſtolica. 8. q. 1.* in quo tamen fraus ineſſe poteſt, quippe per mediam perſonam ad paternum beneficium filij facilè peruenire poſſunt: quod iure ciuili vetitum eſt, ne tacito fideicommiſſo legibus illudatur, quæ turpes perſonas inſtitui nolebant, *l. non intelligitur. ff. de iure fiſci*, & *§. 1. Inſtit. de fideicommiſſ. hereditatib.* & vt ait D. Hieronymus *per fideicommiſſa legibus illudimus.* Ideò *l. 45. C. de Epiſcopis & clericis*, ait; *Nec per interpoſitas perſonas.* Nec ſolùm à beneficijs paternis arcentur filij Presbyterorum; ſed etiam ab omnibus honoribus; ſic in legibus Longobardorum, *tit. vlt. lib.* 3. prohibentur fieri Notarij, Comites ſculdaſij, id eſt pedanei iudices. Ex iuſta tamen cauſa ſedis Apoſtolicæ iudicio comprobata, ſucceſſio admittitur, *cap. ex tua. hoc tit.* Apud Iudæos non niſi ex genere ſacerdotali, & tribu Leuitica ad ſacerdotium admittebantur, quod & ſequutos fuiſſe Armenios docet *Syn. VI. in Trullo, can. 33.* quæ quidem intelliguntur de filijs legitimis: & quoties hîc agitur de filijs Presbyterorum & clericorum, natos intelligere debemus ante ſacerdotium, quos cùm ad ſacerdotium veniebant patres è domo ſua dimittere iubebantur, propter publicam honeſtatem, eóſque tenebantur emancipare, vt eſſent ſemoti à conſortio reliquorum hominum, *can.* 33. *Syn. Carthagin.* Ideóque nominatim ſpectaculis & ludis ſcenicis intereſſe vetabantur, *can. 15. eiuſd. Synodi*, ϰ̀ ὥϛε τὰ τέκνα τῶν ἱερέων κοσμικοῖς θεωρίοις μὴ πϱοσιέναι. id eſt, *vt filij eorum qui ſunt ſacrati ad mundana ſpectacula non accedant.* Spurij vt turpes perſonæ Conſtitutionibus Eccleſiaſticis repelluntur, *cap. vlt. hoc tit. cap. Conſuluit. infrà, de ſeruis non ordinandis.* Talis ſoboles olim in veteri lege ità erat damnata, vt vſque ad decimam generationem Eccleſiæ ingreſſu interdictum ei eſſet, *cap. 23. Deuteron. cap. per venerabilem, infrà, qui filij ſint legitimi.* Quod quidam referunt tantùm ad ſanctuarium, alij verò Eccleſiæ nomine ſocietatem intelligunt, & cœtum Iudæorum; apud quos manzeres, vtpote extranei, iura ciuium non habebant, non verò intelligendum vt à ſacris & templo arcerentur. Verùm nec hoc iure differentiā ponere debemus inter natos ex cōcubinis, & ex ſtupro: nam licèt illi iure ciuili quaſi legitimi haberentur, quia talis conſuetudo licita erat *l. 5. C. ad Senatuſconſult. Orfitianum*, iure tamen Pontificio talis coniunctio damnatur, *can. Audite. 34. diſt.* Hodie hæc diſtinctio adhibetur, vt filij legitimi ſacerdotum beneficium paternum adipiſci non poſſint, aliud tamen in eadem Eccleſia poſſint, *cap. ad hæc. hoc tit.* cui vulgò opponi ſolet quod dicitur in *cap. ad abolendam, ne Canonicorum filij, maximè ſpurij, in eadem Eccleſia in-*



Digitized by Google

*ſtituantur*, verbum, *inſtituantur*, ponitur pro, *ſuccedant*: *maximè*, Gloſſa interpretatur, *tantùm*; quaſi ſoli ſpurij prohibeantur, non verò legitimi; cùm tamen æquè legitimi ac ſpurij in beneficijs parentum ſuccedere non debeant: legitimis quidem datum eſt, vt ad Ordines promoueantur, *cap. 2. hoc tit. in 2. compil.* cuius verba notanda ſunt; *ſacerdotum verò filios, & maximè in ſacerdotio genitos non ſinit ſuccedere parentibus conſuetudo, ne laïcis ſcandalum generetur.*Ità fit vt filij ſacerdotum & Canonicorum admittantur in eadem Eccleſia quâ pater: ſicut de filijs Epiſcoporum dicitur in *cap. ad hoc.* non verò ſi filij ſint illegitimi, *cap. cùm decorem. hoc tit.* niſi eo caſu quo monachi fiant in regulari aliqua Congregatione, tunc enim Ordines eis conceduntur, *cap. 1. hoc tit.* quod & ſtatuit Vrbanus II. in *Concilio Claromontenſi, can. 25.* & Alexander III. in *Concilio Lateran. parte 19. cap. 2.* Ratio differentiæ petenda eſt ex *d. cap. ad abolendam*; publicum enim ſcandalum generatur, quoties in ſecularibus Eccleſijs introducuntur, vbi ſummus populi concurſus fit: nôn æquè in Monaſterijs, quæ ſunt receſſus ſolitariæ vitæ, & veluti carceres, *can. luminoſo. 18. q. 2.* Ex diſpenſatione verò Summi Pontificis, non verò Epiſcopi, filij iſti ſacerdotum, ſicut & omnes nothi ad Ordines admitti poſſunt, ſi morum honeſtate & ſcientiâ commendentur. *cap. ex tua. hoc tit. can. Naſci. 56. diſt.* ità vt non ſolùm ad beneficia quæcumque & dignitates promoueri valeant, ſed etiam ad Epiſcopatum. *can. Apoſtolica, & ſeq. ead.* dum tamen diſpenſatio peculiariter ad Epiſcopatum tendat, vt eſt in *Epiſt. Clementis IV. 353. ad Ariminianum Aſturicenſem electum.*

## *DE SERVIS NON ORDINANDIS, & eorum manumiſſione,*

### Tit. XVIII.

PERSONIS quæ ad Ordines admitti non debent annumerantur ſerui, qui tam iure ciuili, quàm Canonico perſonam non ſuſtinent: ſed pro nullis, imò ferè pro mortuis habentur, *l. 32. & antepenult. ff. de reg. iuris.* Repelluntur ij quibus nulla natalium, nulla morum honeſtas ſuffragatur, *can. admittuntur, d.* 54. ideò priùs libertate donandi ſunt, *cap. 3. hoc tit.* quæ lex primis Eccleſiæ cunabulis fundamentum accepit, & licentiam dominorum expetijt, *can. 82. Apoſtolorum*, factâ manumiſſione ſecundùm iuris ſolennia, vel teſtamento, vel per tabulas, vt eſt in *canone*

21. *Syn. Aurelianenſ. III.* Quod ideò dicebatur *auctoritatis teſtamentum in antiquitatibus Alemannicis*, editis à Goldaſto, *tit. de manumiſsione*, vbi formula refertur integra, & apud Cuiac. *14. Obſeruat. cap. 17. ingenuitatis vel manumiſsionis titulus* in Concilio Rhemenſi, *cap.* I. *apud Burcardum lib. 2. cap. 26.* vel, *charta abſolutionis, apud eundem*, τὸ τῆς ἀπολύσεως πρόγραμμα, vt loquuntur Græci. Abſolutio idem eſt, quod manumiſſio in legibus Vuiſigothorum *tit.* 1. *l.* 2. *lib.* 9. quia cùm ſerui manumittebantur vinculis & catenis ſoluebantur, inde *abſolutus* dicitur *manumiſſus* in *veteribus gloſsis*, & in *canone* 5. *d.* 54. Manumiſſio in Eccleſia publicari debuit pro ambone, vel vmbone: lectorium, vulgò pulpitum δεικτήριον, καὶ ἀκροατήριον apud Baſilium Seleuciæ, *lib. 2. de Thecla*, & apud *Anaſtaſium in Leone IV.* Vel etiam manumiſſio publicabatur ad cornu altaris in Capitulari *88. lib.* 1. Quod ideò fiebat, ne falſis manumiſſionibus veri Domini ſeruis ſuis priuarentur, & in detrimentum rei familiaris. Olim quidem non ſufficiebat ſcientia & conniuentia dominorum, ſed ipſa conceſſio & liberatio, vt eſt in *d. can. 82.* tum deinde effecit Iuſtinianus, vt ſi ſeruus in clerum fuiſſet cooptatus ignorante Domino, intrà annum Dominus ius haberet redhibitionis ἀναλήψεως, *can. ſi ſeruus, 19. ead. cap. 2. hoc tit.* ſi verò monachus factus fuerit, datur triennium Domino, *can. ſi ſeruus. 54. diſt.* imò etſi Epiſcopus factus ſit ſacro veſtitu exui, & in ſeruitutem retrudi debere ait Harmenop. *tit. 14. lib. 1. Nouellâ* verò Leonis 10. annus ille ſublatus fuit, & perpetua reuocatio data. Sic legibus Longobardorum *lib. 1. tit. 33. cap. 2.* ſi quis ſeruum ſinè voluntate Domini clericauerit, reuertatur ad proprium Dominum; idem ſi ſeruus monachus factus eſſet, *d. Nouellâ Juſtiniani*, & Capitulari *227. lib. 5.* reuocatio intrà tiennium competit, Non ità in Epiſcopatu, nam eo ipſo quòd ſeruus fit Epiſcopus conſequitur libertatem, nec redhibitio Domino competit, Nouellâ ipſâ Iuſtiniani, *cap. 4.* ad exemplum filij fam. *Nouell. 81.* quod improbauit Leo III. *Nouella 11.* qui quaſi ex profeſſo Iuſtiniani Conſtitutiones aggredi videtur. Hanc Nouellam Iuſtiniani reſtringere debuit Balſamon ad priuilegium Patriarchæ Conſtantinopolitani; cuius inſignia facit tanti ponderis, vt quemlibet ſeruum per Epiſcopalem honorem eximat à ſeruitute, cõtra ius cõmune, quod nulli ſeruo parcit; & ità obſeruatum fuiſſe docet Iuo Carnotenſ. *epiſt. 102.* quâ Beluacenſem electũ quidam calũniosè ſeruilis conditionis eſſe ſuſpicabantur; *Obnoxietas*, inquit, *parentum à nullo viuente legitimè comprobari poteſt.* hâc voce vtitur *can. 2. Concil. Matiſcon.* II. licèt Sirmundus legendum putet *Obnoxiationem. obnoxietas* ſumitur pro ſeruitu-

te,& pro qualibet alia conditione minùs ſeruili,quâ cötinentur liberti,*can. vlt.ead.* originarij,adſcriptitij capite cenſiti,coloni, ὁμόχλωσοι, qui prædia in cenſum publicum relata poſſident, & ὁμόδουλοι, id eſt, conſerui agricolæ apud Sozomenum; & conditionales, qui alicui certæ conditioni ſunt adſtricti *d. can.* admittuntur. Nouella Iuliani *115. c. 455.* de quo conqueritur Agobardus, *tractatu de priuileg. & iure ſacerdotij: Habeo vnum clericionem, quem mihi nutriui de ſeruis meis proprijs, aut beneficialibus, ſiue pagenſibus, volo vt ordines eum mihi presbyterum.* Hi omnes æquales ferè ſunt libertis, qui operas patrono præſtare debebant fabriles, & induſtriales, ſi iuratæ & promiſſæ eſſent ex L. Papia; at officiales naturâ debebantur ipſi tantùm patrono, reliquæ quibuslibet pro voluntate patroni, *l. ſi non ſortem. §. libertus, de condict. indebit. l. 9 & toto tit. de operis libertorum.* Vnicum hîc notandum eſt, quaſdam eſſe ſpiritales operas, quæ retineri & exigi iuſtè poſſunt, vt canonicarum horarum recitatio, *cap. Nullus, & cap. eò libentiùs. hoc tit.* ſacrorum myſteriorum celebratio, *can. frequens. 54. diſt.* imò etiam & negotia Eccleſiæ tenentur gerere, alioquin in ſeruitutem rediguntur, *can. Diaconi. 12. q. 2.* ac honorẽ & patrocinium impendere; ità vt nec teſtes, nec accuſatores eſſe poſſint, *can. Epiſcopus. 58. ead. diſt. vt quorum.* inquit, *libertas pernicioſa eſt, ſit ſalutifera ſeruitus. can. octauo. ead.* Porrò adnotandum eſt ex ſupradictis ſeruos non ſolùm ad ſacros Ordines promoueri non potuiſſe, ſed nec ad inferiores; omnes enim comprehendit *d. can. ex antiquis.* Quia tamen hæc regula ſtrictiùs obſeruari conſueuerat circa Ordines ſacros, *can. 2. & can. de ſeruorum, diſt.* 54. ideò Innocentius III. reſpondet idem ius ſtatuendum eſſe in Subdiaconatu, *cap. miramur. hoc tit.* & quidem certum eſt omnes veteres canones legem feciſſe generalem, idcircò de clericatu loquitur *can. 1. d. diſtinct.* de gradibus omnibus Eccleſiaſticis, quorum titulo etiam minores clerici continebantur, *can. de rebus, ead.* quod non ſolùm pro Eccleſiæ honore factum eſt, ſed etiam in gratiam dominorum *d. can. 82.* Et hoc ità religioſum fuit, vt in conſecratione Epiſcoporum nominatim præciperetur, ne ſeruos promouerent, *cap. conſuluit, hoc tit.* atque etiam vulgò cum licentia dominorum non licuit, ſed parciùs & ſecundùm menſuram, vt ait Capitulare 113. *lib. 1.*

Digitized by Google

## *DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ordinandis, vel non,*

TIT. XIX.

CVR Raimundus Compilator ſpecialem hunc titulum ediderit, meritò quæri poteſt; cùm incongruum videatur primo intuitu actores, procuratores, ſyndicos, tutores, & huiuſmodi homines rationibus alienis obſtrictos non poſſe ad Ordines promoueri. Quod confirmat *can. 33.* Fulgentij Ferrandi, *vt clerici, apothecarij, vel ratiocinatores, non ordinentur.* An propter præſcriptionē fori quâ clerici cauſam dicere coram iudice cincto non tenentur, ex Conſtitutione Sylueſtri *apud Anaſtaſium: Cinctum dicimus*, inquit Caſſiodorus in *pſal. 29. quando eius faſces, honoréſque declaramus*, de quo ſuo loco: verior & probabilior ratio eſt Raimundum compilaſſe Decretales miſcendo ius antiquum cum nouo, quamuis ſuo forſan tempore ſeruitus non eſſet in vſu. Certum eſt enim debitores, & quoſcunque rationibus obnoxios, & obæratos corporum obligationibus fuiſſe obnoxios, imò ſeruos fuiſſe creditorum; & quamuis ſublatas fuiſſe duras corporum obligationes dicat Liuius 8. *ab vrbe cond. dec. 1.* non tamen omnino erepti ſunt àb eorum imperio, & dominio: ideóque rectè dicit *cap. vnicum. hoc tit. ante libertatem adeptam*, id eſt, nondum rationibus redditis *Eccleſiam infamari*; quia ſcilicet talis obnoxietas, licèt non ſit vera ſeruitus, non tamen longè abeſt. Nihilominùs certum eſt apud quaſdam gentes ſeruorum conditionem diutius in Eccleſia duraſſe, & non omnino eliminatam fuiſſe, quod teſtantur Conſtitutiones Friderici II. Imp. in *regno Neapolitano*, & ipſe Bartolus ſuo ſeculo deſijſſe narrat: vnde fiebat vt qui alienis rebus eſſent obſtricti redire ad priſtinum negotium cogebantur, vt de curialibus refertur in *can. præterea. 51. diſt.* quorum plerique ludis ſecularibus, & publicis voluptatibus inſeruiebant, *l. Circenſium. 20. C. de diſcuſſoribus. lib. 10.* Serui enim erant reipub. ac *viſcera ciuitatum*, vt ait Nouella Maioriani, Senatores aliarum ciuitatum, præterquàm maioris, vel nouæ Romæ *l. omnes. 33. C. de Decurionibus lib. 10.* Ex eorum ordine creabantur tributorum publicorum ſuſceptores, *l. 8. C. de ſuſceptorib. eod. lib.* ſimiliter & ſacrarum largitionum exactores, quos Rationales ſummarum, vel ſummæ rei vocat *l. 3. C. ſi propter publicas penſitationes*; vnde & procurator Cæſaris

ὁ τοῦ μεγίστου πράγματος προεστατεύων apud Euſebium vocatur *lib.* 2. vt etiam annotauit Cuiacius *Obſeruat.* 32. *lib.* 8. idem eſt *actor dominicus*, apud Gregorium Turonenſem *lib.* 9. *cap.* 38. & Capitulari 3. *&* 41. *lib.* 4. Idem dicendum de priuatarum rerum Rationalibus, qui omnes dicũtur Rationales, quia ratiocinijs, ſiue polypticis obnoxij ſunt, & ratiunculas, ἀποσεσημειωμένα, *l.* 2. C. *Theod. de diſcuſſorib.* λογαρίδια, veteribus Gloſſis, reddere tenentur ratiociniorum præpoſitis, quos Athenienſes λογιστὰς vocabant, apud Plutarchum & Ariſtotelem *Politic.* 6. vnde & λογιστήρια ſcholæ ratiocinatorum dicuntur apud *Iulium Pollucem.* De his exactoribus ſatius intelligere caput vnicum huius tituli, non de executoribus, ſuadet Anton. Auguſtinus, cui non aſſentior; rectè enim dicit *executores, ſeu curatores pupillorum* ἐπιτρόπους, quibus præcipuè teſtator curam pupillorum & legatorum præſtandorum committit in *l.* 107. *de legat.* 3. quos ideò miniſtros ὑπουργοὺς Baſilica vocant, *diſpenſatores legatorum* Nouella Martiani, *de teſtamentis clericorum.* Licèt autem clerici ad tutelam cogi non poſſint, tamen hortantur eos omnes Conſtitutiones ad curam & defenſionem pupillorum, & executionem teſtamentorum, *can. peruenit.* 85. *diſt.* ità vt ij quibus executio demandatur, tutores impropriè vocentur, vel curatores, vt perſpicuum eſt ex *Nouella* Leonis 68. ἐπιμεληταὶ apud Laërtium. inde fit vt *executio* ſumatur pro *tuitione, defenſione*, ſiue *procuratione* in *can. defenſiones.* 2. *diſt.* 87. Ex quibus apparet quàm variè ſeſe torqueat Gloſſa in *cap. vnico*, recedens à vero ſenſu horum verborum *procuratores, actores executores, ſeu curatores*, quos propriè ad perſonas pupillorum, magis quàm ad alia munera & negotia referre debemus.

## *DE CORPORE VITIATIS ordinandis, vel non,*

TIT. XX.

PERSEQVITVR Gregorius Ordinum impedimenta; inter quæ hoc titulo agitur de corporali vitio; claudos ſiquidem, cæcos, deformes, ac debiles ad munera Eccleſiaſtica non admittendos eſſe ſacræ Scripturæ docent: quod obſeruabant Gentiles apud Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib.* 2, *cap.* 3. Pari fermè ratione, quâ apud Iuriſconſultos capite minuti, qui non ſunt integri corporis, integræ frontis, ad honores & munia publica non admittuntur, *l.* 5. *ff. de capit. deminut.* Apoſtolorum & veterum Patrum ſanctionibus

nibus inter corporum defectus diſtinctio habita fuit, ſi fungi officio non ſinant: tales quidem non vt polluti, non vt indigni, ὐχ ὡς μεμιασμένοι reijciuntur, ſed ob eam tantùm cauſam, ne Eccleſiaſtica officia impediantur, vt de ſurdis & mutis loquitur *canon 78. Apoſtolorum*: ideò vno oculo orbatus, vel aliquâ corporis parte oblæſus non eſt reijciendus; quamuis in *can. vlt.* 55. *diſt.* vno oculo orbatus caſu, & non propriâ voluntate à ſacerdotio repellatur; atque etiam, quod maius eſt, macula in oculo dubitationem ingerat, in *cap. 2. hoc tit.* quod intelligendum eſt de graui deformitate quæ ſcandalum pariat, cùm potiùs in ordinationibus attendenda ſit animi, quàm corporis deformitas: licèt Iuriſconſulti in redhibitionibus vitium animi non conſiderent, *l. 4. ff. de Aedil. edict.* ſi enim vitia quantumlibet leuia in animalibus ad ſacrificia deſtinatis expendebantur; quantò magis in perſonis Deo dicandis. Maximum ſanè vitium illud eſt, quod deſcendit ex defectu ſcientiæ, & morum, *can. vlt. 49. diſt.* Ideóque Philo Iudæus *lib. de Temulentia.* putat Moſem cùm prohibuit ſpadones & exſectos ingredi templũ Domini, denotaſſe per ſterilitatem corporis, defectum ſapientiæ. Eſt & alius corporis defectus qui ſolet eſſe impedimento, quoties quis ſeipſum de induſtria mutilauit, vel exſecuit, *can. 22. Apoſtol.* non ità de Eunuchis, ſiue thlibiæ ſint, qui ab infantia per colliſionem fiunt, ſiue thlaſiæ qui per ruptionem, contuſionem, & compreſſionem, vel ectomiæ, qui per exciſionem, vt notat Cuiacius in *l. 6. ff. de liberis & poſth.* & Balſamon ad *can. 24. Apoſtolorum*, & Iuriſconſultus in *l. Spadonum. ff. de verb. ſignif.* quo nomine non comprehenduntur qui ab hoſtibus, vel per vim exciſi ſunt, *can. 7. & 8. diſt. 55.* vel qui ob morbum, *can. 9.* & *cap. ex parte, hoc tit.* denique ſpadones qui tales naſcuntur, non fiunt; quibus nulla corporis pars deeſt, ſed vis tantùm & facultas generandi, *l. 9. de liber. & poſth.* hos leges ciuiles nec à teſtamenti factione, nec à matrimonio, nec ab adoptionibus arcent, *d. l. 6. & l. 40. §. ſpado, de adoptionib.* ſpes enim manet, ſublato impedimento, vt poſſint gignere, addit Harmenopulus *tit. 8. lib. 2.* Dixi autem de induſtria, ſiue ſponte factos eunuchos à ſacris prohiberi, non tam rei vitio, quàm in pœnam temeritatis, *can. 4. 5. & 6. dicta diſt.* φονεὺς γὰρ ἐστιν ἑαυτοῦ, id eſt, *eſt enim ſui homicida*, & *Dei contrariatur opificio, d. can. 23. Apoſtolorum*, τοῦ Θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός, id eſt, *hoſtis opificij Dei, can. 22. Apoſt.* tales ab Eccleſiæ ingreſſu prohibebantur in Capitularibus Caroli Magni, *lib. 6. cap. 49.* Olim ſectio & caſtratio vulgò in vſu erat; vnde grauia mala oriebantur, donec paulatim Imperatorum legibus prouiſum fuit, capitali pœ-



Digitized by Google

nâ addita, *l. 1. C. de Eunuchis*; quod & Iuſtinianus generali lege ſtatuit, *Nou. 142.* vt & anteà Domitianus apud Suetonium. Nec verò ſolum à ſacerdotio prohibentur qui ſponte ſeſe excidendos præbuerunt, quod capitale illis erat, *l. 4. ad leg. Cornel. de ſicar.* ſed etiam qui iam clero adſcripti ſunt, dignitatis gradu priuantur, *can. ſi quis. 55. diſt.* ideò ſacerdotio priuatum fuiſſe Leontium narrant Socrates, *lib. 2. cap. 21.* & *Theodoretus lib. 2. cap. 24.* Origenes quoque in hunc errorem lapſus eſt improbè accipiendo dictum Apoſtoli *Matth. 19. beatos eſſe qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum*; cuius exemplo ingens hæreſis orta eſt, vt liceret palàm ſeſe exſcindere apud Epiphanium, Auguſtinum Nicetam, & alios.

## *DE BIGAMIS NON ORDINANDIS,*

### TIT. XXI.

SEQVITVR aliud ordinandorum impedimentum Bigamia, quam ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio à ſacris exploſam fuiſſe teſtatur *canon 17. Apoſtolorum*, iuxta illud Leuitici *cap. 21. ſacerdotes mei non plus nubent.* vnde factum, vt ſemper Ordines denegati fuerint his, qui binas nuptias ſortiti eſſent; quod Nicæno Concilio fuiſſe deciſum ſcribit S. Ambroſius *epiſt. 88.* relatâ in *can. cognoſcamus, 34. diſt.* & ità ab Eccleſia ſeruatum, vt etiam apud Arrianos hæc lex locum habuerit, vt ſcribit Epiphanius *hæreſi 30.* ſicut apud gentiles Flamen Dialis monogamiæ adſtringebatur, apud Plutarchum *in quæſtionibus*, Tit. Liuium, & Tertullianum, *lib. de exhortatione caſtitatis: Certè Flaminica non niſi vniuira eſt, quæ & Flaminis lex eſt.* Huic ſententiæ protinùs accedunt omnes Eccleſiæ Conſtitutiones, tam veteres quàm nouæ. Et quidem bigamia variè accepta fuit; vna & præcipua, quæ reſpicit iterata coniugia; ità vt qui ſemel vxorem duxit ad ſacros quidem Ordines admittatur, *can. vna tantùm, & ſeq. 26. diſt.* indignus verò ſit qui ſecundas nuptias expertus ſit; ſecundæ enim nuptiæ licèt numquam damnatæ, tamen veteribus exoſæ fuerunt, vt dicemus *infrà, tit. de ſecundis nuptijs.* Bigamus etiam habetur qui viduam, aut ab alio corruptam duxit, *can. lector. 34. diſt. can. ſi quis viduam. 50. diſt. d. cap. à nobis. hoc tit.* & quicunque non virginem duxerit, *cap. 2. inf. de clericis coniugat. can. curandum. 34. diſt.* imò, & quod aſperius eſt, is cuius vxor adulterium commiſit digamus habetur, *can. ſi cuius. ead.* denique ij qui voto ſe adſtrinxerunt, ſi deinde

contrahere matrimonium velint τῶν διγάμων ὅρον ἐκπληρώτωσαν, id eſt, *digamorum definitionem, ſiue pœnam impleant*, inquit *canon. 19. Synodi Ancyranæ, can. Quotquot 27. q. 1.* quæ pœna varia eſt; nam præter ſacrorum prohibitionem, alia eſt in *can. 14.* & *60. D. Baſilij ad Amphilochium.* Similiter bigamus is habebatur, qui binas concubinas diuerſo tempore habuiſſet, quia concubinæ olim vxorum loco erant, *can. is qui. 34. diſt.* quoties eo animo retinebantur, vel ad aliam diuertendi propoſitum non habebant, *can. ſolet. 34. q. 2.* Vocabant Græci concubinam ἡμίγαμον, id eſt *ſeminuptam*; ſed poſteà vt ſcortorum, concubinarum conſortium damnatum fuit *l. 7. C. de naturalib. lib.* tum deinde *Nouellâ Leonis Philoſophi* 91. Et ità effectum conſequenter, vt priſcorum temporum auſteritas temperata ſit, & tota lex conuerſa aduersùs eos qui binas nuptias ineunt, vel viduas ducunt, *cap. vlt. hoc tit.* qui irregulares fiunt, *cap. tam literis, infrà, de Teſtibus.* reliqui verò irregularitatem non incurrunt, *cap. Quia circa. hoc tit.* quod defectui noſtrorum temporum tribuit Pelagius in *can. fraternitatis. 34. diſt.* Idem eſt de nubentibus poſt votum, *can. Quidam. 27. diſt.* niſi profeſſionem emiſerint, *can. 5. diſt. 30.* expreſſam vel tacitam, *cap. ſtatuimus. inf. de regularib.* qui tamen inter adulteros non cenſentur, *can. Quidam 2. 27. diſt.* Nec etiam bigami habentur, qui in matrimonium iterum conſenſerunt, dummodò corporum commixtio non ſit ſecuta, *cap. debitum. hoc tit. opere non ſecuto,* vt loquitur *cap. fin. hoc tit.* Poſtremò inter bigamos *hoc tit.* reputantur, qui duarum ciuitatum Eccleſijs conſcribuntur, vel duo beneficia obtinent, *cap. 10. concilij Chalcedon.* qui enim *ab vna Eccleſia ad aliam tranſeunt, velut quâdam mœchatione id faciunt*, inquit Iuo Carnot. *epiſt.* 154. atque etiam adulterari dicuntur in *epiſt.* 131. quod malum diutiùs viguiſſe in Gallia conqueritur Alexander III. in *cap. 1. de præbendis, in 2. compilatione.*

## *DE CLERICIS PEREGRINIS,*

### TIT. XXII.

ET hic quoque titulus Ordines reſpicit, ad quos peregrini non ſunt admittendi tam priſcis quàm recentioribus Eccleſiæ conſtitutionibus: Peregrini ſunt quos τοὺς ξένους, id eſt *externos* vocat *can. 32. Apoſtolorum* vulgò *alieni* vocantur, qui nempe ſunt ex alia parochia ſiue Diœceſi, *can. 1. diſt. 71. ex aliena cathedra, can. 21. Concilij Mileuit.* nam certũ eſt ſæpiùs parochiã



Digitized by Google

ſumi pro Diœceſi *cap. 15. lib. 4.* Capitularium: ſicut è contrario etiam diœceſim pro parœcia *cap.45. lib.7.* Capitularium, *can. 2. Concilij Tolet. xij.* & *can. 4. Carthag.* 2. vt notabitur *infrà, de Parochijs.* Aliquando diœceſis nomine intelliguntur Primatum vel Patriarcharum ſedes; ſic intelligendus, *can. 9. Concilij Chalced.* vbi Balſamon diœceſim interpretatur, quæ multas ſub ſe habet prouincias, cui præeſt exarchus: imò etiam Summus Pontifex totius vniuerſalis diœceſis, ſiue Eccleſiæ dicitur in *Concilio Arelat. I.* ſed *hoc tit.* de priuatis tantùm agitur, quo cauetur ne vllus Epiſcopus alterius Epiſcopi diœceſanum aſſumat, & ciuem ſui loci faciat, vt loquitur *can, 42. Concilij Africani*, vel inſtituat, *cap. vlt. hoc tit.* vel ad ordines promoueat ſinè literis commendatitijs proprij & legitimi Epiſcopi, aliàs irrita fiat ordinatio, vt ſtatuitur Concilijs Nicæno, Chalcedon. Sardicenſi, & alijs, *can. 1. & ſequentib. diſt.* 71. nec ſtatur iuramento eius qui iurat ſe ordinatum, *cap. 2. hoc tit.* has literas commendatitias differre à dimiſſoriis notat *can.11. Concilij Chalced.* Commendatitiæ dabantur omnibus Chriſtianis peregrinantibus, ne fidei ſuſpicionem ingererēt ijs regionibus ad quas proficiſcebantur, vt conſtat ex D. Paulo 2. *ad Corinthios, cap. 3.* συςατικὰς vocat *can. 8. Syn. Sardicen.* has impius Iulianus inter Gentiles exerceri voluit, τὰ συνθήματα τῶν ἐπισκοπικῶν γραμμάτων, id eſt, *formulas literarum Epiſcopalium*, quaſi ſimia Chriſtianarum obſeruationum, vt hoc figmēto Gentilitiam religionem attollendo alteram deprimeret, vt ſcribit Sozomenus *lib. 5. cap.* 15. & 16. Dimiſſoriæ verò ſolis clericis dabantur, quibus ſignificabatur eos ex voluntate ac dimiſſione Antiſtitis diſceſſiſſe, vt ex decreto Sixti refert Anaſtaſius. Has & pacificas vocabant, quia litem & contentionem inter Epiſcopos tollebant in Ordinibus conferendis, vt notat Balſamon. In eo differentia erat, quòd clerici qui commendatitias haberent, non poſſent ab alio Epiſcopo ſuſcipi, id eſt alienæ Eccleſiæ adſcribi, niſi etiam dimiſſoriæ eſſent adiectæ, vt idem Balſamon ad *can.* 10. *Syn.* 7. Formatæ dabantur Epiſcopis ex ipſius Sixti decreto, de quibus Optatus Mileuitanus, & D. Auguſtinus *epiſt. 163. Nouella* Iuſtiniani 5. imò & ceteris clericis vt plenè Sirmundus ad *epiſt. 3. lib. 6.* Sidonij Apoll. Formatæ dicebantur quòd in his ſigni Epiſcopalis forma impreſſa erat, ſigillo, ſeu bullâ in illis apponi ſolitâ: ideò Græci vocant τετυπωμένην: & licèt ſolius Epiſcopi ſignum ſufficeret, tamen in tranſmarinis quinque Epiſcoporum ſigilla requirebantur, *cap. 1. hoc tit.* Hæ literæ pro qualitate rei, & negotij, varia nomina aſſumunt, dicuntur Tractoriæ, Synodicæ, Circulares, apud Baronium *ad annum Chriſti 142. nu. 6.* Epiſcopi quidem formatas accipere debent à proprio Metropo-

litano *d. can. 8.* Gregor. *epiſt. 8. lib. 7.* quas Epiſcopis ſignificare debebant, vt obtentâ licentiâ eorum prouincias ingredi liceret, & in eis Ordines conferre, & cetera munia pontificalia exercere, *can. 13. Syn. Antioch.* Quod facit ad dubitationem quam plerique mouent, an liceat ſaltem Miſſam celebrare Pontificalem in aliena diœceſi, inconſulto proprio Epiſcopo? Balſamon priuatim quidem poſſe Miſſam celebrare innuit, licèt id verbis expreſſis non aſſerat, ad *can. 20. Syn. VI. in Trullo,* publicè verò minimè: hinc ingens fuit querela olim Ioannis Conſtantinopolitani contra Epiphanium; *Miniſtros,* aiebat, *ordinaſti in Eccleſijs meæ diœceſis, & antequàm tibi à me poteſtas permiſſa, tuâ ipſius auctoritate ſacra myſteria celebraſti;* εἶθ' ὅτι παρ' ἐμοῦ ἐν αὐταῖς ἐλειτούργησας, ſcribit Socrates *lib. 6. cap. 14.* Non diſtinguitur publicè, vel priuatim id actum fuerit; nam & vtrumque ſacris canonibus intelligi credendum eſt. Quam dubitationem diſertiſſimè aperit Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib. 2. cap. 58.* agens de omnibus peregrinis, ſiue laïcis, ſiue clericis, qui ex ſua in aliam parœciam, ſiue Diœceſim conuolaſſent, cum literis commendatitijs: quomodo ſit Diaconus, Presbyter, vel Epiſcopus excipiendus, ſic Epiſcopum loci admonet, ἐρωτήσεις αὐτὸν ὦ ἐπίσκοπε προσλαλῆσαι τῷ λαῷ λόγους διδακτικούς, ἐπιτρέψεις δ' αὐτῷ καὶ τὴν εὐχαριστίαν ἀνοῖσαι. Id eſt, *Rogabis eum, Epiſcope, vt ſermonem habeat ad populum docendi cauſâ, deinde committes ei vt offerat Euchariſtiam.* Addit poſteà, ſi Epiſcopus peregrinus tanquam ſapiens, hunc honorem recuſet, coge ſaltem εὐλογίαν impendat. Qui locus valdè ſingularis eſt, & quem libentiùs refero, quòd hâc tempeſtate etiam in noſtra Eccleſia Toloſana, Epiſcopus quidam ſuffraganeus contra mentem ſui Metropolitani id ius ſibi arrogarit. Vnico tantum caſu id conceſſum fuiſſe videtur extraneis Epiſcopis, qui deſumitur ex *can. 14. Apoſtolorum*, ſi ſit aliqua cauſa rationi conſentanea ad maius lucrum, & bonum οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων. id eſt, *idque non ex ſe, ſed multorum Epiſcoporum iudicio*, quòd quidem iudicium Synodalem permiſſionem interpretatur Balſamon; addítque quendam Epiſcopum ſibi hoc ius voluiſſe arrogare, tum quòd dictus canon pœnam non indixiſſet, tum quòd munus Epiſcopale ſit docere populum, vel dare characterem, quæ ſententia damnata fuit Synodo. Quidam etiam Epiſcopos extraneos poſſe celebrare exiſtimarunt, quoties à populo vocantur, ex *can. 13. Synodi Neocæſarienſ.* quod conſtanter reprobat Balſamon, niſi Epiſcopo permittente κἂν μετακαλῆται ὑπὸ τοῦ ταύτης λαοῦ, id eſt, *etiam ſi ab eius populo accerſitus fuerit.* Quantùm verò attinet ad Presbyteros, Diaconos, & ceteros clericos, certum eſt eos



Digitized by Google

in aliena Eccleſia celebrare, vel adſcribi ſinè dimiſſorijs, & conſenſu proprij Epiſcopi non poſſe *d. can. 13.* ſolum Patriarcham Conſtantinopolitanum hanc prærogatiuam habuiſſe idem contendit ad *can. 10. Syn. VII. Conſtantinop.* Carthaginienſem idem ius habuiſſe refertur in can. *59. Synodi Carthaginienſis.* Sic Archiepiſcopum primæ Iuſtinianæ, ſeu Bulgariæ, *Nouella* Iuſtiniani *132.* Archiepiſcopum nouæ Iuſtinianæ, ſeu Cypri, *can. 39. Synodi VI.* vt ab eodem ex priuilegio fuiſſe indultum refertur, eos παρονομαζίυς ἐπισκόπυς vocatos reperio. Simile priuilegium conceſſum fuit à Zozimo, Arelatenſi Metropolitano, & vt omnibus è Gallia Romam euntibus formatas daret, *epiſt. 5. & 9.* Sed re verâ ſolus Summus Pontifex id habet pleno & ſummo iure, reliqui ex gratia & indulgentia, ſicut etiam id habet præcipuum, ne qui aliquem ordinem ab eo acceperint, ab alijs Epiſcopis ſinè ſpeciali diſpenſatione ad alios promoueri poſſint, vt eſt in *epiſt. 22. lib. 1. Regiſtri* Innocent. III. His addo nec olim Epiſcopis licuiſſe aliquos ſuæ Diœceſis ad clericatum promouere abſque dimiſſorijs, & placitis regijs, quæ, *Præcepta de clericatu*, dicebantur in *cap. 19. lib. 2. formularum* Marculphi, quod etiam continetur in *can. 6. Synodi Aurelianenſ. I.* nec id tam iure, quàm propter neceſſitatem & penuriam hominum, ex crebris bellis imminentem, vt refertur in *cap. 120. lib. 1.* Capitularium; nec enim ſolebant hanc licentiam à principe exigere, niſi qui publicis rationibus, ſeu polypticis cenſiti & inſcripti eſſent, vt eſt apud Flodoardum Rhemenſem, *lib. 11. cap. 5.*

## *DE OFFICIO ARCHIDIACONI.*

### Tit. XXIII.

DE ijs quibus Ordines conferri debeant actum eſt; nunc tranſit ad officium Archidiaconi, qui ordinandorum curam habere debet. Archidiaconus eſt primus Diaconorum apud Hieronymum *epiſt. ad Euagrium.* Archileuita dictus eſt, ſicut Archiepiſcopus, primus, & caput Epiſcoporum, Archipreſbyter Presbyterorum, Archicapellanus Capellanorum in officijs Aulæ Conſtantinopolitanæ. Primus Diaconorum fuit S. Stephanus Patronus noſtræ Eccleſiæ Toloſanæ, cuius officium fuit aſſiſtendi B. Iacobo Apoſtolo, ſicut Timothei Lino & Cleto, Anacleti, & Clementis Petro, in *epiſtola* B. Ignatij *ad Trallianos*, & Laurentij Sixto II. quem ideò dictum fuiſſe Archidiaconum ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita

ipſius Sixti; & ità initio naſcentis Eccleſiæ id factum fuiſſe *caput* 6. Actorum probat, quod confirmat D. Cyprianus, *epiſt.* 64. *Diaconos poſt aſcenſum Domini, Apoſtoli ſibi conſtituerunt, ſui & Eccleſiæ miniſtros.* Septem etiam numero Romæ primus ſtatuit Euariſtus, qui Presbyteris per ſeptem titulos, ſiue Eccleſias miniſtrarent, quos poſteà per titulos etiam, ſiue regiones diuiſit Fabianus; qui numerus & in alijs poſteà ciuitatibus conſtitutus fuit, *can.* 15. *Neocæſarienſis Synodi*, & ex decreto Caij Papæ; horum cura fuit alendorum pauperum per illas regiones, quas, *Diaconias*, vocabant apud Gregorium *epiſt.* 24. *lib.* 9. & paſſim apud eundem Anaſtaſium; inde dicti fuerunt Regionarij, poſteà Cardinales, quòd cardini & cuſtodiæ vnius tituli addicti eſſent. Nec tamen tantùm pauperum alendorum curam Diaconi habuerunt, ſed etiam legendi Euangelium, miniſtrandi altari, prædicandi etiam, apud eundem Gregorium *epiſt.* 44. *lib.* 4. *In Diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis non inſeruiant, quòd ad prædicationis officium, eleemoſynarúmque ſtudium vacare congruebat*: conſequenter omnibus negotijs Eccleſiæ præpoſiti fuerunt. Qui numerus cùm tanto oneri ſupereſſe non poſſet, auctus eſt Romæ, & quatuordecim conſtituti, & eorum officium diuiſum; vt alij prædicantem Epiſcopum cuſtodirent, ex decreto Euariſti qui idcircò teſtimoniales dicti fuerunt. Alij tum in palatio & baſilica Lateranenſi Pontifici celebranti aderant, Palatini ſiue Baſilicarij dicti; alij Stationibus & Litanijs, vel precibus publicis intererant, dicti Stationarij; alij denique pauperum & viduarum neceſſitatibus prouidebant, ac totius cleri victum procurabant, ex fidelium oblationibus, & Eccleſiæ reditibus, qui à Subdiaconis colligebantur, vt ex perantiquo codice Vaticano refert Baronius *ad annum* 1075. *cap.* 19. & Onuphrius. Eandem Diaconorum diſtinctionem ex D. Chryſoſtomo refert Syn. VI. in Trullo, *can.* 16. Quorum omnium antiquior dictus fuit Archidiaconus, quod nomen primis ſeculis fuit inauditum ferè vſque ad Nicænum Concilium, *can.* 58. iuxta editionem Alphonſi Piſani: vſurpatur poſteà à D. Hieronymo, Ambroſio, Gregorio, Leone. In huius autem Archidiaconi defectum, ſequens eius vices ſupplebat, *can. perlectis.* 25. *diſt.* vel is, cui ipſe præcipiebat, *cap.* 2. *hoc tit.* nam Diaconi ſub eius poteſtate erant, quorum ipſe lites & controuerſias componebat; ità & reliqui minores Ordines; quippe Presbyteris altaris ſacrificio intentis, vniuerſum orationis officium, &, quæcũque ad Eccleſiam pertinebãt, diſponebat, ne aliter laïci & ſeculares magiſtratus hanc prouinciã vſurparent, vt eſt in *can.* 57. *dictæ Synodi Nicænæ.* Quæ ratio fuit cur Archidiaconi omnium rerum & cau-

Digitized by Google

ſarum Eccleſiæ perſcrutatores & examinatores quaſi περιοδευταὶ, & circumcurſatores eſſent, *can. 57. Synodi Laodicenæ*, & *can. 14. Synodi Neocæſarienſ.* Quoties enim aliquid gerendum eſſet, ipſis demandabatur, quaſi etiam Miſſis & tabellarijs, qui omnia negotia, epiſtolas, & litteras deferebant; vnde Hermes Archidiaconus delator fuit epiſtolarũ Ruſtici Narbonẽſis ad Leonem Papam *epiſt.* Leonis *92.* Silentiũ Verbi diuini indicebant, *epiſt.* D. Hieronymi *ad Pammachium 61. Archidiacono præcepiſti vt talia diſputãs cõticeſceret*, & paulò poſt: *Quãdo eum per Archidiaconũ tacere iuſsiſti.* Omnium denique negotiorũ promotores erant, & id ius eis conceſſum à primis temporibus vſque ad poſtrema ferè peruenit, vt ex *d. can. perlectis* patet, & ex decreto Innocentij III. in *cap. 7. hoc tit.* Ideò & Alæ Epiſcopi in dicto Nicæno Concilio, atque Oculi Epiſcoporum dicti ſunt ex Ordine Romano *in cap. 1. hoc tit.* Omnis denique honos poſt Epiſcopos ad eos tranſlatus fuit, veluti dalmaticæ vſus, qui primitùs tantum Epiſcopo debebatur ex decreto Syluestri, in *can. 6. Synod. Romanæ.* Et ità factum eſt, vt Archidiaconi officium in ſummam dignitatem verſum ſit, & ex demandata iuriſdictione, quaſi ordinaria ei tributa fuerit, vt conſtat ex Epiſt. Iſidori in *d. can. perlectis.* Ideóque Archidiaconus *ſecundi ordinis Antiſtes* dictus à Sidonio, *epiſt. 11. lib. 4.* & *ſecundi ordinis Sacerdos, epiſt. 25. Antiſtes fuit ordine in ſecundo*: quem locum de Presbytero non eſſe intelligendum contra viri doctiſſimi & religioſiſſimi ſententiam in Obſeruationibus meis oſtendo. Id confirmat Prudentius in *Coronis*,

*Leuita ſublimis gradu, & ceteris præſtantior,*
*Clauſtris ſacrorum præerat, cæleſtis arcanum domus*
*Fidis gubernans clauibus, votáſque diſpenſans opes.*

Omnes quidem Diaconi eandem auctoritatem non habuerunt, ſed primus tantùm, cui prima ſedes poſt Epiſcopum in Eccleſia data eſt ante Presbyteros, *d. can. 57.* Alij erant Diaconi inferioris gradus, quos Diaconos minores, ſeu cõmunes vocabant, ità *lib. de officijs aulæ Conſtantinop.* Archidiaconus, πρῶτος τῶν κοινῶν διακόνων, vocatur: quod factum fuerat propter exceſcentem Diaconorum numerum, vt vult Gloſſ. in *can. Diaconi. 7. diſt. 93.* Et ſicut Archidiaconi Epiſcoporum miniſtri tantùm facti ſunt, ità & reliqui Diaconi Presbyterorum, *can. Diaconi 17. ead.* nec tamen omnes Diaconi eandem auctoritatem habuerunt ſicut primis temporibus, quamuis & ſe Presbyteris maiores eſſe aſſerere auſi fuerint: quippe Archidiaconi, vt ſe curis eximerent, plura reliquis ſibi ſubditis Diaconis demandabant, ſicut primitus Epiſcopi & Presbyteri fecerant: ſolus Archidiaconus τὴν ἱερὰν βίβλον, id

eſt

eſt *ſacrum codicem* legebat, quod poſteà omnibus Diaconis datum eſt, teſte Zozomeno, *cap. 19. lib. 7.* & conſtat dilucidè ex *cap. 2. hoc tit.* & ità parem auctoritatem ſibi arrogarunt, & Presbyteris anteferri, & primas ſedes occupare conati ſunt; de quo conqueritur D. Hieronymus in *can. legimus, diſt.* 93. *cùm non ſic deferri ſacerdotibus viderent, per hoc anteferri ſe putabant* inquit D. Auguſtinus *quæſtione ex vtroque 101.* quos condemnat Nicænum Concilium, *can. Diaconos,* & *can. peruenit,* & Toletanum IV. *can. Nonnulli, diſt. eâd.* Et rurſus omnis illa dignitas ſolis Archidiaconis reſeruata eſt; támque obnixè vt ipſi Presbyteri effici contempſerint, & Presbyteratum veluti quandam degradationis ſpeciem exiſtimarint, vnde tres epiſtolæ D. Gregorij *14. 15. 16. lib. 2.* de Honorato Archidiacono, quem Natalis Epiſcopus ſacerdotem efficere volebat: eiuſdem opinionis fuit P. Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis *epiſt. 123.* vir alioquin pius, ità error hic in animos irrepſerat. Nec ſolùm Presbyteris, ſed etiam Epiſcopis aliquando anteponi voluerunt, & ità eos contempſerunt, vt nec ipſis obedirent, altaria ſibi erigerent, & populum priuatim colligerent, & regerent, *can. 77. Concilij Eliberitan. can. 5. Synodi Antiochenæ,* & *d. can. Diaconos, diſt. 93.* iura denique Epiſcopalia perciperent, ſynodaticum, cathedraticum, auxilia, hoſpitia, procurationes, & alias conſuetudines, *epiſt. 151.* eiuſdem Petri Bleſenſ. bona omnia & reditus Eccleſiæ diſpenſarent contra ſacrorum canonum regulas, vt probat Iuo Carnot. *epiſt. 113.* quos talia, non iure proprio, ſed de mandato, & ordinatione Epiſcoporum facere debere contendit; nec illis ſuffragari epiſtolam Iſidori, nec Ordinem Rom. in quibus nominatim Epiſcopi iuſſio deſideratur, quam tamen ipſi ſpernebant & auaritiâ moti etiam ius dicebant, D. Ambroſius in *cap. 18. Apocalyp. Eſt & aliud ſcelus valde peſſimum, quod ab ijs qui Archidiaconi vocantur committitur; nam ab adulteris Presbyteris pretium accipiunt, & tacendo malum conſentiunt, quod per auctoritatem, quam ab Epiſcopis acceperunt, emendare poſſent.* Eorum autem potentiam altiùs quàm par fuerat euectam, poſteà non niſi difficilè Epiſcopi frænare potuerunt, ideò dubiam & incertam fuiſſe, & de ea dubitaſſe profitetur Innoc. III. iuris alioquin peritiſſimus, nec aliundè eam haurit, quàm ex Ordine Rom. in *cap. 1. hoc tit.* & ex epiſt. Iſidori in *d. can. perlectis*, vt expreſsè reſpondet in *cap. Ad hæc,* hoc tit. *Conſuluit tua fraternitas, quid ad officium Archidiaconi pertineat, nos prout poſſumus reſpondemus.* Atque his potiſſimum fretus teſtimonijs docet Archidiaconum eſſe oculum & Vicarium Epiſcopi, cui omnis ſolicitudo Eccleſiæ incumbat, clericos in Eccle-



Digitized by Google

ſijs inſtituat, viſitet, ſuſpendat, excommunicet, iudicet, abſoluat, & ſolo ſit minor Epiſcopo, imò ſit ſecundus Epiſcopus, ad quem totus labor deueniat, inſignibus apud Epiſcopum tantum remanentibus, vt ait Sidonius, *dicta epiſt.* 11.

*Ille inſignia ſumpſit, hic laborem.*

Dignitates & officia Eccleſiaſtica cum imperio & iuriſdictione, Græcis ἀρχοντίκια anſam præbuerunt, vt ſe paſſim Vicarium Epiſcopi aſſeruerit, eò quòd Patriarchæ & Metropolitani vices gereret, temporibus quibus magis quàm noſtris ſupra ſuffraganeos Epiſcopos eminebat, vt videre licet apud Zonaram & Balſamonem in *can. 6. Synodi VI. in Trullo*, & *can. 39. Synodi Nicænæ*, iuxta editionem Turriani: & inde factum eſt, vt is Archidiaconus primas ſedes occuparit ſupra omnes Presbyteros, vt hodie paſſim videmus, licèt non vbique id probatum fuerit; ideò Balſamon diſtinguit, vt non in ſacro tribunali, ſacrificij & orationum tempore, nec aliàs antecellat; niſi tunc demum cum extra Eccleſiæ limen propter aliqua negotia Epiſcopi vices gerit. Igitur ex his omnibus certum ius ſtatuere debemus, Archidiaconum iure proprio non eſſe oculum & Vicarium natum Epiſcopi, ſed quatenus ei ab Epiſcopo permittitur; quippe à primis Eccleſiæ cunabulis nihil potuit, niſi vt miniſter, *cap. 4. & 5. hoc tit.* Hodie verò quatenus conſuetudo indulget; eâdem ratione quâ olim *Chorepiſcopi, Archipresbyteri, & Vicedomini, Epiſcoporum Vicarij dicebantur*, in Capitularibus Caroli M. & Calui, & alibi paſſim. Ideò Gregorius, cuius iuſſu Decretalium corpus compilatum eſt, omnia hæc non aliundè, quàm ex conſuetudine metitur: locus eſt inſignis in *cap. dudum. de elect.* quod confirmant omnes Gloſſographi in *d. cap. Ad hæc.* in primis nulla datur Archidiacono iuriſdictio, niſi in ſuo Archidiaconatu, quantùm præbet conſuetudo; vel ex ſtatutis cuiuſque Eccleſiæ, quæ vim & auctoritatem ab Epiſcopo ſumpſerunt; ità fit in præſentatione & inſtitutione Eccleſiarum, *cap. 4. & vlt. hoc tit.* quam, quoties eâ vtuntur ad Epiſcopum referre debent, qui confirmandi, vel infirmandi ius habet, *can. omnes baſilicæ, & ſeq. 16. q. 7.* Arnulphus *epiſt. 27.* ad Alex. Papam, agens de electione Archipresbyteri, *cùm ab Archidiacono facta ad Epiſcopale de conſuetudine referatur arbitrium, eúmque poteſt auctoritate ſuâ, niſi fuerit idonea reprobare.* Nulla quoque viſitatio, excommunicatio, ſuſpenſio, abſolutio Archidiacono competit, niſi ex conſuetudine, *cap. 1. infrà, de eo qui furtiuè Ordines ſuſcepit*; vel quoties curam habet animarum, *cap. cùm in cunctis. ſuprà, de electione*, & ità intelligendum *cap. 3. infra, de offic. iud. ord.* quam diſtinctionem probat Concilium Triden-

tinum, & eum tantùm Vicarium Epiſcopi ſuſtinet, qui curam habet animarum, *cap.* 12. *ſeſſ.* 24. non verò alios qui nec iuriſdictionem, nec curam habent animarum, quos nec Doctores, nec Licentiatos, ſicut illos, eſſe oportet, vt declarat Congregatio. Vnde ius certum ſtatuere debemus, Archidiaconos ex vi ſuæ dignitatis nihil tale habere, niſi quatenùs anteà eis conceſſum eſt: quod verba Concilij demonſtrant in *cap.* 3. *eiuſd. ſeſſionis*; *Vbi hactenus viſitationem exercere legitimè conſueuerunt.* aliàs iure communi receptum Archidiaconos nuſquàm dici Vicarios, niſi vnico caſu, abſentibus Epiſcopis, & nullo Vicario conſtituto, vt quidam Doctores cenſent, quod neque ego verum eſſe exiſtimo; imò potiùs ad Capitulum totum ius deuolui, ſicut fit ſede vacante; Gloſſa in *cap. vn. de maior. & obed. in 6.* & Doctores in *cap. eam te. de reſcript.* hæc fuſiùs tracto, tum propter crebras hodie exortas contentiones in quibus variè ius noſtrum torqueri expertus ſum; cum quòd eâ dignitate functus aliàs ſim.

## *DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI,*

### Tit. XXIV.

POST Archidiaconum proponitur Archipresbyter, primus Presbyterorum, primas tenens poſt Epiſcopum, qualem fuiſſe Petrum quēdam in Eccleſia Alexandrina, πρωτοπρεσβύτερον dictum refert Socrates *lib. 6. cap.* 9. Nou. Iuſtinian. 123. quòd in his quæ ſpectant ad diuinum officium vices agat Epiſcopi, *cap. 3. hoc tit.* & hâc ratione Archidiacono anteponatur apud D. Hieronymum *epiſt. 4. ad Ruſticum.* Decanus etiam vulgò appellatur in *can. 2. diſt.* 60. *cap. 7. ſuperioris tit.* quia præeſſe decem ad minus Presbyteris debuerat, ad exemplum decani militaris apud Vegetium, *lib. 2. cap. 13.* & ipſemet eſſe debet Presbyter, ſicut Archidiaconus eſſe debet Diaconus, *can. 1. & ſequentibus, diſt. 60.* Nomine Presbyteri olim parochi intelligebantur, *can. 6. Concilij Chalcedon. can. 12. Synodi Sardicenſ.* qui quidem à D. Petro fuerunt inſtituti viginti quinque in vrbe Roma, & creſcente Chriſtianâ religione, paſſim, non ſolùm in ciuitatibus, ſed etiam villis, vt ex Damaſo & Anaſtaſio conſtat. Statutis ergo Presbyteris in minoribus ciuitatibus, & villis qui curam populi haberent, ne Epiſcopi nimijs occupationibus & curis implicarentur, inter eos Presbyter vnus conſtitutus eſt, qui ceteris præeſſet, quem Corepiſcopum vulgò dixerunt, ſiue *periodeutam*, id eſt,



Digitized by Google

diſcurſorem & viſitatorem, qui obſeruare debebat, *τὰ ψυχικὰ σφάλματα*, id eſt, *animarum delicta*, ait Balſamon ad *can.* 57. *Synodi Laodicenæ.* Vnde colligere licet in ciuitatibus in quibus erat Epiſcopus, munus præcipuum fuiſſe Epiſcoporum Miſſas coram populo celebrandi, ſicut Corepiſcoporum, & Presbyterorum in reliquis ſiue vrbibus, ſiue villis, & pagis. Hi Corepiſcopi, quia nimiam ſibi auctoritatem arrogabant, & nominis affinitate iura Epiſcopalia inuadebant, de medio fuere ſublati circa Caroli Magni tempora, vt ipſemet contigiſſe refert in *cap.* 119. *lib.* 6. & *cap.* 318. *lib.* 7. Capitularium; quamuis anteà reiecti fuiſſet à Damaſo, vt eſt in *ep.* 5. His ſucceſſerunt Archipreſbyteri, qui curam haberent aliorum Presbyterorum, ſiue plebanorum, & horum negotia ad Epiſcopum, vel Archidiaconum deferrent, *cap. vlt. hoc tit.* & *cap.* 7. *ſuperiori tit.* Hi vulgò etiam Decani rurales dicti ſunt, ad differentiam ciuitatenſium; nam in ciuitatibus & Epiſcopatibus eſt Decanus, ſiue Archipresbyter, qui, vt dixi, vices agit Epiſcoporum, in his quæ Miſſæ ſacrificium, Cõfirmationem, Confeſſionem, Baptiſmum, & Euchariſtiæ miniſterium ſpectant, *cap.* 3. *hoc tit.* quæ omnia ſuâ origine ab Epiſcopo expediebantur. Hi Presbyteri initio Eccleſiæ in vrbe Roma dicebantur Presbyteri Cardinales, quòd numero aucto per titulos, ſiue cardines diuiſi eſſent, ex decreto Anacleti apud Damaſum. His etiam cura fuit in defectum Archidiaconorũm, pauperes alẽdi, atque etiam bona Eccleſiæ diſpẽſandi *τῶν κυριακῶν χρημάτων καὶ πτωχικῶν* apud Balſamonem in *can.* 14. *Synodi Neocæſarienſis.*

## *DE PRIMICERIO.*

TIT. XXV.

AGITVR hoc tit. de Primicerio, qui ſubeſt Archidiacono, & conſequenter de alijs officijs. Primicerius ſtrictè hîc ſumitur, non ex vera & genuina ſignificatione, quæ primam & præcipuam cuiuſcunque conditionis dignitatem denotat: nam & Archidiaconus dici iure poteſt primicerius Diaconorum, Archiſubdiaconus Subdiaconorũ, Archipresbyter Presbyterorum in libris Romani Ordinis, ideò ſanctum Stephanum, *primicerium martyrum*, vocat diuus Auguſtinus, *ſermone* 21. quia is primicerius dicitur, qui eſt ὁ *μέγας*, magiſter & primus in aliquo ordine. Similiter apud Codinum in officijs aulæ Conſtantinopo-

litanæ dicitur primicerius aulæ lectorum, notariorum, iudicum, defenſorum; idem eſt primiſcrinius, prior ſcrinij, ſeu princeps apud Lampridium *in Seuero*; & paſſim in Codice Theod. primipilus, Centurio primæ cohortis, *l. 1. C. de primipilo*, quaſi primus Dominus, πριμικήριος apud Suidam; Primiclerus in concilio Emeritenſi, ſed rectiùs Primicerius, qui primus in matriculam, in tabulas, in ceram relatus ſit, *can. perlectis. 25. diſt.* quia tabulæ appenduntur paſſim in Eccleſijs in quibus nomina omnium clericorum continentur, quæ olim erant ceratæ, quò faciliùs diſpungi & immutari poſſent: ſic apud Iuriſconſultos erant tabulæ teſtamentariæ, quæ & ideò primæ ceræ, & ſecundæ ceræ dicuntur apud Paulum *5. ſentent.* & Iuſtinianum, *tit. de pupill. ſubſtit.* Vitruuium, *lib. 4. cap. 2. Tabellas formatas fixerunt, & eas cerâ cæruleâ depinxerunt.* Sed quis in hoc tit. primicerius intelligatur dubium eſt, vulgò Præcentorem, ſeu Cantorem exiſtimant plerique ex *d. can. perlectis*, in quo munus eius eſt officia diuina diſponere, ordinem & modum pſallendi in choro ſtatuere. Sidon. *epiſt.* 10. *lib. 4.*

*Hic ſolennibus annuis parauit*
*Quæ quo tempore lecta conuenirent.*

Quem locum viri docti referunt ad munus Cantoris, quod vix exiſtimem, quia illic Sidonius hoc tribuit Archidiacono, ſiue ſecundo Epiſcopo, quod & congruit cum *cap. Ad hæc. ſuprà, de offic. Archidiaconi.* Vt vt ſit eum qui cantui præeſt Primicerium hoc loco intelligunt plerique, quem *canonarchem* vocat Dorotheus, *doctrina 11.* & Codinus: *canon* ſiquidē accipitur pro cātico ſeu pſalterio apud Etymologici authorem, κανὼν, ὁ τῆς ὑψώσεως τȣ͂ ςαυρȣ͂, id eſt, *hymn. qui canitur in feſto Exaltationis ſanctæ Crucis*, & κανὼν νεκρόσιμος in feſto Paſſionis, apud Gennadium *cap. 3. de Purgatorij igne.* Hæc autem tribuuntur primicerio ſecundariò, Archidiacono verò primariò, vt rectè annotauit Gloſſa in *cap. vnico, hoc tit.* Et ſicut Epiſcopus, & poſt Epiſcopum Archidiaconus in alios, qui perſonatum vel dignitatem gerunt imperium habet; ità hic Primicerius ſucceſſiuè: quo fit vt propriè non habeat plenam & perfectam iuriſdictionem, cùm referendi ad ſuperiorem neceſſitatem habeat, modicâ contentus diſtrictione in clericos tantùm minores, vt nominatim notatur in *d. can. perlectis*, in quo frequenter clerici diſtinguntur à Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis. Quinetiam ipſe Cantor ex illo ordine præcipuè lectorum ſumebatur, vt conſtat ex Curopalata, & ex Simeone Theſſalonicenſi Archiepiſcopo, *lib. de templis ſacerdotum*, & ex Innocentio III. *lib. de myſterijs Euangelicæ legis cap. 3.* Vocatur autem Cantor ſæpiùs Magiſter ſcholarum, & caput ſcholæ



Digitized by Google

In Eccleſijs duæ erant ſcholæ;vna Cantorum, puerorum, & minimorum clericorum, qui diuino cultui mancipati, pſallendi modum, cantum & minores literas ediſcebant:Capitulari *72. lib. 1. Schola*,inquit, *legentium puerorum, pſalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam, per ſingula Epiſcopia diſcant.* Cantandi enim munus & pſallendi penès Preſbyteros & Diaconos non erat, ſed Subdiaconos, tunc dumtaxat cùm Subdiaconatus non eratO rdo ſacer, ſed inter reliquos minores habebatur, *can. 1.* & *can. in ſancta. 92. diſt.* ex veteri & primæuo Eccleſiæ inſtituto; ad exemplum Dauidis qui cantores inſtituit coram arca fœderis, inter quos præcipui erant Heman, Aſaph, Etham 1. *Paralip. cap.* 6. omnium primus fuit Heman, cuius vices tenere Primicerium, ſeu ſcholæ magiſtrum docet Innocent. III. *eod. lib. cap. 6.* Eundem *Phonaſcum* vocat Sidonius *epiſt.* 11. *lib. 4.* & *Præcentorem* D. Baſilius epiſt. *63.* ἔπειτα πάλιν ἐπιτρέψαντες ἑνὶ κατάρχειν τοῦ μέλους, οἱ λοιποὶ ὑπηχοῦσι; *Vni id muneris datur, vt quod canendum eſt prior ordiatur, reliqui ſuccinant.* Fortunatus *3. Poëmatum*,

*Clericus ecce choris reſonat, plebs inde choraulis.*

Altera ſchola erat eorum, qui Theologiæ, & rebus ſacris operam dant, cui præeſt is quem nunc Theologum dicimus, qui potiori titulo dicitur Primicerius, & diſtinguitur à Cantore in *cap. conſtitutis. infrà, de appellationib.* de quo in Concilio Meldenſi *cap. 35. Vt quiſque Epiſcopus iuxta ſe habeat, qui de fide & obſeruatione mandatorum Dei, & prædicationis doctrina Presbyteros plebium aſſiduè inſtruat & informet.* quam inſtitutionem Alexander III. generalem fecit in Concilio Lateranenſi *cap.* 11. & demum Concilium Tridentinum. Harum ſcholarum meminit D. Hieronymus *lib. de illuſtrib. Scriptorib.* ſcholæ Antiochenæ, in qua floruit Lucianus Presbyter; & ſcholæ Alexandrinæ in qua floruerunt Clemens, Origenes, Pantænus & alij. Ex quibus non ſemper per Primicerium, per caput ſcholæ, ſeu Scholaſticum, Cantorem ſeu Præcentorem intelligi debere conſtat: nam & aliquando eodem nomine Cancellarius accipitur, qui in Primicerij locum ſucceſſit, vt in Eccleſia Tornacenſi apud Innocentium III. *lib. 1. Regiſt. ep. 115.* Et in Eccleſia Aurelianenſi, ac Bituricenſi, vt docet Cuiacius ad *caput, Apoſtolica. de his quæ fiunt à prælatis*: ſed de Cancellario aliàs. Hinc verò Primicerium, Scholaſticum, ſeu Cantorem dignitatem meram non habuiſſe dicendum eſt, ſed potiùs perſonatum, ſeu officium: quod ex conſuetudine Eccleſiarum petendum eſt *cap. cùm olim. ſuprà, de conſuetudine*, ſi legatur integrum, vt eſt in antiqua compilatione.

Digitized by Google

## DE OFFICIO SACRISTÆ,

### Tit. XXVI.

INTER officia que ſubſunt Archidiacono eſt Sacriſta, idem qui Theſaurarius, qui cuſtodit omnia vaſa ſacra, τὰ κειμήλια vocat Balſamon ad *can. 12. Synodi 7. Conſtantinop.* inde dictus κειμηλιάρχης, atque *Capitiarius* apud Fulbertũ Epiſcopũ Carnotenſ. *epiſt. 103.* & paſſim in *Conſuetudinib. Floriacenſib. & regulis monachorum*, σκευοφύλαξ apud Codinum *lib. 1.* inter officia Eccleſiæ Conſtãtinop. & in Græcis Lexicis forſan à vocabulo *Capis*, quod vas ſacrum ſignificat apud Liui, *lib. 10.* & Varronem: Græcis dicitur καπίθη apud Pollucem *lib. 4. cap. 24.* Nec ſolùm vaſa & ornamenta ſacra, ſed etiam acta omnia, inſtrumenta, & priuilegia, quibus feuda, & beneficia, & reliqua omnia iura continentur ſub Sacriſtæ, ſeu Theſaurarij manu remanere debent, vt docet Innocent. III. *epiſt. 57. lib. 1. Regiſtri*, cuius pars inſerta eſt in *cap. 10. infrà, de pœnis.* Ideóque propter huius officij maximam & ingentem curam, & continuam reſidentiam, quæ ab eo requiritur, dignitatis honore decoratur apud eundem Innocentium III. *epiſt. 276. eiuſdem lib.* In hoc porrò titulo, nî fallor, Sacriſtæ nomen ſumi debet, vtpotè merum & ſimplex officium, quod dependet à Cuſtode, ſeu Theſaurario vberiùs ſumpto, prout eſt altior dignitas in *tit. ſequenti*: ità vt hoc loco Sacriſtæ munus ſit præparare veſtimenta ſacra, & altaria, luminaria Eccleſiæ: reliqua verò quæ ſunt maioris ponderis, vtpotè Reliquiæ, ſacra vaſa, & cetera quæ non quotidie, ſed diebus ſolennibus exhiberi ſolent à cura & ſolicitudine Cuſtodis dependent.

## DE OFFICIO CVSTODIS,

### Tit. XXVII.

HIC ſumere iuuat Cuſtodem, vt amplam & egregiam dignitatem; tres enim columnas eſſe docet in Eccleſia Concilium Toletanum, *cap. vlt. hoc tit.* Archidiaconum nempe, Archipresbyterum, & Cuſtodem; hic de illorum conſenſu & auctoritate oblationes & eleemoſynas diſtribuere debet, quod Rodericus Hiſpanus

in *Speculo vitæ humanæ,cap. 16. lib. 2.* docet. Imò in quibuſdam Eccleſijs tanti ponderis habetur hæc dignitas, vt præter ornamenta & priuilegia Eccleſiæ, regij diadematis cuſtodiam gerat, quam ob cauſam idoneæ perſonæ conferri debet, ne per negligentiam *honor patriæ de corona aliquam læſionem ſuſtineat*, ait Innocent. III. *epiſt. 489. lib. 1. regiſtri.* Corippus *lib. 4.*

*Gratior auguſti ſeruans pia gaza ſacelli.*

Vnde vocatur Sacellarius, vt quidam exiſtimant, ſed veriùs à Sacello, vt Baronius probat ex *epiſt. 27.* Gregorij, *lib. 12. ad annum 595.* & hinc vocatur etiam Saccularius, à ſacculo, ſeu paruo ſacco; ſaccus enim publicus denotat ærarium, idem quod fiſcus eſt apud Iſidorum *lib. 1. cap 20.* *Ceſtularius* quaſi ciſtularius in veteribus gloſſis. In Eccleſia Conſtantinopolitana non longè à Cuſtode, ſeu Theſaurario erat Chartophylax: duo erant Chartophylaces, vnus archiuis Eccleſiæ præerat,& os,& dextera Patriarchæ, ϛόμα, ϗ χεὶρ τȣ̃ πατριάρχȣ vocatur;ſigillum eius quoque cuſtodiebat, quod ſolebat in pectore geſtare, vt ex Balſamone refertur, & ex Ioanne Epiſcopo Citri. Alter tabulas redituum Eccleſiaſticorum aſſeruabat, & expenſarum rationes conficiebat; ſed de his non eſt certi quippiam ſtatuendum, propter varias Ecſiarum conſuetudines, ad quas omnia hæc officiorum & dignitatum iura ſemper referre debemus, vt nominatim Gloſſa profitetur: nam & Cuſtodi ea omnia quæ & Archidiacono, Archipresbytero, & Primicerio tribuuntur, defert *cap. 2. huius tit. in 1. compilatione*: licèt enim iſte Cuſtos, columna Eccleſiæ vocitetur,non tamen pari fulget dignitate cum Archidiacono, cuius eſt propriè mandatorum executor, &, ſi negligens in munere ſuo fuerit, ab illo diſtringi debet, *cap. 1. hoc tit.* In noſtra Eccleſia Toloſana quatuor ſunt Cuſtodes, qui inter minores clericos & ſeruitores conſtituuntur, quales ſunt quos *baſilicantes* vocat canon *perlectis. 25. diſt.*

## DE OFFICIO VICARII,

### TIT. XXVIII.

QVVM de officijs & dignitatibus actum ſit, de Vicarijs eorum tractandum eſt conſequenter. Vicarios omnes habere poſſunt qui dignitate aliquâ, vel officio funguntur. Imprimis Summus Pontifex in *cap. 6. infrà, de præſentationib.* Vicarium ſuum in Sicilia conſtituit, quod refertur ad temporalem iuriſdictionem, licèt de mandatis

mãdatis cœleſtibus loquatur,quæ diu ad Sũmum Pontificem pertinuit, donec ab Hiſpanis partim vi,partim dolo erepta eſt.Idem eſt de Vicario in ipſa vrbe Roma,abſente Summo Pontifice,in *cap. 5.hoc tit.* Similiter Epiſcopi habent ſuos Vicarios,quos ad nutum inſtituunt, & deſtituunt, quamuis ſummo iure, & antiquo Eccleſiæ ſtatu Archidiaconus eſſet Vicarius Epiſcopi, & ſępius ipſe ſuum Vicarium haberet, quam iuriſdictionem exercebat proprio iure ex prærogatiua ſuæ dignitatis, inuito Epiſcopo, *cap. ad hæc. infrà, de exceſsib. prælat.* & per appellationem lis deuoluebatur ad Epiſcopum, *cap. Romana. §. ab Archidiaconis. de appellationib. in 6.* in quo Cuiacius minùs prouidè carpit Innocentium IV. & imperitiæ arguit, quòd ab Archidiaconis immediatè ad Archiepiſcopum appellari non poſſe dicat,ſed ad Ordinarium, eò quòd ab Archidiacono, vtpotè Vicario, ad eundem dirigatur appellatio contra iuris regulas, quod probatur ex *cap. penult. infrà, de noui operis nunciat.* Latiùs hac de re in Obſeruationibus meis. Hæc regula ſumenda eſt ab officialibus ſeu Vicarijs, quibus ab Epiſcopo iuriſdictio demandata eſt: non poſſe ad Epiſcopum prouocari, ne ab eodem ad eundem lis deuolui videatur,ſicuti ad Prætorem ab eo cui Prætor iuriſdictionem demandauit, lis redire non poteſt,*l. 1. §. 1. quis & à quo appelletur.* Ab officialibus verò Archidiaconorum, vel aliorum qui ex dignitatis ſuæ priuilegio id obtinent, ſinè dubio ad Epiſcopum deuoluetur appellatio, niſi aliud priuilegium vel conſuetudo ſuadeat, quæ mens eſt Innocentij in d. Concilio Lugdunenſi, *cap. 1. de appellationib. in 6.* Et licèt olim Archidiaconi vices Epiſcoporum agerent, hoc hodie locum non habet, niſi tum demum cùm iuriſdictio demandata eſt,& tunc non poſſunt ſuos Officiales habere, quia Vicarius non poteſt alium ſinè expreſſa licentia ſibi ſtatuere, *cap. Clericus.hoc tit.*licèt per ſe poſſit exſequi quæ ſunt iuriſdictionis ordinariæ, *cap. Petitio. infrà, de procuratorib.* vt fuſiùs in Obſeruationibus oſtendi. Et ità ex ſuprà dictis, Vicariorum duo genera dignoſcimus; vnum eorum qui naſcuntur, alterum eorum qui fiunt. Eſt & tertium, eorum nempe quibus Eccleſiarum cura committitur, qui quidem Presbyteri eſſe debent, quia animarum cura eis imminet, *cap. vlt. hoc tit.* ideò nec vnus varias poteſt vicarias exercere,*cap. 1. & 2. hoc tit.* multò magis ſi Vicarius ſit perpetuus, & in aliqua Eccleſia inſtitutus, *cap. Ad hæc.hoc tit.* qui tamen ius perſonatus, vel plebani ſibi arrogare non poteſt, *cap. illud. infrà, de exceſsib. prælat.* olim tales Vicarios potuerunt habere plebani, quibus ſuarum Eccleſiarum curam committerent, quòd vetat Innocent. III. in Concilio Lateran. *cap. 32.* niſi

tunc demum cùm Eccleſia parochialis cuidam præbendæ, vel dignitati, Monaſterio, aut Collegio annexa eſt, *cap. Exſtirpandæ, infrà, de præbend.* Atque his Vicarijs congrua fructuum portio, quibus ſuſtentari, atque Eccleſiæ onera ſuſtinere valeant aſſignari debet, *d. cap. ad hæc*, & *cap. de monachis. infrà de præbend.* qui ſemel inſtituti temerè, repelli non poſſunt, niſi cauſâ à iudice cognitâ, *cap. 2. infrà, de ſupplenda negligentia prælat.*

## DE OFFICIO, ET POTESTATE *iudicis delegati*,

### TIT. XXIX.

DE Vicario dictum, nunc de Iudice delegato. Inter vtrumque magna eſt differentia; quippe Vicarius vices agit in omnibus eius à quo conſtitutus eſt, ità vt omnem iuriſdictionem aſſequatur, & idem conſiſtorium faciat cum Epiſcopo, *cap. 2. de conſuetudine, in 6.* non ità iudex delegatus, qui nec imperium, nec iuriſdictionem habet, *l. 4. C. Quomodo, & quando iudex*; ſed cauſæ tantùm cognitionem, non verò executionem ſuæ ſententiæ, *l. à Diuo Pio. ff. de re iudicata. l. 1. §. vlt. Quis, & à quibus appelletur*, quia non eſt magiſtratus; & quoties in iure dicitur iudices iudicatum exſequi, intelligendum eſt de magiſtratibus: nam & omnes magiſtratus paſſim iudices dicuntur; licèt olim perrarò iudicarent, donec. Diocletiani Imperatoris conſtitutione iudicare, ſeu ius dicere iuſſi ſunt, ſublatâ iudicis dandi facultate, niſi in cauſis leuioribus, & cùm grauioribus negotijs occupabantur, *l. 2. & vlt. C. de pedaneis iudicib.* Porrò diſtinguendum eſt inter delegatos à principe, & alios: nam delegati à principe poſſunt iudicem dare, non alij: *l. à iudice. C. de iudicijs.* Ideò & Adſeſſores ſibi adſciſcere poſſunt, *Nouella* Iuſtiniani *60.* Iure Canonico aliud eſt, ſiquidem delegatus qui habebat merum, & mixtum imperium, olim poterat quomodocumque ſubdelegare, *cap. Paſtoralis, hoc tit.* non ità iure nouo, ſed tantùm eæ perſonæ quibus ipſe Papa committeret, *cap. ſtatutum. de reſcriptis, in 6.* quales ſunt qui dignitatibus, & perſonatibus inſigniuntur, qui magiſtratus Eccleſiæ habentur, τὰς ἐκκλησιαςικὰς ἄρχοντας καὶ προσώπους vocant Græci, ad differentiam publicorum, quos πολιτικὰς vocant, id eſt locales magiſtratus, & externas potentias, *can. 5. Synodi Antiochenæ.* Dignitate igitur præditi poſſunt ſubdelegare, & tunc ſubdelegatus non

Digitized by Google

habet omninò amplam & liberam iuriſdictionem, ſed circa articulos ſibi commiſſos reſtrictam, ſicut merus executor, *cap. ſuper. 27. hoc tit.* niſi delegatus vices ſuas ei commiſerit, *cap. 2.* & Doctores in *cap. Ex litteris, hoc tit.* Aliquando delegatus à principe non poteſt ſubdelegare, veluti quando plures delegati ſunt, & vnus impeditus alium ſubdelegare vult, & ei ſuas vices committere: quod locum habet quoties clauſula hæc adiecta eſt, *ſi non omnes poſſunt de cauſa cognoſcere, vnus poterit ſolus, cap. coram. 34. hoc tit.* quia penès vnum, totum iudicandi munus remanet, *cap. licèt. 30. hoc tit.* ſicut etiã ſi vnus delegatus moriatur, ſuperſtes poteſt cognoſcere in vim ipſius clauſulæ, *cap. Vno. 42.* & *ſequenti, hoc tit.* Delegatus etiam ſubdelegare non poteſt, quoties electa eſt perſonæ induſtria, *cap. fin.* vel ſi inquiſitio fieri debeat criminum quæ eſt meri imperij, *l. 1. ff. de officio eius cui mandata eſt iuriſdictio*, iure ſcilicet ciuili; nam hoc noſtro, Doctores admittunt ea quæ ſunt meri imperij poſſe ſubdelegari, *cap. Venerabili, hoc tit.* Porrò delegati officium finitur ſimulatque ſententiam tulit, nam pòſt nullam cognitionem habere poteſt, niſi meram executionem, *l. ſi vt proponis*, & *l. penult. C. de executione rei iudicatæ*: & hæc executionis vis annum durat, *cap. Quærenti, hoc tit.* & licèt poteſtas cognoſcendi exſpirauerit, non tamen exſequendi, *cap. ex literis*: quia terminus cognoſcendi cauſæ deciſionem reſpicit, non executionem; imò quamuis litis terminus exceſſerit, prorogatur tamen ex conſenſu partium *cap. ſuper eo. 2. infrà, de appellat. cap. de cauſis. hoc tit.* nec cenſetur delegatus officio ſuo functus, donec ſententiam tulit, & executioni mandauit, *cap. in literis.* Sunt quidem aliæ cauſæ quibus officium delegati vel impeditur, vel exſpirat, impeditur per recuſationem, *cap. cauſam. hoc tit. cap. licèt, infrà, de foro compet.* per appellationem, *cap. vt debitus, infrà, de appellat.* per reuocationem, ſicut & delegatus qui commiſit vices ſuas re integrâ poteſt reuocare ſubdelegatum, *cap. venerabili. hoc tit.* Exſpirat morte eius qui delegauit, dummodò nec lis cœpta, nec citatio vlla facta fuerit, *cap. gratum. 20. hoc tit.* morte delegati, ſi nominatim perſonæ delegatio facta fuit, non ſi dignitati, proprio nomine non expreſſo, tunc cauſæ cognitio tranſit ad ſucceſſorem, *cap. Quoniam*; quia dignitas nunquam perit, & defunctus cum ſucceſſore facit eandem perſonam. At delegatio facta nominatim, non excedit perſonam, nec vlteriùs extenditur: & in eo magna eſt differentia inter delegatum, & ordinarium; quòd prorogatio iuriſdictionis in ordinario multis modis fiat de conſenſu partium, termino finito,

L 2

Digitized by Google

*cap. de cauſis, hoc tit.* de vna re ad aliam, *cap. cùm olim 1. hoc tit.* de perſona ad perſonam, *cap. 1. infrà, de alienatione iudicij mut.*

## DE OFFICIO LEGATI,

### Tit. XXX.

DE iudice ad certam cauſam delegato actum eſt ſuperiori titulo; hoc verò agitur de legato cui iuriſdictio generalis committitur: tum etiam ſuprà de iudice delegato, non ſolùm à Summo Pontifice, ſed à quouis magiſtratu Eccleſiaſtico. In hoc de legato tantùm Sedis Apoſtolicæ, quem triplicis eſſe generis conſtat: ſunt enim quidam ſedis Apoſtolicæ legati, non ex ſpeciali & nouo mandato, ſed loci priuilegio, vel prouinciæ cui præſunt, iure ordinario à ſede Apoſtolica indulto, vt in *cap. 1. & cap. Excommunicatis. hoc tit.* vel potiùs hunc legationis honorem ex pallio ſibi dato vindicant: certum enim eſt pallij priuilegium ſecum vices Sedis Romanæ attrahere. Quod tamen verum non eſt omnino; licèt enim pallij datio plenitudinem conferat poteſtatis, & vices Apoſtolicas ſecum trahat; tamen qui id habent legati iure & nomine vti non poſſunt, niſi ex gratia ſpeciali, imò & legati maiorem habent iuriſdictionem, quàm qui pallio decorantur; ſiquidem ad legatos natos, vt vocant Doctores, cauſæ cognitio immediatè poteſt deuolui omiſſo medio, & cum quolibet Ordinario, Epiſcopo, Archiepiſcopo, Primate in ſua prouincia exiſtente; & hoc eſt quod dicit Alexander III. in *cap. 1. hoc tit.* Alij verò pallium habentes, ſiue ſint Patriarchæ, ſiue Primates, ſiue Archiepiſcopi non concurrunt cum Ordinario, nec de cauſis aliorum poſſunt cognoſcere, niſi per appellationis viam, vt eſt in *can. Nullus. can. conqueſtus 9. q. 3.* Quam differentiam ſtatuunt omnes Doctores inter hos & legatos quos vocant natos; quibus in quibuſdam prouincijs hoc ius peculiariter inditum eſt, vt Prelati naſcantur legati: Tales ſunt Cantuarienſis, & Eboracenſis in Anglia, Rhemenſis & Arelatenſis in Gallia, Piſanus in Italia, & alij plerique vt ſcribit Innocentius IV. in *cap. Volentes, hoc tit.* Alij ſunt legati qui non naſcuntur, ſed fiunt, & in aliquam prouinciam mittuntur, qui quidem non ratione Eccleſiæ aut prouinciæ cui præſunt, ſed ratione perſonæ legationem ſuſcipiunt, *cap. Mandata. infrà, de præſumptionib.* quorum quidem dignitatem maiorem eſſe quàm aliorum contendit Panormitanus in *cap. Excommunicatis. hoc tit.* quod vix ego verum

exiſtimo, niſi id nominatim caueatur, alioquin per dationem ſecundi, æqualis dignitatis, non cenſetur primus reuocatus, argumento *dicti cap. Volentes.* Tertium genus legatorum eſt eorum qui dicuntur à latere, ſiue laterales apud Iuonem, *epiſt. 109.* ſiue à latere D. Petri apud Goffiidum, *epiſt. 18. lib. 1.* aliàs legati Rom. Eccleſiæ in *epiſt. 14. lib. 2.* quos Balſamon λεγάτους ἐκ προσώπου, id eſt *à facie* vocat, in *præfatione Synodi VI. in Trullo*: ídque ad exemplum legatorum ex latere principis, de quibus pluries in Formulis Marculphi, qui & Miſſi dominici vulgò dicuntur in Capitularibus Caroli Magni, & Miſſi maiores in Capitularibus Caroli Calui poſt reditum à Confluentibus. Dicti maiores ad differentiam aliorum minorum, qui modò appellantur *diſcurrentes* apud Aymonium, *lib. 5. cap. 1.* & in *Annunciatione Ludouici & Lotharij*; modò *additity*, in *edicto apud Attiniacum cap. 1.* quia in Miſſaticis ſuis non morabantur, ſed celeriter munus ſuum obeuntes diſcedebant: at Maiores ad iuſtitias faciendas conſtituti, non ità momentanei & fluctuantes, ſed ſtabiles erant, inde dicti *Iuſtitiarij.* Nomen autem Miſſorum, non tantum principum, ſed etiam Eccleſiæ *can. 94. & 95. Synodi Carthag.* legatis tributum fuit. Sic Bonifacius Moguntinenſis S. Petri miſſus dicitur, *cap. 2. lib. 5.* Capitularium. Hi miſſi, ſeu legati maiores à latere ex conſortio Cardinalium aſſumi ſolent, qui Papæ à ſecretis aſſiſtunt, vt notat Gloſſa in *d. cap. 9.* & ipſius dicuntur fratres ſi ſunt Epiſcopi, *cap. 1. hoc tit. in 6.* aliàs filij, *cap. licèt. 49. infrà, de teſtibus.* Horum dignitas ſplendidior & ſublimior eſt; quippe beneficia in ſua prouincia conferre poſſunt, quod alij legati non poſſunt, niſi ſpecialiter ſit eis conceſſum, *cap. 1. eod. in 6.* Et ſic intelligi debet, *cap. literas. ſuprà, de ſuppl. neglig. prælat.* Idem dicendum de excommunicatione promulgatæ ſententiæ, illi enim tam intrà prouinciam, quàm extra poſſunt beneficium abſolutionis impendere, *cap. Quod tranſlationem. hoc tit.* quod ſoli Cardinales iure ordinario legationis poſſunt, quia τὴν τοποτηρησίαν ἐλευθέραν, id eſt, *liberam legationem* habent, *cap. ad eminentiam, infrà, de ſententia excommunicat.* Quædam ſunt quæ nec his, nec illis conceduntur, vt ſunt vniones, vel diuiſiones Eccleſiarum, & alia quæ cenſentur ſemper reſeruata, *cap. Niſi ſpecialis, hoc tit.* vt ſunt maiores cauſæ, fidei præſertim articulos ſpectantes, *cap. Maiorem. infrà, de Baptiſmo.* Similiter in Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, vel dignitatum electionibus, & collationibus partes ſuas interponere non poſſunt, *cap. penult. hoc tit. in 6.* leges quoque vel ſtatuta edere nequeunt, niſi quatenus ſuæ legationis iuriſdictionem ſpectant: & ſic intelligendum *cap. vltimum,*



Digitized by Google

*hoc tit.* Differentia porrò eſt inter legatos Sedis Apoſtolicæ, & legatos à latere, qualis erat olim inter Proconſules, & Præſides in *cap. legatos. hoc tit. in* 6. Proconſules qui Senatorij ordinis erant faſcibus, infulis, & alijs imperij inſignibus vtebantur, voluntariam non contentioſam iuriſdictionem habebant, ſimulac vrbis pomœria erant egreſſi *l. 1. & 2. ff. de offic. proconſulis*, Conſularem poteſtatem in prouincijs exercebant, apud Dionem Caſſium *lib. 53.* Præſides verò, id eſt legati Cæſaris, non ſolùm ex Senatorio, ſed etiam equeſtri ordine aſſumebantur, & licèt in prouincijs cognitionem eandem haberent, quàm Romæ Conſules, Prætores, Præfecti vrbi, & Præfecti prætorio, *l. de omnibus. ff. de offic. præſidis*: tamen eorum dignitas & imperium finem habebat, ſimulatque alius in eius locum ſuffectus erat; quod non erat in Proconſulibus, vt docet Cuiacius *Obſeruat. 37. lib.* 20. præſides non habent ſuos τοποτηρητὰς, legatos, ſeu Vicarios, ſicut Proconſules, vt notat idem ad *Nouellam* Iuſtiniani *octauam.*

## *DE OFFICIO IVDICIS ORDINARII,*

### TIT. XXXI.

IVDEX datus, vel delegatus differt ab Ordinario: nam vt dixi iudex delegatus datur ad certam cauſam, Ordinarius ad omnes, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Abbas, ſiue Archidiaconus, vel quiuis alius Eccleſiaſticâ dignitate præditus, *cap. Irrefragabili. 23. hoc tit.* vel etiam plebanus, *cap. 3.* Hi dicuntur Ordinarij, quia in ordinem iudicum ſunt adlecti, & per adeptionem dignitatis ſuæ fiunt competentes iudices; accipiunt enim legitimam perſonam, & poteſtatem ab Eccleſia, quos Balſamon τοὺς δικαστὰς ἐκκλησιαστικοὺς ἐνορδίνους vocat, ad *can. 15. Synodi Carthagin.* & ſæpius à partibus eliguntur, vnde αἱρετοὺς, *electitios*, vocat, *can. 99. eiuſdem Synodi*, quia ex aliorum voluntate iudicant: nec tamen ideò arbitri ſunt, quia arbitri cum adiectione pœnæ dantur, *l. diem. §. ſtare. ff. de arbitris*, vt idem Balſamon annotauit. Ea tantùm differentia animaduertitur inter electitios iudices, & naturales, quòd ab illis non liceat prouocare, *can. à iudicibus, 2. q. 6.* ab his quibus rectâ viâ litigatores ſubijciuntur liceat, quamuis vtrique dicantur ordinarij; & re verâ ſint, quia ordinariam, legitimam, non emendicatam iuriſdictionem habent, vt latiùs Obſeruatione *20. lib. 1.* tractaui. Hos ordinarios iudices Eccleſia agnoſcit; non verò externos, ſiue

locales magiſtratus, quos πολιτικοὺς ἄρχοντας vocant Græci, vulgò ſeculares, *can. placuit*, *21. q. 5. cap. 2. infrà, de iudicijs.* Prohibitum enim obnixè fuit omnibus clericis ante iudicem cinctum cauſam dicere, à Syluestro I. vt refert Anaſtaſius. Magiſtratus apud Romanos qui ius gladij habebant cincti erant, vt ex Trebellio in Salonino, & alijs pleriſque notum eſt. Caſſiodorus in *Pſalmum 29. Cinctum dicimus iudicem, quando eius faſces, honoréſque declaramus.* inde *cincluti iudices*, apud Sidon. *epiſt. 9. lib. 1. can. Nullus. 11. q. 1.* Imò quod magis eſt habet Eccleſia iuriſdictionem ordinariam in omnes criminum reos, ità vt poſſit contra eos inquirere, vlciſci, iudicare, *cap. 1. hoc tit.* vt deinde in eos excommunicationis ſententiam ferat, *cap. 2.* non verò vt laïcus cogatur forum mutare, & in ius vocari coram iudice Eccleſiaſtico: tunc enim ab abuſu interponeretur appellatio, *Conſtitutione regiâ Ludouici duodecimi.* Ideò Innocentius III. hanc iuriſdictionem ad ſummariam cognitionem reſtrinxit, in cap. *Nouit. infrà, de iudicijs,* vel tunc demum cùm fidei, vel ſacramentorum quæſtio mouetur. Quæ facultas originem ſumpſiſſe à Conſtantino magno vulgò creditur, qui laïcorum cauſas ab Epiſcopis audiri permiſit, nobili reſcripto ad Ablauium, in *Cod. Theod. de Epiſcopali audientia.* Verùm ſæpius immutata fuit, atque iterum reſtituta ab Arcadio, & Honorio, & Theodoſio in *l. ſi qui ex conſenſu C. eod.* tum deinde ab Honorio & Theodoſio in *l. Epiſcopale, eod.* poſtremò & à Carolo magno, Capitulari *281. lib. 6.* quod ab illis Imperatoribus indultum fuit Epiſcopis, non vt ordinariam iuriſdictionem habentibus, ſed in morem arbitrorum, quoties electi fuiſſent à partibus, vt nominatim exponitur. Et in eo grauiter peccat Nicephorus contra Conſtantinum, quem iudicandi facultatem Epiſcopis tribuiſſe in clericorum cauſis narrat, tunc demùm cùm ſponte electi eſſent, cùm id de laïcorum cauſis dilucidè dicatur, vt etiam aſſeuerat Euſebius; vnde eſt quòd toties D. Auguſtinum valdè implicatum fuiſſe negotijs ſecularibus legimus, licèt Valentinianus Imperator *Nouella 12. de Epiſcopali iudicio*, præter religionem non potuiſſe Epiſcopos cognoſcere contendat. Certum quidem eſt ſicut Epiſcopi cauſas omnes audiebant laïcorum, ità & publicos magiſtratus idem tentare voluiſſe in Eccleſiaſticis; quod cautè prohibitum fuit *can. 11. Concilij Cabillon.* Solebant quidem plerique clerici id impetrare à principibus, *can. placuit. 11. q. 1.* deſumpto ex *d. can. 15. Concilij Chartag.* in quo, & alibi, Balſamon innuit id licuiſſe, quoties πρόσταξιν βασιλικὴν, id eſt, *mandatum Imperatoris* exhiberent, *can. 19. Concilij Mileuit. Nouellâ* Iuliani *115. & 460.* Ergo certum eſt ordinarium

cauſas ad forum Eccleſiaſticum pertinentes audire debere, & in quolibet loco ſui territorij, ſeu Diœceſis poſſe, *cap. cùm Epiſcopus. de offic. ordinarij, in* 6. ex quo quidam colligunt Epiſcoporum tribunal certum & fixum non eſſe; imò eos forum omninò non habere, quod veteres Iureconſulti auſi ſunt aſſerere; eâ ratione potiſſimùm, quòd Eccleſia fiſcum non habeat, quaſi verò non habeat multam pecuniariam, cenſum, tributum, quod in gazophylacium referebatur. Gazophylacium fiſcus eſt Eccleſiæ, *ærarium templi*, in veteri Teſtamento 2. *Regum*, *cap.* 12. & Ioannis 8. *cap.* 20. gaza eſt cenſus, tributum, in veteribus gloſſis. Hoc autem tribunal in Eccleſijs vel clauſtris conſtitutum fuiſſe dubium non eſt, in quibus omnes litigaturi ſolebant conuenire, *can. vlt.* 2.*q.* 2. ſæpius quidem tentatum à publicis iudicibus in Eccleſijs ius dicere, etiam vbi de cauſis ſanguinis, & corporali pœna agebatur, quod prohibetur in *cap. cùm Eccleſia. infrà, de immunit. Eccleſiarum.* Similiter & ſuos carceres habuit Eccleſia, quos vocat Decanicas *Nouella* Iuſtiniani 79. *cap.* 3. & Capitulare Caroli Magni 225. *lib.* 5. *Juliani* conſtitutio 73. de quibus videnda Obſeruatio *lib.* 1. hæc omnia ſpectant ad Eccleſiæ immunitatem, quæ ſuos iudices ordinarios habet Epiſcopos, vel alios Prælatos, quibus omnia iura Epiſcopalia conceſſa ſunt, ſiue legis Diœceſanæ, ſiue iuriſdictionis, quæ recenſentur ab Honorio III. in *dicto cap. conquerente.* Hæc quidem diſtinctio legis Diœceſanæ, & iuriſdictionis noua eſt, & quæ à multis tribuitur Innocentio III. in *cap. Dilectus. hoc tit.* & vix aliter concipi poteſt, quàm facit Gloſſa in *can.* 1. 10. *q.* 1. quam ſequuntur omnes fere iuris Canonici interpretes; nec tamen tam aperta eſt differentia, quin ſæpius vna ſumatur pro altera in *d. can.* 1. Lex iuriſdictionis in dando vel faciendo conſiſtit, qualia ſunt adminiſtratio ſacramentorum, delictorum coërcitio, viſitatio, cognitio litium. Lex verò Diœceſana in recipiendo, qualia ſunt procurationes, euectiones, decimarum, & funerum portiones, Cathedraticum quod ſolet Epiſcopus vrgente neceſſitate tantùm exigere.

## DE OFFICIO IVDICIS,

### Tit. XXXII.

HIC titulus licèt ſeparatus, pars eſt & membrum ſuperiorum, & reſpicit tam iudices delegatos, quàm ordinarios, vt nempe ſciatur de quibus cauſis & rebus poſſint cognoſcere. Et diſtinguitur aut lis eſt conteſtata, vel non: primo caſu poteſt iudex cognoſcere de

de omnibus quorum æquitas mouere eum poteſt, licèt initio non fueritquæſitum ; ità vt lis ventiletur, donec æquitas eluceſcat, *can. iudicante. 30. q. 5. l. Iudices. C. de iudicijs.* ante litem verò conteſtatam, iudex nec interrogationibus vti poteſt, nec partes ſuas interponere: ſed quæ ad cauſæ cognitionem pertinent, iure actionis, vel per libelli oblationem id fiat, niſi aliter ei nominatim fuerit iniunctum, *l. Ædiles. 25. §. item ſciendum. ff. de ædilit. edict.* ſupplere debet iudex litigantium defectus, *l. vnicâ. C. vt quæ deſunt aduocat. &c. cap. fin. hoc tit.* id eſt, ius omiſſum ſupplere, quod eſt verum iudicis officium, φάκlον δὲ, ἤτι πεᾶξιν, ἐχὶ, id eſt, *factum verò, ſeu negotium, non item.* vt loquitur Scholiaſtes Harmenopuli ad §. *18. tit. 4. lib.* 1. quia à iudice non petitur factum, ſed ius, vt ſcilicet curam habeat τ ἀκριβείας τῶν νόμων: non verò ex præcepto principis, vt in Baſilicis habetur. Poteſt & aliquando iudex partes ſuas interponere in his quæ factum reſpiciunt, licèt non fuerint ab initio petita ; vt ſi propter potentiam vnius alter aduocatum non habeat, tunc iudex poteſt ei aduocatum procurare, *cap. 1. hoc tit.* & ſic in omnibus alijs, in quibus non tam patrocinium, quàm officium boni iudicis impenditur. In criminalibus equidem pœna ex arbitrio iudicis pendêre videtur, ità vt poſſit eam augere vel minuere, quod ità diſtinguit Balſamon ; aut cauſa eſt ordinaria, legibus definita, & quæ ὡρισμένην ποινὴν ἔχουσι, id eſt, *certam pœnam habet*: tunc enim iudex ex arbitrio iudicare non poteſt: aut eſt extraordinaria, & iudex extraordinariè cognoſcit: dicendum, ante ſententiam tantùm id poſſe, non poſteà, quia deſijt eſſe iudex.

## *DE MAIORITATE, ET OBEDIENTIA,*

### TIT. XXXIII.

DICTVM ſuprà de iudicum officio, nunc de honore & reuerentia agitur, quæ vnicuique pro dignitatis & ordinis prærogatiua debetur. Non omnes prælati, ſeu præpoſiti æquales in Eccleſia ſunt, & licèt iudicum officio fungantur, pro ratione tamen & gradus qualitate diſtinguuntur: nam alij ſunt maiores, alij minores. Flotilda in viſionibus; *Audiebat*, inquit, *dicentem quòd hi eſſent Archidiaconi & præpoſiti, iudiceſque, & maiores, atque decani.* Maior in Eccleſia eſt Summus Pontifex, qui propriè dicitur Maximus, reliqui maiores, ſunt, Patriarchæ, Primates, Epiſcopi, qui inter ſe gradum maiorum & minorum obſer-

uant; ità vt per omnia honorem & reuerentiam præeminentiæ ſibi vnuſquiſque dependat, & quæ ipſe exigit, alteri viciſſim reddat, vt loquitur *can. Quanquam. 23. d.* Quoties enim quis ad altiorem Eccleſiæ gradum aſcendebat, maiorari & maioritatem obtinere, quoties ad inferiorem deſcendebat, minorari & minoritatem aſſequi dicebatur. Ità Archiepiſcopus Apamienſis tranſlatus în Tripolitanum Epiſcopatum, nouo promotionis genere, non promotus, ſed minoratus dicitur ab Innocentio III. in *epiſt. 50.* & *117. lib. primi.* Hoc autem maioritatis nomen nihil aliud ſonat, quàm imperium à quouis exerceri ſolitum ſiue inferioris, ſiue altioris gradûs. In conſtitution. Canonicorum Regularium S. Auguſtini *cap. de forma, & honeſtate habitus. In Cathedralibus*, inquit, *Eccleſijs Abbates, ſeu Præpoſiti, Priores, ſeu alij Maiores*: ità Doctores puerorum, ſeruorum, & ruſticorum in pagis & villis vocabantur μειζοτέροι, qui quidem ſacerdotij gradum adepti erant, ſed tamen interdictus illis erat κοσμικὰς καὶ βιωτικὰς φροντίδας exercere, in *can.* 10. *Syn. VII. Conſtantinopolitanæ.* Vulgò officiales ciuitatum μείζονες, ſeu maiores; imò etiam quandoque Miſſi dominici maiores dicebantur, vt in *cap. vlt.* Capitularium Caroli Calui, poſt reditum è Confluentib. *Cum conſilio*, inquit, *maiorum miſſorum*, & in legibus Vviſigothorum *lib. 9. tit. 1. l. 6.* Eâdem ratione maiores, dicuntur illuſtriores & nobiliores homines boni generis, vt eſt in legibus Salicis: *maiores perſonæ* in legibus Burgundionum *cap. 1. tit. 38.* optimates, priores, proceres, Palatini apud Gregorium Turonenſem, Hincmarum, & alios; Valuaſores maiores 1. *feudorum*, & *3. Longobard. tit. 8.* Imò etiam inter ipſos maiores ſunt quidam primi, quidam poſtremi, & inferiores *tit. 9. Longob.* Horat.

*Extremi primorum extremis vſque priores,*

Alij ſunt ſecundi, ſeu primi poſt maiores, & proximi quos obſecundatores vocat *l. 1. C. de proximis*: aliàs ſecundicerij, vel tertiocerij in *l. 4. C. de domeſtic. & prot.* Ipſos quidem Epiſcopos rarò hoc nomine donatos fuiſſe reperitur, ſed potiùs Patrum & dominorum in formulis Marculphi, *lib. 1. cap. 25.* & *can. fin. 68. diſt.* aliquando etiam Summorum Pontificum, quia Epiſcopatus eſt eminentiſſimæ dignitatis apex, & culmen pontificale in *can. 4. Concilij Tolet.* IV. Solus Papa dicitur Pontifex Optimus, Maximus Patriarcharum, Epiſcopus Epiſcoporum apud Tertullianum, *lib. de Pœnitentia*, & Caſſiodorum *9. Variarum epiſt.* 15. Pater Patrum apud D. Athanaſium *ad Liberium*, quia omnes ſub ſua ditione & imperio tenet, neminem verò ſupra ſe in terris habet, *l. 1. C. de Summa Trinit.* Hoc titulo agitur de quibuſuis

maioribus ſiue Eccleſiaſticis, ſiue publicis, & de poteſtate regia, in *cap. 4. & 6.* quam Eccleſiæ principatui ſubditam eſſe aſſerunt Clemens III. & Innocentius III. Vnde Theodoſius Iunior dicebat, βασιλέως καὶ ἱερέως ἐδιδάχθην διαφοράν, id eſt, *didici differentiam inter Imperatorem & Epiſcopum*, apud Theodoritum *cap. 17. lib. 5.* vt ſcilicet dignior & auguſtior poteſtas Eccleſiaſtica habeatur, quoties de cauſis Dei agitur, *can. certum. d. 10.* & *d. cap. 6.* In alijs verò ciuilis adminiſtratio præualeat, *can. adminiſtratores. 23. q. 5. can. qua contra. diſt. 8.* Porrò maioritas non poteſt eſſe ſinè obedientia, ideò hic titulus vtrumque coniungit, nec quiſquam poteſt obedire qui non habeat ſuperiorem; hæc enim ſunt relata, quò fit vt D. Paulus *ep. ad Hebræos, cap.* 13. iubeat obedire præpoſitis, τοῖς ἡγουμένοις: per præpoſitos intelligit Epiſcopos, & Paſtores, qui præcipere debent quod ſanctum eſt, orationes nempe, feſta, ſtationes, ſiue ieiunia, litanias, & ſimilia: vetare verò quæ iniqua ſunt; ebrietates, comeſſationes, ludos, perjuria: decreta enim ipſorum ſunt obſeruanda, *cap. 2. hoc tit.* Sub nomine obedientiæ plura continentur, inſtitutio nempe, deſtitutio, inueſtitura, fidelitas, correctio, repræſentatio, ad ordines tonſuratio, ſuſceptio chriſmatis, ſtatio, & litania, vt exprimit Innocentius III. in *epiſt. 281. lib. 1. regiſtri.* Hi autem qui talem obedientiam præſtare debent ſunt quos minores diximus; inde vulgò homines minores dicuntur, atque etiam minimi in legibus Longob. *lib. 1. tit. 9. 14. & 21.* & ad eorum exemplum monachi, qui humilitatem impenſiùs profitentur, & capellani minores apud Vualafridum Strab. *Capellani minores ità ſunt, ſicut hi quos vaſſos dominicos nominamus*; Obſequentes in veteribus Gloſſis; *vaſſi famulantes* in *adnunciatione Caroli apud Piſtas*, quos ignobiles vocat Tertullianus *lib. 2. ad vxorem, cap. 2.* exercitales & barſchalci, *Longob. tit. 21. lib.* 1. & in veteribus donationibus metropolis Salisburg. Inde etiam homines & perſonæ mediocres, Burgundio *mediocris* in legibus Longob. & *medius Alamannus* in legib. Alaman. imò & Barones qui obedientiam Principi debent, qui & Bari dicuntur in legibus Salicis, & Ripuarijs; & differentia ponitur inter fortiores, mediocres, & minores, Capitularium *5. cap. 136.* eâdem ratione quâ Vlpianus diſtinguit ſeruum ordinarium & diſpenſatorem, à vulgari & mediaſtino, & à qualiquali in *l. Item apud Labeonem. §. etenim multùm. ff. de iniurijs*; & Iuſtinianus ſeruum actorem à medij actus homine, & à viliſſimo, & compedito, quem mediaſtini ſtatus dicit Iulianus *Nouella 82. de naturalibus liberis.* Denique obedientia, de qua hoc titulo agitur, eſt illa, quæ ab inferioribus clericis redditur ſublimioribus ra-



Digitized by Google

tione officij, vel beneficij; quod obſequium, reuerentiam, & honorem, aliáque quæ apud Iuriſconſultos ὑποταγῆς nomine continentur infert: inde prioratus dicuntur obedientiæ, *in cap. Monachi. infrà, de ſtatu monachorum*, & *cap. ſuborta. 21. inf. de ſent. & re iudic.* & in metropoli Salisburg. in Vulframo Epiſcopo, & aliàs vulgò, quia beneficia inſtar procurationum & adminiſtrationum quibuſdam committebantur, & procurator talis dicebatur obediens, in regula ſancti Benedicti. Iuo Carnot. *epiſt. 163. Iuramento conſtrinxiſti ne vltra illam adminiſtraret obedientiam.* Aliquando illi prioratus, ſeu obedientiæ è conuerſo poteſtates nominabantur: Anſelmus in epiſtola ad Ernulphum, *Poteſtatem quam dicimus obedientiam*; hinc *domus obedientiarum* apud Innocentium III. *epiſt. 136.* & 200. *lib. 1. regiſtri.* obedientia etiam præſtaria dicebatur apud eundem *epiſt. 217. eiuſdem libri.* adde quæ dicentur *infra tit. de feudis.*

## *DE TREVGA ET PACE,*

### TIT. XXXIV.

QVIA maiorum dignitatum & magiſtratuum, bellis & litibus finem imponere officium eſt, ideò hic titulus additur. Treugam idem eſſe quod belli inducias nemo neſcit: in legibus Longobard. vox barbara, quam Codinus ſuo græciſmo τρέβαν vocat. Alij legem temporariam dicunt, fidem induciariam, diſcordiâ nondum ſopitâ, quam inter ſe ſpondent hoſtes. Eam duplicem faciunt omnes, vnam Canonicam, alteram conuentionalem. Canonica vix intelligi debet de bellorum inducijs, quas Alexander III. certis temporibus definitas obſeruari iubet in *cap. 1. hoc tit.* ſed potiùs de contentionibus & diſcordijs inter priuatos, quas ferro & duello definire ſolebant in legib. Longobard. *lib. 1. tit. 9.* ideò ipſe Alexander III. priùs agit de torneamentis in *cap. 20.* Concilij Lateranenſis, tum deinde de treuga & pace in *cap. ſequenti.* His treugis certum tempus definiebatur, intrà quod vetitum omnino fuit lites exercere, vel diſcordias armis, vel ferro diſcernere, ab Aduentu Domini vſque ad octauas Epiphaniæ, & à Septuageſima vſque ad octauas Paſchæ, *cap. 1. hoc tit.* quod euidentius oſtendit Concilium Sueſſionenſe II. *cap. 7. & 8.* ſub Carolo Caluo, agens nominatim de mallis & placitis publicis, quæ his temporibus vacabant; quibus addit ieiunia quatuor Temporum & Rogationes.

Digitized by Google

Idem confirmant canones Iſaaci Lingonenſis *cap.* 17.& *can. placita* 15. *q.* 4. Nec enim intelligi poſſunt de bellis, quæ ſi iuſta ſint quocunque tempore tentanda ſunt, ſi iniuſta, nullo, *can. ſi nulla.* 23. *q.* 8. Hæ treugæ nullo pacto infringi poterant, nec mallum vel placitum tenere licebat, niſi de concordia & pace ageretur: qua de cauſa etiam iuramenta ſuper quatuor Euangelia ijſdem temporibus prohibebantur, *can. decreuit.* 22. *q.* 5. aliàs verò qui treugam rumpebat, pugnam ſubire tenebatur, nec campionem offerendo excuſabatur, vt alias licebat in dictis legibus Longob. Hæ induciæ ſacroſanctæ habebantur, quas ideò *Dei treuias* vocat Iuo Carnot. *ep.* 9. eámque treugã non tam lege diuinâ ſancitam, quàm placito ciuitatis Epiſcoporũ & Eccleſiarum auctoritate firmatam eſſe dicit. Hunc treugæ modum in partibus Aquitaniæ primùm, anno Domini 1041. deinde per vniuerſum Galliæ territorium ſtatutum fuiſſe ſcribit Rodulphus Glaber *lib.* 5. *cap.* 1. *Vt nemo*, inquit, *quippiam alicui per vim auferre, vel vltionis vindictam à quocumque inimico exigere, nec etiam à fideiuſſore vadimonium ſumere poſſet, & hac vulgò treuga Domini dicta eſt.* Hanc verò à Friderico Aenobarbo originem duxiſſe ad priuata bella & diſſidia ſcribit Radeuicus *lib.* 3. *cap.* 26. Treuga conuentionalis aut reſpicit bella principum & regnorum, aut priuatorum contentiones, quibus ſopiendis induciæ aliquot dierum, menſium, vel annorum ſumi ſolent, vt ſcribit Rogerus *in hiſtoria Anglorum*, & Guillelmus Brito 3. *Philippidos*,

*Concilium de pace rogat, datur ergo dierum*
*Treuga trium.*

quæ quidem ſcriptis mandabantur, tum pactis firmabantur. Idem *lib.* 6.

*——— nec verbo ſtare Ioannes,*
*Nec ſcripto voluit, nec pactas mittere treugas.*

Præcipuè Epiſcoporum conſilio & auxilio, *can. ſtatuendum*, & *can. præcipimus*, 90. *diſt. can. illi.* 24. *q.* 3. in fœdere S. Ludouici cum Raymundo Toloſano, *nec pacem cum ipſis faciet, vel treugas, ſinè aſſenſu Eccleſiæ & noſtro.* Pacis etiam adhibebatur oſculum in dictis legibus Longob. vel pœna pecuniaria 300. ſolidorum. *lib.* 2. *tit.* 24. quæ vulgò *fredum* dicebatur, id eſt violatæ pacis pœna in legibus Salicis & Alamannicis, & Friſionum *tit.* 16. aliàs *vuergildum*, cuius tertia pars fiſco debebatur *cap.* 56. *lib.* 4. Capitularium. Et has treugas nulli licuit infringere, niſi præhabitâ denunciatione, vt fecit Rex Francorum regi Angliæ apud Rogerum in Richardo primo, & vt eſt deciſum conſtitutionibus Friderici, *lib.* 5. *feudorum*; *Tribus*, inquit, *ante diebus ad minus per certum nuntium diffiduciet eum*: diffiduciare eſt fidem rumpere,

M 3

Digitized by Google

fiduciare eſt fidem dare in veteribus Gloſſis, vnde in fiduciæ nexu poni dicunt leges Longobardorum *lib. 2. tit. 15. ſub pignoribus fiduciati iurati cauent,* inquit Tertullianus, *cap. 23. de Idololatria.* Hæc & alia quàplura ad pacem & treugam ſtabiliendam locum habent; nec alia differentia eſt inter vtramque, quàm quòd pax nullo termino, ſicut treuga conſcribatur, vnde Codinus *cap. 14. §. 12. οὐκ ἐποίησε διὰ τοῦτο ἀγάπην τελείαν, ἀλλὰ τρέυγαν μέχρι τινὸς ὀλίγου καιροῦ.* Id eſt, *non fecit cum illis perfectam pacem, ſed modici temporis inducias.* Hoc etiam iuris eſt communis, ne pacis, vel treugarum tempore clerici, peregrini, & ruſtici impediantur negotia ſua agere, *can. ſi quis Romipetas, & ſeq. 23. q. 4.* ſed ſecuritatem, quam ſaluum conductum vocamus habeant, *cap. vlt. hoc tit.*

## *DE PACTIS,*

### TIT. XXXV.

PAX, vel treuga ſeruari non poteſt, niſi pacta cuſtodiantur, ait *caput 1. hoc tit.* quoties fides habita eſt præſtito, vel non præſtito iuramento. Pactum ſumunt Interpretes, non tantùm ſtipulatione vallatum; ſed ſimplex, & nudum, ex quo etiam oriatur actio, *can. quicunque Epiſcopi. 12. q. 2.* licèt iure ciuili contrà; niſi in quibuſdam expreſſis caſibus: hinc naſcitur differentia inter *σύμφωνον, καὶ συνάλλαγμα*, id eſt, *pactum*, & *contractum.* Pactum nec nomen, nec cauſam habet; contractus vtrumque: pactum vt valeat eget veſtibus, veluti ſtipulatione, aliàs nudum eſt: at contractus veſtitus naſcitur, vt ſcribunt Doctores. Hoc iure ſiue nudis verbis, ſiue iuramento aliquid promittatur, ſeruari debet, cùm inter promiſſionem nudam, vel iuramentum nulla ſit differentia, *can. iuramenti, 22. q. 5. cap. Peruenit, infrà, de fideiuſſ.* Tanti faciunt fidem ſacri canones, quanti ſtipulationem & contractum leges ciuiles; veluti cùm quis nudis verbis legauit, vel vendi iuſſit id penitùs adimpleri debet, *cap. iudicante. 4. infrà, de teſtament.* quod & *Nouellâ* Leonis *72.* continetur: nec ad contrarium probandum Cuiacius iuuari poteſt, *cap. Debitores, infrà, de iureiurando*, vbi ex nuda promiſſione vſurarum agere nemo poteſt, niſi iuramentum interceſſerit: ratio enim hæc eſt, quòd cùm vſuræ ſint prohibitæ, non debentur ex nuda promiſſione, ſed ex iureiurando; quia periurium grauius eſt crimen, quàm vſurarum præſtatio: quippe ſoluens vſuras contra animum ſuum facit

Ex his elicienda eſt certiſſima regula; pactum ſimplex, vel cum iuramento, vel ſtipulatione omnimodè ſeruandum eſſe, dummodò iuri Canonico, vel publico non ſit contrarium, quod Iuriſconſulti vocant ius commune, ſeu ſolenne, κοινοφελὲς; cui quidem clerici renunciare non poſſunt, nec paciſci contra ſacrorum canonum authoritatem, vt definit Innocentius in *cap. ſi diligenti. infrà, de foro compet.* vbi agitur de fori præſcriptione, cui clericus renunciare non poteſt; quippe ius eſt publicum, ſeu commune Apoſtolorum conſtitutionibus ſtatutum, apud Clementem *epiſt.* 1. in Synodo Romana ſub Sylueſtro, toties repetitum Concilio Carthag. *I. & III.* Chalcedon. & alijs pleriſque: nuſquàm huic licuit, abſque Epiſcopi permiſſu, renunciare, vt definit Marcellinus Papa in *epiſt. 2.* & Capitulare Caroli magni, *lib. 7. cap. 145.* quod nec leges ciuiles permittunt, niſi cauſa ſit legitima, vulgatâ *l. Iuris gentium. §. paciſcatur. ff. de pactis.* Hanc renunciationem canonicam vocat παραίτησιν κανονικὴν Balſamon ad *canonem* 7. Synodi Conſtantinopolitanæ. Scio quidem abuſu & iniuriâ temporum contrà factum fuiſſe, vt plures ab Imperatoribus iudicium publicum expoſcerent, quod nominatim ſub pœnis canonicis vetat *can.* 107. Synodi Carthaginienſis. Non igitur quod legibus omnibus Eccleſiaſticis tam ſtrictè definitur, aliud eſſe poteſt quàm ius publicum, & Cuiacius immeritò iuris priuati, præſcriptionem fori eſſe contendit, cui conſequenter pacta priuata derogare poſſint. Poteſt vnuſquiſque paciſci contra ius peculiare, ius perſonæ, vt de protectione Apoſtolica dicitur in *cap. ex parte.* & *cap. Quidam. infrà, de priuilegijs*: poteſt quilibet huic renunciare, *cap. ſi de terra. cap. Accedentibus, infrà, eodem. cap. Ad Apoſtolicam,* & *cap. ſtatuimus. infrà, de regularib.* vt optimè diſtinguit Innocentius III. in *d. cap. Si diligenti.* Et ità debet intelligi *lex ſi quis in conſcribendo. C. de pactis.* Sed hoc ius non poteſt dici priuatum, cùm vergat in detrimentum totius Eccleſiæ: licèt enim clericus paciſci poſsit contra proprium & perſonale ius, ſeu priuilegium; non tamen in perniciem iuris Eccleſiaſtici, ideò licentiam ab Epiſcopo petere debet, *can. clerici* 11. *q.* 1. ſicut è conuerſo laïcus non admitteretur qui ad forum Eccleſiaſticum recurreret; hoc leges ciuiles non patiuntur, quia hoc ius litigandi coram ſuo iudice *datum non eſt vni, ſed vniuerſò ordini*, vt ait Honorius III. in *cap. penult. de iudicijs*, ſi integrum legatur in antiqua compilatione. Sicut enim laïcorum iudicia, & forum publicum turbare vetat Eccleſia; ità etiam laïcos turbantes Eccleſiaſticum coërcet: & hoc non eſt contra legem agere, ſed *legi facere ſubſidium*, inquit, *caput 1. infrà, de priuilegijs*: idem

Digitized by Google

eſt ſtatuendum in omnibus quæ vel vtilitatem, vel honorem Eccleſiæ reſpiciunt: nemo poteſt paciſci vt ſpiritualia pecuniá redimantur, vel conſeruentur, *cap. 4. & fin. hoc tit.* vt ſucceſſio fiat in beneficijs, *cap. 5. hoc. tit.* & ſimilia. Pactum denique turpe & contra bonos mores reprobatur hoc iure; quia tolerabilius eſt pacta hæc non ſeruare, quàm facere quod turpe & damnoſum eſt, *can. vnuſquiſque. 22. q. 4.* quod etiam leges ciuiles ſeruant, *l. Pacta. C. de pactis.* Et ità intelligi debet *d. lex ſi quis in conſcribendo*; quomodo enim poſſet aliquis efficere vt iudex ordinarius ſit & fiat, qui non eſt, nec eſſe poteſt? *l. ſi conuenerit. ff. de iuriſd. omnium iud.* quæ vera eſt ratio conciliandæ *d. legis ſi quis,* quicquid Doctor maximus è contrario dicat; imò nec conſtitutionum Eccleſiaſticarum alium interpretem agnoſcimus, quàm Eccleſiam, vel ipſum Summum Pontificem, prout determinat ipſe Innocentius III.

## *DE TRANSACTIONIBVS,*

### Tit. XXXVI.

Post titulum de pactis rectè ſubijcitur de tranſactionibus, vt ſpecies generi. Pacti, ſeu pactionis nomen generale eſt, ità vt ſæpiùs tranſactionem contineat. Hæc differentia vulgò ponitur apud Iuriſconſultos, vt tranſactio ſit de re dubia, & διάλυσις, quaſi interpretatio dubiorum; διαλύσαι eſt interpretari apud Pollucem. Aliquando ſumitur pro infringere, quaſi tranſactio infringat litium anfractus, *cap. 1. hoc tit.* nec enim tranſigitur niſi de re dubia, de lite quæ iam mota eſt, vel de ea quam veremur, *l. 2. C. de tranſact.* non ità de pacto, quod fit de re certa & citra omnem litem, & litis metum: ideò donationis vim habere docet Harmenopulus *lib. 1. tit.* 10. Alia differentia eſt inter pactum, & tranſactionem, quòd ex pacto liceat penitere re integrâ, *l. 3.* & *l. ſi pecuniam. de condict. cauſâ datâ*; ex tranſactione non ità, nempè vt ſit aliquis litium finis, *l. fin. ff. pro ſuo*; nec datur aliquod penitendi tempus, *l. Quamuis. C. hoc tit.* Fortius enim eſt tranſactionis vinculum, ità vt vix de dolo agatur, & conteſtatio admittatur, vt idem Harmenopulus notat. Similiter hoc iure nullum penitendi tempus datur, licèt id videantur innuere verba *cap. Contingit, hoc tit. ſi fuerit aliquot annis ſeruata,* quod verum tantùm eſt in ſpecie illa, quoties conſenſus non interceſsit, licèt literæ ratihabitionis miſſæ fuerint: nec enim

delenda

Digitized by Google

delenda eſt negatio, & legendum, vt quidam volunt, *ac ſi conſenſerit*, quia literæ ratihabitionis plenam fidem non faciebant tranſactionis comprobatæ, niſi aliquod tempus exceſſerit, forſan quadriennij, quod datur minoribus, *cap. 1. infrà, de in integrum reſtitutionib.* Si verò tranſactio fuerit contra vtilitatem Eccleſiæ, non valet, nec firmatur vllo tempore, niſi fuerit à Sede Apoſtolica confirmata, *cap. veniens, hoc tit.* ità vt quodcunque fit nomine Eccleſiæ ſit quidem perſonale, non reale, quod durat quandiu viuit is qui tranſegit in perniciem Eccleſiæ; ſed eo defuncto ſucceſſor tranſactionem ſeruare non tenetur, *cap. 2. infrà, de precario.* Tunc demum tranſactio licitè fit de quibuſcunque bonis Eccleſiæ, iuris ordine ſeruato, non tamen de ſpiritualibus, de Sacramentis, de beneficijs; quia cùm tranſactio aliquo dato, vel retento fieri debeat, vitium ſimoniæ naſcitur, *cap. 7. hoc tit.* niſi ad redimendam vexationem, *cap. dilectus, infrà, de ſimonia*; quod temperamentum introductum eſt, ne forſan grauius immineret periculum, habitâ hâc diſtinctione inter ea quæ natura ſuâ, & iure diuino ſunt ſimoniaca, de quibus diſpenſare etiam Summus Pontifex non poteſt, & ea quæ vſu & conſuetudine Eccleſiæ ſimoniam ſapiunt; tunc enim diſpenſatio locum habet, vt ſcribit Gloſſ. in *cap. 4. ſuperiori tit.*

## *DE POSTVLANDO,*

### TIT. XXXVII.

IN defectum pacti, vel tranſactionis, iudicio agendum eſt; ideò ſubijcitur titulus de poſtulando: quem ordinem Compilator ex iure ciuili deſumpſit; iuris ciuilis conditores ex lege XII. tab. vt annotauit Cuiacius: *rem ità nî pagunt*, vel *pacunt, in foro, vel comitio cauſam conſciſcito*, id eſt agito: conſciſcere veteribus Gloſſis eſt cognoſcere συγγινώσκειν, vel, vt eſt apud Gellium, *lib. 17. cap. 2. ante meridiem cauſam conſciſcito, cùm perorant ambo præſentes*: hoc verbum, *perorant*, notat poſtulationem; εἰσελθεῖν apud Demoſthenem, idem quod perorare & poſtulare in *l. 1. ff. de poſtulando, l. 9. C. de aduocat. diuerſorum iudic.* & qui ſuſcipiunt litigantium cauſas poſtulatores, patroni, aduocati, & cauſidici vocantur, *l. Quiſquis. C. eodem.* Non autem omnes aduocati cauſas agunt, alij enim ſunt qui lites dirimunt, & iudicant, Adſeſſores dicti, quia in conſilium aduocantur, *l. vlt. C. eod.* ità vt hi

N

Digitized by Google

poſtulare prohibeantur, *d. l. Quiſquis:* multi alij ſunt qui etiam non poſtulant, *l. 1. ff. eod.* veluti qui Catholicam fidem non profitentur, qui ſi patrocinium ſuſceperint, proſcriptionis & perpetui exilij pœnâ plectendi ſunt, *l. vlt. C. eod.* Serui apud Terentium in Phormione; *ſeruum hominem cauſas orare non ſinunt.* Libertinis quidem hoc licet, *l. 2. C. eod.* Aduocatorum olim certus erat numerus in matricula conſtitutus, qui à partibus aſſumebantur; vel à Prætore dabantur; *Si non habebunt aduocatum, ego dabo*, inquit Vlp. in *d. l. 1.* quod etiam ad iudicis officium pertinere docet *caput 1. ſuprà, de officio iudicis.* Hoc iure, ab aduocationibus coram iudicibus ſecularibus clerici prohibentur, niſi ob cauſam propriam, vel Eccleſiæ, vel pauperum, *cap. 1. & vlt. hoc tit.* idem de monachis, *cap. 2.* non quòd munus ſit probroſum, ſed duplici ratione; tum quòd indignum ſit Eccleſiaſticos forenſium diſceptationum eſſe peritos, *l. repetita. C. de Epiſcop. & clericis*, tum etiam ne lucro inhiantes, auaritiæ notam ſibi inurant, *can. vlt. 5. q. 3.* ità vt nec munera poſſint recipere; niſi fortè in Eccleſiis oblata gratuitò ſint, collatione deuotionis, vt ait *canon vlt. 15. q. 2.* Quapropter per aduocatos cauſæ Eccleſiæ expediebantur, qui nominatim ad hoc munus aſſumebantur, quorum vſus perantiquus eſt, & ſæpius ab Imperatoribus petebantur *pro capitibus*, id eſt, Eccleſiæ cauſis, ὑπὲρ τῶν κεφαλαίων τῆς ἐκκλησίας, vt eſt in *can. 100. Synodi Carthagin.* quod confirmat Capitulare Caroli Magni *308. lib. 7.* vulgò etiam defenſores dicebantur, qui tamen non ſemper patrocinium exercebant, ſed etiam iudicum munere fungebantur, maximè πρωτέκδικοι, id eſt primi defenſores, vt ſcribit Balſamon ad *can. 78. eiuſdem Synodi.* Hi ſupremæ erant autoritatis, quippe qui ad tuẽda Eccleſiæ iura aduersùs magnates & potentes aſſumebantur, κατὰ τῆς τῶν πλουσίων τυραννίδος, id eſt aduerſus diuitum tyrannidem. Reges ipſi hoc nomine honorari voluerunt; Carolus enim Magnus S. Petri aduocatus contra reges Longobardorum electus fuit apud Einardum, vnde & Imperatores hoc etiam nomen aſſumpſerunt: Aduocare, eſt defendere apud Radeuicum, vnde & patroni Eccleſiarum aduocati nominantur, vt dicemus *infrà, tit. de iure patronatus*: non enim hic agimus de aduocatis & defenſoribus, qui patroni & fundatores Eccleſiarum, vicedomini, & œconomi ſunt, de quibus toties apud Adreualdum Floriacenſem, & alios quamplures.

Digitized by Google

## DE PROCVRATORIBVS, Tit. XXXVIII.

SVperiori titulo de aduocatis, & defenſoribus, quorum officium pertinet aliquatenùs ad procuratoris nomen generaliter ſumptum. Hîc ſpecialiter agitur de diuerſis generibus procuratorum; quorum vnus eſt voluntarius, alter neceſſarius. Voluntarius eſt, qui ſponte ſe alienis negotijs offert, apud Paulum 1. *ſentent. tit. 3.* qui voluntarium negotium gerit, vt loquitur Vlp. in *l. Prætor. §. præſtat. ff. de reb. auct. iudic. poſsid.* Et hunc propriè ἔκδικον, *defenſorem*, dicunt Iuriſconſulti, qui ſinè mandato agit; procuratorem verò cum mandato, vt notat Gloſſ. in *l. 2. §. ſin autem abſuerit. C. de iureiur. propter calumn.* cui aſſentitur Cuiacius. Verumtamen & qui cum mandato agit voluntarius dicitur, quia ex eius voluntate pendet ſuſcipere mandatum, non verò ex imperio mandantis: tale enim mandatum eſt potiùs conſilium apud Iuſtinianum, *tit. de mandato*, qui tamen fit neceſſarius, ſimulatque gerere cœpit. Nudæ voluntatis eſt ſuſcipere mandatum, neceſſitatis conſummare, *l. in commodato. §. ſicut. ff. mandati.* Talem procuratorem vocant canones aduocatum, *can. 2. 3. q. 7.* legatum, in *can. 1. 5. q. 3.* cognitorem *can. 1. ead. q. 7.* licèt propriè cognitor ſit, qui agit ſinè mandato, præſentibus iudice & litigatore; procurator verò abſente, vt Anianus diſtinguit in *l. ſi lite. C. Theod. de cognitoribus*, & apud Feſtum; imò & Cognitor propriè dicitur is qui in iudicio poſtulare ſolet, vt conſtat ex Paulo *5. ſentent. titulo 1.* Nec tamen hærendum eſt in verbis, cùm promiſcuè accipiantur nomina prædicta, ſicut procuratoris nomen, quod continet tam procuratores ad lites, quàm ad negotia, tam priuatorum, quàm fiſci, vel Reipublicæ, vel ciuitatum, vt eſt in *cap. 7. hoc tit.* olim procurator ad lites erat ignotus, cuius vſum medio tempore receptum fuiſſe docet Vlp. in *l. 1. ff. hoc titulo.* Procurator ad negotia ſemper fuit quaſi Dominus, & iuris alieni vicarius, apud Tullium *in Oratione pro Cæcinna.* Procurator ad lites is eſt, qui ad agendum & reſpondendum conſtituitur, plenámque habet poteſtatem defendendi & reſpondendi aduerſario, ſi eum conueniat, alioquin non erit idoneus, *cap. Accedens, & cap. Conſtitutis, hoc tit.* hinc fit vt dicatur Apocriſiarius, & Reſponſalis, quia alterius vice reſpondet, *cap. vlt. infrà. vt lite non conteſtatâ*; ſicuti qui ad impetrandum, vel con-



Digitized by Google

tradicendum datur, id eſt ad impetrandum iudicem, vel literas citatorias, vel reſcriptum, & ad contradicendum aduerſario qui iudicem voluerit obtinere: ſic enim intelligendus eſt hic loquendi modus cum Panormitano, & alijs, in *cap. veniens, ſuprà, de renunciatione.* & *cap. Interpoſita, infrà, de appellat.* quod omnes non capiunt. Talis tamen procurator non poteſt dici verus & legitimus procurator ad lites, ſed tantùm ad litis articulum, cùm non detur ad agendum, ad litem proſequendam, & inſtruendam cum rationibus & munimentis cauſæ, vt eſt in *cap. fin. infrà, de dolo*, & *cap. 1. de appellat. in 6.* imò verò hic non debet ad agendum admitti, atque in expenſis eſt condemnandus, qui eum miſit, *cap. Nicolao. infrà, de appellat.* Alius eſt procurator ad negotia, de quo Tullius 3. in Verrem, *Omnes tuum procurare negotium in decumis loquebantur*, qui nouare, exigere, tranſigere, ſoluere, alienare poteſt, dummodò id ſit ob negotiorum vtilitatem, non animo donandi. *l. 1. §. 1. de procùratorib.* Paulus *1. ſentent. tit. 3.* Procurator hic ſiue liber, ſiue ſeruus, ſiue maior, ſiue minor ſit, nîl intereſt, *l. ſeruum. ff. eod.* non ità ad lites, quia minor debet impleſſe decem & ſeptem annos, & plenam pubertatem attigiſſe, *§. Iuſtæ. Inſtit. quibus ex cauſis manumitt.* quâ ætate adoleſcentes prætextâ depoſitâ, ἀπόρφυρον, togam puram aſſumebant, viri cenſebantur, in forum veniebant, & poſtulare poterant, *l. 1. §. initium. ff. de poſtulando.* igitur & procuratoris munus exercere potuerunt. Nec ſcrupulum ingerere poteſt, quòd minor viginti quinque annis contrahere non poſſit, quod verum eſt in re ſua, quia facilè decipi poteſt: at in aliena, nîl obſtat; imputet enim ſibi qui talem elegit procuratorem, vt Gloſſ. notat ex *l. cum mandato. ff. de minorib.* Pupillus, ſeruus, fœmina poſſunt procuratorio nomine agere, *l. 7. ff. de inſtit. act.* niſi nominatim & palàm præſcriptum fuerit, ne cum eis contrahatur, *l. ſed ſi pupillus. §. de quo, eod.* Ideóque quoties dicimus ſeruum manumiſſum eſſe, procuratoris habendi cauſa, & filiumfam. decem & ſeptem annos habere debere, de procuratoribus ad lites debemus intelligere *l. 13. ff. de manumiſſis vind.* Hæc eſt ætas legitima de qua loquitur, *lex exigendi. C. hoc tit.* contra communem Interpretum ſententiam, tam iuris ciuilis, quàm Canonici, & contra expreſſam decretalem Bonifacij in *cap. Qui generaliter. §. licèt. hoc tit. in 6.* Tertij generis eſt procurator generalis, tam ad negotia, quàm lites datus, *cap. dilectus. hoc tit.* & is quidem agere, & experiri poterit, nouare, exigere, tranſigere, ſoluere, alienare, modò hæc fiant vtiliter, vt diximus; quod intelligendum quoties libera poteſtas datur, quam nominatim exprimen-

Digitized by Google

dam eſſe volunt Doctores, *l. Quam Tuberonis.* §. *alia. ff. de peculio*, aut ſaltem ſint verba æquipollentia, quæ libertatem denotent; cum quibus etiam tranſeunt, quæ ſpeciale mandatum requirunt; tunc enim procurator omnia poteſt quæ dominus citra dolum, *l. procurator. ff. eod.* Debet præterea mandatum legaliter fieri, vt loquuntur noſtri, cum Presbyterorum, & teſtium ſubſcriptionibus, &, vt ait Gloſſa, mandatum tria continere debet, nomen mandantis, cauſam quæ mandatur, & quod ratum habebitur quod factum erit, aliàs procuratoris generalis libertas reſtricta videbitur. *cap. Petitio. hoc tit.* Sicuti cùm datur ad agendum, non ad defendendum; hæc enim ſunt relata, quibus caſibus res inutiliter aguntur, & ſententia nulla eſt, ac ſi procurator eſſet reuocatus, *cap. 3. hoc tit.* quæ exceptio obijci poteſt antè, & poſt ſententiam, *cap. 4.* Aliæ ſunt exceptiones, quæ notantur à Gloſſa. Sola tamen reuocatio non ſufficit procuratori, niſi etiam parti, aut iudici fuerit ſignificata, *cap. Mandato. hoc tit.* veluti ſi excommunicationis vitium inſit, *cap. vlt. hoc tit. cap. licèt. infrà, de teſtibus.* Et hæc quidem omnia locum habent in ciuilibus cauſis, non in criminalibus, in quibus nec ad accuſandum, nec ad defendendum procurator datur, *can. in criminalibus. 5. q. 3. l. penult. de publ. iudicijs.* Paulus *5. Sentent. crimen quod vindicta, aut calumniæ iudicium exſpectat per alios intendi non poteſt.* Excipiuntur in criminibus iniuriarum perſonæ illuſtres; honor ſiquidem eſt per procuratorem litigare, *l. fin. C. de injurijs*, cuius beneficij vſus ad omnes paſſim deuenit. Idem datur Epiſcopis & Presbyteris; *Nouella* Valentiniani *de Epiſcopali iudicio.* Alias quamplures exceptiones recenſere ſuperfluum eſſet, de quibus vide notata in *can. ſi quando, 2. q. 6.*

## *DE SYNDICO,*

### TIT. XXXIX.

HIC titulus eſt de procuratoribus generalibus, qui quidem negotia publica, non priuata gerunt, quos Syndicos vocat *lex 1. ff. quod cuiuſque vniuerſit.* qui totius vniuerſitatis, vel populi, vel collegij res gerunt, *tit. de ijs per quos agere poſſumus*, Inſt. *qui in communi totius corporis cauſa ordinantur*, vt loquitur *lex 42.* C. Theod. *de Epiſcopis & Eccleſijs*; Actores vocat Modeſtinus in *l. Cùm aliqui, 27. ff. de negotijs geſtis*, Oeconomos, Græci ἐπιμελητὰς, *cap. Imperatores. infrà, de iuramento calumn.*



Digitized by Google

& *can. Cùm ſcimus. 9. q. 3.* licèt propriè iſti plus iuris habeant, quàm ceteri. ſi quidem rerum & redituum Eccleſiæ ſunt diſpenſatores, *Nouella 3.* Aduocatos etiam vocat *can. Qui Epiſcopus. 5. q. 4.* quæ nomina promiſcuè vſurpantur, licèt Accurſius in *d. l. 1. §. quibus. ff. quod cuiuſque vniuerſit.* diſtinguat, vt Syndicus ſit qui ab vniuerſitate conſtituitur ad vniuerſas lites & negotia: actor verò ad vnam tantùm cauſam, quod ſatis probat *l. fin. §. defenſores, ff. de munerib. & honorib.* nam certum eſt actores etiam dici omnium rerum & negotiorum, quales ſunt curatores & procuratores ciuitatum, *l. cùm alicui. ff. de negot. geſtis, l. 3. C. Theod. de donat.* vel reipublicæ, *l. 4. ff. de adminiſt. rerum ad ciuit. pertin.* qui res, rationéſque reip. adminiſtrant, actores rerum. *l. fin. ff. de offic. Præſid.* διοικητὰς πραγματευτὰς Græci; qui quidem vt plurimum ſerui erant, vel libertini, de quibus toties mentio apud Tacitum. Tales erant procuratores domorum principis, *l. 1. C. Theod. de domib. ad rem priuat.* procuratores rei dominicæ, *l. 17. eod. de iure fiſci.* Curiales poſſeſſionum, *l. 13. de paganis*; gynæciariorum, ac monetariorum, *l. 3. de indulgent. debit. cur.* & alij eiuſdem generis homines, qui habent actorem ſiue ſyndicum, quoties faciunt corpus, vel collegium, *d. l. 1.* ad quam etiam ſcribit Accurſ. œconomos in cauſis tantum Eccleſiaſticis conſtitui, ex *l. omnes, 31 § hoc nihilominus. C. de Epiſc. & cleric.* his verbis, *quem œconomum Eccleſiæ Epiſcopi tractatus elegerit*; quibus denotatur Epiſcopum id agere debere, habito cleri tractatu, vt fit in omnibus Eccleſiæ negotijs, *can. Epiſcopus. 12. q. 1.* nam Oeconomus conſtituitur ex clero quaſi ſpeculator, ne bona ab Epiſcopis diſſipentur, in Concilio Chalced. *can. Quoniam. 89. diſt.* Sed de eo Oeconomo non eſt cenſendus hic titulus, in quo agitur de eo qui non tam diſpenſator, quàm defenſor rerum Eccleſiæ habetur. Porrò is procurator vniuerſitatis, ſiue ſyndicus, ſiue actor plerumque eſt voluntarius, plerumque neceſſarius; voluntario non debetur ſalarium, ſed remunerationis causâ ei ſolet aliquid impendi, vt *hoc tit.* & tunc dicitur honor, *l. ſi remunerandi. ff. mandati*, cuius nulla petitio eſt, *l. ſalarium. C. Mandat.* quia talis procurator eſt amicus voluntarius, vt loquitur Tullius, qui non pactus eſt de ſalario, ſed liberè ei confertur: ideò nec ei competit actio mandati, ſed extra ordinem petit, *l. Salarium. ff. mandati.* vel, vt ait eleganter Scæuola, *l. vlt. ff. de obligat. & act. iudicem æſtimaturum an ſit ei danda actio*: vel vt eſt in *l. 1. C. mandati, apud præſidem prouinciæ cognitio præbebitur.* non ità in aduocatis, quibus licèt non ſit cautum, ſalarium ſiue honorarium debetur: imò ſi cautum ſit, dubitatum fuit an peti potuerit, *l. 1. §. in honorarijs ff. de extraord. cognit.*

Digitized by Google

quod cum temperamento eſt intelligendum, de quo in *l. ſi qui, & l. quiſquis. C. de poſtulando.* Hodie licet aduocatis, procuratoribus, ſyndicis, & actoribus ſalarium quamuis non conuentum exigere, *d. cap. vnico, hoc tit.* Quantùm attinet ad ea quæ verum & legitimum ſyndicum faciunt, idem ius eſt quod de procuratore; & is ſyndicus in omnibus negotijs tam ciuilibus, quàm criminalibus contra iuris antiqui ordinem dari poteſt, quod Fridericus Imperator vult in conſtitutionibus Siculis *lib. 2. tit. 2.*

## *DE IIS QVÆ VI, METVSVE CAVSA FIVNT,*

### TIT. XL.

ACTVM ſuprà de his quæ ſponte geruntur; nunc verò de his quæ per vim, & metum. Vis hoc loco intelligenda eſt, qualem definit Tullius, *Orat. pro Cæcinna*; *Neceſſitas contraria voluntati*, & Vlp. in *l. 1. ff. quod metus cauſa*, ideò Harmenopulus hunc titulum περὶ ἀνάγκης, καὶ βίας, id eſt, *de neceſſitate, & vi* concipit: quæ neceſſitas libertati, rei, iurive publico, ſeu priuato contraria eſt, *l. Qui dolo. ff. ad l. Iuliam de vi. Nihil iuri tam inimicum, quàm vis*, inquit Tullius, *ibid.* Apud Iuriſconſultos duplex eſt vis, ſimplex quæ à Tullio dicitur quotidiana, quæ fit verbo; altera quæ fit coactis hominibus, armatíſque: ex vtraque competit interdictum, ſed illa poſſeſſori tantùm vi deiecto; hæc etiam non poſſeſſori, veluti colono, *l. 1. C. communia. de vſucap.* illa fit ſinè cæde, ſinè cruore, ſinè perculſione, quæ tamen iuſtum incutit metum, pauorem, terrorem, exterminationem, trepidationem, aut honoris iacturam, *l. Attentari*, & *l. item. §. tenetur. ff. de iniurijs.* Tertullianus *lib. de velandis virginib. Vbi ſolicitatio, illic coactio, vbi coactio, illic neceſſitas, vbi neceſſitas illic infirmitas.* Vis adhuc ſimplex & quotidiana eſt, quam quidam feſtucariam vocant, per iactum feſtucæ, ad exemplum operis noui nunciationis; quæ fit per iactum lapilli, vt alibi dicemus. Propriè vis, hoc tit. intelligitur, quæ non leuem terrorem, veluti damni inferendi ſuſpicionem, ſed mortis periculum, aut corporis cruciatum, aut intolerabilem iniuriam, aut ſeruitutem minatur, *l. ſi mulier. ff. eod. l. Interpoſitas, C. de tranſact.* & vt noſtri definiunt, *quæ potuit cadere in conſtantem virum, cap. ad audientiam, cap. cùm dilectus. hoc tit.* veluti ſi quis beneficio ſuo, amiſſionis bonorum metu renunciauerit, *cap. 2. hoc tit.* vel electioni de ſe factæ. Ita-

Digitized by Google

lis renunciatio non valet, *cap. ſeq.* propter dolum qui ſemper metum præcedit, *l. item ſi. §. eum qui. ff. eod.* non quidem ipſo iure, ſicut in contractibus, in quibus ineſt ſtipulatio, *l. penult. C. de inutilibus ſtipul.* Aliud eſt in contractibus bonæ fidei, in quibus metus, ipſo iure quod actum eſt vitiat, *l. 1. C. de reſcind. vendit.* id denotat edictum Prætoris in *l. 1. ff. hoc tit. quod metu geſtum, ratum non habebo*, &, vt optimè Gloſſa, in *cap. 2.* docet, quod ipſo iure non eſt, non habet opus hoc edicto; ideò Summus Pontifex addit, *de iure debent in irritum reuocari.* In quibuſdam caſibus leuis metus, & vis ſimplex, vel coactio conſiderantur, vt in matrimonij contractibus, propter infelices exitus, *cap. Requiſiuit, infrà, de ſponſalib.* non tamen vt ſoli aſſertioni ſit credendum, *cap. conſultationi. eod.* Idem dicendum de voto, *cap. licèt. infrà, de voto, & voti red.* aliàs verò tenuis metus non prodeſt, veluti ob ſolam regis potentiam, ſinè minis, ſinè verbis, niſi talis ſit qui cadat in conſtantem, *cap. Ad aures, hoc tit. can. Lotharius. 31. q. 2.* quamuis & regias preces idem valere quòd minas aſſerat Iuo Carnot. *68. epiſt.* Si per magnatum potentiam, vel publicum officium gerentium auctoritatem contractus extorti fuerint, omnia hæc infirmari debent, *l. vlt. C. eod. per impreſſionem*, vt loquitur Conſtantinus, in *l. penult. eod.* & Tullius 1. *Acad. quæſt. vim in manibus, claritatem in voce, in lingua etiam explanatam vocum impreſſionem*, & *epiſt. 2. lib. 5. ad familiares*; *Nihil illi deliberatius fuit, quàm me non iudicio, neque diſceptatione, ſed vi atque impreſſione euertere.* Hæc vis, ſiue impreſſio illicita fuit Proconſuli vel Prætori *l. penult. ff. ad l. Iul. repetund.* etiam per interpoſitam perſonam, *l. aufertur. §. quod à Præſide, ff. de iure fiſci.* Hanc impreſſionem, *ereptionem.* vocat Tullius 4. *in Verrem.* Impreſſioni additur *πανεργία* calliditas, apud Harmenopulum *tit. 12. lib. 1.* quæ dolo aſſimilatur.

Prodeſt etiam metus exceptio ijs qui metu iudicum auſi non ſunt appellare ab eorum ſententijs, quoties violentia adhibita fuit, & ipſi publicè conteſtati ſunt ſe violentiâ impediri; quæ conteſtatio intrà præſtitutum appellationis tempus fieri debet, *l. cùm quidam. ff. de appellat.* aliàs inutile foret ſolam magiſtratuum potentiam allegare, *l. 1. & 2. C. de his qui propter metum iudicis*, in præſentia ſcilicet bonorum virorum factâ proteſtatione, inquit Gregorius *cap. vlt. de appellat.* quia talis conteſtatio pro petitione habetur, *l. 2. ff. de nautico fœnore.*

DE

## *DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE,* TIT. XLI.

NON ſolùm quod per vim, metúmque geſtum eſt, ſed alijs plerіſque de cauſis contractum, fit irritum per reſtitutionem in integrum, ἀποκατάστασιν vocant Grçci, quæ non fit tantùm propter rei amiſſæ, ſed etiam iuris redintegrationem. *Reſtituendi* enim verbum omnem cauſam priſtinam continet; aliquando litis tantùm reſtaurationem, vt in *l. Diuus. ff. de re iudicata.* Competit porrò reſtitutio, vel perſonarum contemplatione, vel vitio inſtrumenti, vel ſententiæ prolatæ. Perſonæ quibus hoc beneficium datur ſunt, minores viginti quinque annis, niſi rem iuramento firmauerint, *cap. In præſentia. infrà, de probationib.* ex Conſtitutione Friderici appoſita in *tit. Cod. ſi aduersùs vendit.* tunc enim non reſtituentur, niſi dolus vel metus interfuerint; quòd ſi ſolennitas iuris omiſſa fuerit, tunc id quod actum eſt ipſo iure nullum eſt, nec opus eſt reſtitutione, ſed potiùs nullitatis ſententiâ declaratoriâ, *cap. Conſtitutus. hoc tit.* & in eo minores à maioribus diſtingui videntur; quia eorum quæ ab his acta ſunt, omiſſis iuris ſolennibus, ſicut per vim, metum, & dolum obligatio contrahitur, ſed per reſtitutionem diſſoluitur: at in alijs contrà. Specialis caſus notatur etiam in maioribus, quoties quæſtio eſt de matrimonio; nam facilè reſtitutionem noſtri canones admittunt, etſi cauſæ probatione indigeant, *cap. Ex cauſa. hoc tit.* minorum quoque iure vtitur Eccleſia, vt ait Alexander III. in *cap. 1. hoc tit.* ideóque beneficio reſtitutionis in integrum iuuatur, *cap. 2. 3. & 5.* nec enim patitur contra iuſtitiam aliquid fieri in ſe, cùm ſit cultrix iuſtitiæ, vt ait Auctor Feudorum *lib. 1. tit. 8.* Eccleſia eſt pars reip. præcipua & nobilior. *l. 1. §. publicum. ff. de iuſt. & iure,* pupillo ſimilis, egenti auxilio reſtitutionis, duobus ſcilicet concurrentibus, quibus minori ſuccurritur, quoties læſio, ſiue damnum ineſt, ídque intrà quadriennium à die læſionis computandum, *cap. 1. hoc tit. in 6. Clementinâ vnicâ, hoc tit.* nec aliquod aliud tempus eſt in Eccleſia exſpectandum, quia ſemper in vltimo minoris ætatis puncto eſſe cenſetur, cùm minor vigeſimum quintum annum exſpectet, *l. Petendæ. C. de temporib. in integ. reſtit.* Datur præterea hæc reſtitutio in omnibus cauſis, in quibus Eccleſia probatur læſa, etiam aduersùs res iudicatas, quoties cauſæ de nouo emergunt, *l. de ætate. §. ex cauſa. ff. de interrogat. actionib.* imò & contra ſententiam Papæ, *cap. 5. hoc tit.* hâc potiſſimùm ratione, quòd cùm appellatio locum non habeat, *can.*



Digitized by Google

*cuncta, 9. q. 3.* ſicut contra principes & ſupremos magiſtratus, opus fuit aliquo ſingulari, & extraordinario remedio reſtitutionis in integrum, *l. 1. ff. qui, & à quib. appellare non licet*: & in eo fortius eſt hoc remedium, quàm appellationis; imò & contra ſententiam denegatæ reſtitutionis datur ſæpius reſtitutio, ex noua cauſa prius non deductâ, *l. 2. C. ſi ſæpius in integ. reſtitutio poſtul. cap. beneficio, hoc tit.*

## DE ALIENATIONE IVDICII *mutandi causâ factâ,*

### TIT. XLII.

HIC quoque titulus eſt de reſtitutione in integrum, quæ fit vno caſu, in gratiam non tantùm minoris, ſed etiam maioris vigintiquinque annis: quoties pars altera quæ litem habet, dolo malo ius ſuum in aliquem transfert, & *facit commutationem,* vt loquitur, *caput 1. hoc tit.* veluti ſi vendat, aut cedat potentioribus, quò maius negotium illorum patrocinio ingerat aduerſario, *l. 1. C. ne liceat potentiorib.* Patrocinij nomine intelligi debet procuratio, quæ quaſi rem ſuam vrget, & tuetur; non verò aduocatio, quæ non tantam curam exigit: quod oſtendit *caput vlt. hoc tit.* aduersùs clericos qui fori præſcriptionem habentes ſibi cedere faciunt actiones, & ità laïcos ad iudicium Eccleſiaſticum trahunt, hoc fit ad exemplum edicti Prætoris in *l. 5. §. vlt. ff. eod.* quoties nempe hæc iudicij futuri mutandi causâ fiunt, non verò iam inchoati: quod olim verum erat, ſed non hoc iure, quo alienatio rei litigioſæ iudicium ſæpe mutat, & ità fit, vt qui rem litigioſam in alium transfert, putà in potentiorem, vel clericum, in hoc edictum incidat, ac in pœnam de litigioſis, *l. vlt. C. de litigioſis.* Alienationis nomine intelligimus non tantùm res, ſiue mobiles, ſiue immobiles, de quorum proprietate lis eſſe poteſt; ſed actiones & nomina debitorum, vt innuitur ex *d. cap. vlt.* & exprimit *Nouella 112.* quod etiam docebitur *infrà, tit. vt lite pendente.* Alienationis etiam verbo *hoc tit.* non continetur omnis modus quo res & actiones in alium transferuntur, ſed tantùm qui fit inter viuos, quoties poſſeſſio alienatur in eius fraudem, qui controuerſiam facturus erat, ſiue ex cauſa pignoris, vel vſufructus, vel emphyteuſis, vel ſeruitutis, vt notat Cuiacius in *l. 4. §. Pædius, & §. vlt. ff. eodem*; non verò ex cauſa ratihabitionis rei venditæ propter morbum, aut vitium, vt eſt in *l. 44. §. fin. ff. de ædilit. edict.* Sicut nec eſt locus huic materiæ, quoties alienatio fit titulo donationis causâ mortis, vel ex legato, & ſimilibus. Mens autem huius tituli hæc eſt, ne ex tali alienatione deterior fiat conditio alicuius,

Digitized by Google

quod crebrò fieret ſi reſcriptum impetratum aduersùs illum cui ceſſio facta eſt locum non haberet *d. cap.* 1. De quota litis dicetur *infrà tit. vt lite pendente*, & videndi Doctores ad *cap. 2. huius tituli.*

## *DE ARBITRIS,*

### Tit. XLIII.

HIC titulus adijcitur eodem ordine, quo apud iuris ciuilis auctores; quia poſtquam de iudicibus & magiſtratibus actum eſt, conſequens fuit loqui de ijs qui iudicum vices gerunt, vt ſunt arbitri: quorum alij dantur à magiſtratibus, alij à partibus aſſumuntur. Illi pluribus de cauſis tam à principe, quàm à magiſtratibus, à Prætore, à iudice etiam podaneo, *l. ſi ab arbitro. ff. qui ſatisdare cogantur*, *l. vlt. C. vbi, & apud quem. l. rem non nouam. C. de iudicijs*: ſúntque ſpeciales in re aliqua diſceptanda iudices, Græci αἱρετὰς δικαστὰς vocant; quibus plerumque ſimiles ſunt iudices delegati, atque etiam adſeſſores, ſúntque & dicuntur legitimi & ordinarij, quia ſecundùm iuris regulas iudicare debent, & hi ſoli imperitiæ arguuntur, non qui eos dederunt, *l. 4. §. ſi iudex. ff. de act. & obligat.* litem ſuam facit qui dolo malo, vel imprudenter & perperam iudicat, & litis alienæ periculum ſuſtinet, *l. 2.* & *16. C. Theod. quorum appellat. non recip.* Iure tamen Canonico aliud eſt; nec enim Eccleſiaſticis magiſtratibus, Epiſcopis, vel alijs licet canones, & iura ignorare, vt rectè docet Balſamon ad *canonem 15.* Synodi Carthag. à talibus enim licitè poteſt appellari, *can. hoc etiam. 2. q. 6.* Sed de his iudicibus ſuprà dictum eſt; hîc verò de receptis arbitris, qui ex partium compromiſſo, & mutua ſtipulatione conſtituuntur; & licèt ordinarij non ſint, ordinariorum tamen iudicum morem imitantur; *compromiſſum ordinariæ actioni comparamus*, inquit Paulus in *l. 1. & l. non diſtinguemus*, *§. item ſi quis. ff. de recept. arbit. l. penult. C. eod.* Hoc compromiſſum quod Græci δοκιμασίαν vocant, duplex eſt; aliud merum, aliud ſimplex: merum ſtrictè ſumitur, quia in perſonam certam confertur; ſimplex, modò in certam, modò in incertam, & hoc arbitrium boni viri vocatur, *l. ſi ſocietatem. ff. pro ſocio*: quod egreditur perſonam, non verò merum, *l. in compromiſsis. ff. eod.* Nec ſi arbiter iniuſtè iudicauerit, ſententia retractatur, niſi interueniente dolo, *l. Arbitrorum. C. hoc titulo. l. Ità demum. ff. de verborum obligat. l. diem. §. ſtari. ff. eod.* Hi ſunt qui ſecundùm iuris formam eliguntur, *à poinct de droict*, in *cap. Legitima. de appellat. in 6.* & in loco com-

O 2

petenti, vt peritorum ſit copia, *cap. ſtatutum. de reſcript. in 6.* non ità in arbitrio boni viri, in quo licèt certa perſona eligatur, non tam ipſius perſonæ, quàm æquitatis ſententia ſpectatur. Tullius pro Roſcio Comœdo formulam proponit, *quantùm æquiùs & meliùs id dari*: nam differentia eſt inter veros arbitros, & alios, quos vulgus arbitratores vocat, mediatores, ſeu diſceptatores in *cap. penult. hoc tit.* *μεσιτεύοντας τῆς δοκιμάσας* Harmenopuli ſcholiaſtes vocat, *tit. 4. lib.* 1. hi iudicant ex æquitate, nec aliter ratum eſt arbitrium quàm *ſi æquum ſit*, ait Celſus in *l. ſi libertus. 30. ff. de operis libert. l. in perſonam. de regulis iuris*, Gloſſa in *cap. Expoſita. hoc tit.* ſcribit *dummodò illa æquitas non ſit ficta, nec ſimulata quæ duplex eſt iniquitas*, vt loquuntur Interpretes in *cap. 5. de electione, in 6*. Hæc autem æquitas ſeruatur in contractibus bonæ fidei; nam in alijs, veluti ſtipulationibus rigor iuris ſeruatur. Sunt alij arbitri, qui ſinè compromiſſo ex iureiurando petuntur, *cap. 2. hoc tit. fide hinc inde datâ, cap. cum tempore, hoc tit.* quod quidem *Nouella* Iuſtiniani *82.* improbat, & iureiurando firmari prohibet, contra aliam conſtitutionem, in *l. 4. C. hoc tit.* ſed potiùs vult pœnam adijci, aduerſus eum qui arbitrio non paruerit, relictâ periurij pœnâ apud Deũ, & ne periurium ſit iniquitatis vinculum, *cap. Quaniò. infrà, de iureiurando.* Alij prætereà ſunt ſinè compromiſſo, ſinè iureiurando, ex ſimplici & nudo conſenſu, ex communi ſententia, vt loquitur Imperator in *l. vlt. C. vbi, & apud quem cognit.* ex communi electione, in *l. penult. C. hoc tit.* Tales poſſunt fieri etiam qui legitimam perſonam non habent, vt ſunt fœminæ, quarum ſententiæ partes ſtare non tenentur, niſi ſpecialiter iuriſdictionem habeant, *cap. Dilecti. hoc tit. cap. Dilecta. infrà, de exceſſib. prælat.* Idem eſt de ſeruis in *l. Pædius. ff. eod.* Idem de laïcis, qui licèt in cauſis Eccleſiaſticis arbitri & iudices eſſe non debeant, arbitratores tamen & compoſitores eſſe poſſunt, *cap. Per tuas. hoc tit.* Similiter nil vetat quin cognoſcere valeant de cauſis, de quibus compromiſſarij non poſſunt, qualis eſt reſtitutio in integrum, cauſa matrimonij, liberalis, criminalis, *cap. penult. ſuprà, de reſtit. in integrum.* Ideóque licèt iuris ciuilis regula arbitrum ſumi iudicem prohibeat, tamen compoſitores iudices eſſe poſſe dubium non eſt, vt docet Gloſſa in *l. ſed & ſi. §. ſi quis. ff. eod.* Cuiacius ad *Nouellam 86.* nec admittendam eſſe cõtendit eorum opinionem qui iure Canonico id poſſe fieri arbitrantur, ſed textus quos ad id probandum refert intelligendi ſunt de arbitratoribus in *cap. cauſam. ſuprà de elect.* quod confirmat Gloſſa in *cap. niſi. infrà, de præbendis.*

*FINIS LIBRI PRIMI.*

Digitized by Google

# LIBER SECVNDVS DECRETALIVM.

## *DE IVDICIIS.*

### Tit. I.

DE Iudicum qualitate, & poteſtate dictum libro ſuperiori, conſequens eſt agere de iudicijs, iuxta ordinem iuris ciuilis. Totus hic liber ad modum, formam, & ordinem iudiciorum pertinet; ideò primus generalis proponitur titulus, ex quo pendent reliqui omnes, ad diſceptandas rerum & perſonarum Eccleſiaſticarum lites, & controuerſias. Iudiciorum originem à primis Eccleſiæ cunabulis repetere debemus, cùm lites omnium Chriſtianorum ad forum Eccleſiaſticum deuoluebantur, *can. Apoſtolorum. 37.* quo bis in anno Synodi, ſeu conuentus præcipiuntur, non ſolùm ad fidei difficultates definiendas, verùm etiam ad occurrentes controuerſias Eccleſiæ dirimendas, *τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν*, vt optimè exponunt Zonaras, & Balſamon: quod confirmatur conſtitutionibus Apoſtolicis Clementis nomine ſcriptis, *cap. 47. lib. 2.* ſecundâ feriâ nempe cuiuſque hebdomadæ, *ἐν δευτέρᾳ σαββάτων τὰ τοιαῦτα ζητήματα* ſedare quæſtiones iubentur Presbyteri & Diaconi, qui *ſapientum* nomine intelliguntur apud Apoſtolum, vt explicat D. Chryſoſtomus: & inde fluxit, vt paſſim in Eccleſia iudicia omnium Chriſtianorum penès Epiſcopos eſſent, vt idem docet *lib. de Sacerdotio, cap. 18.* etiam ante Conſtantini Magni tempora, vt conſtat ex Concilio Eliberitano ante Nicænum habito. Quod dico, non vt inde Eccleſiam omnem iuriſdictionem in laïcos ſummo iure habuiſſe contendam; ſed potiùs ex beneuolen-



Digitized by Google

tia & benignitate Imperatorum & principum, qui hanc libertatem adeũdi iudices Eccleſiaſticos pro arbitrio vniuſcuiuſque reliquerunt, *l. 1. C. Theod. de Epiſcop. audientia, Nouella* Iuliani *115.* Iuſtiniani *79.* & *86.* Sed de his latius Obſeruat. 21. *lib. 1.* Hoc ſæpius Epiſcopi ægrè tulerunt, propter nimias occupationes quibus litigantium iurgia eos implicabant, de quo conqueritur D. Auguſt. in *Pſal. 118.* & *lib. 6. de opere monachorum, cap. 29.* & alijs pleriſque locis, tum etiam propter auaritiam & quæſtum clericis valdè damnoſum; quod malum Siluanus Troadis Epiſcopus agnoſcens, neminem ex clero iudicem eſſe permiſit, ſed vnum ex laïcis fidelibus æquitatis amantiſſimum præfecit, vt refert Socrates *lib. 7. cap. 37.* Hos κοσμικὺς ἄρχοντας, id eſt *mundanos magiſtratus* vocat Clemens, *cap. 45. lib. 2. conſtit.* & *epiſt. 3.* ad Iacobum relatâ in *can. 29. 11. q. 1.* inde *mundialia negotia* dicuntur. Ex illo contemptu ſecularium negotiorum aliud malum emerſit, vt nempe principes & iudices ſeculares ſibi omnia iudicia, non ſolum ſecularia, ſed etiam Eccleſiaſtica vſurparint, exceptâ religionis quæſtione, vt habet *Nouella* Valentiniani *tit. 12. de Epiſcop. iudicio.* Hinc tot conſtitutiones Eccleſiaſticæ fluxerunt, ne clerici coram ſecularibus litigare audeant, quod primus Anacletus poſt Apoſtolos conſtituit *epiſt. 1.* tum deinde Syiueſter, Iulius, & alij, Eugenius quoque in *cap. 2. hoc tit.* vt latiùs *tit. de officio iudicis ordinarij* ſuprà diximus. Sed nec poteſt publicus iudex ſeſe intromittere in quibuslibet cauſis criminalibus, niſi priùs reus traditus fuerit curiæ ſeculari, *cap. 4. hoc tit. cap. Nouimus. inf. de verb. ſignif.* Hic autem ordo ſeruandus eſt, vt vnaquæque prouincia ſuos iudices Eccleſiaſticos, & comprouinciales habeat, nec externos adire cogatur, vt eſt decretum à Iulio in *epiſt. 1. cap. 16.* hos πολιτικὺς ἄρχοντας, id eſt, *locales magiſtratus*, & externam potentiam exponit Balſamon ad *can. 5.* Synodi Antiochenæ. Nec ſolùm à publicis, ſiue ſecularibus iudicijs, ſed etiam Eccleſiaſticis externis & peregrinis eximuntur clerici; nam vnuſquiſque à ſuo Epiſcopo, vel Metropolitano iudicari debet. Peregrini, ſiue extranei ſunt, qui extra prouinciam habitant, *can. peregrina,* & *can. ſi quis clericus, 3. q.* 6. hoc ordine poſito, vt in primis iudex ordinarius, qui eſt Epiſcopus, ſit adeundus, *can. ſi quis Epiſcopus, 2. q. 7.* & *cap. Nouit. hoc tit. cap. cùm contingat. inf. de foro compet. can. Presbyteri. 11. q. 3.* tum deinde Metropolitanus, poſtremò Primas, vel Sedes Apoſtolica, quæ omnium cauſas, vtpote mater agnoſcit, vt eſt definitum concilio Nicæno, Sardicenſi, & alijs. Hinc fit vt ſpreto iudice ordinario, clericus àpud iudicem ſuperiorem conueniri non poſſit, imò nec apud

Synodum Prouincialem; ſicut Epiſcopus ſpretâ Synodo Prouinciali non poteſt ad Synodum vniuerſalem, vel Sedem Apoſtolicam trahi, & ſi vocatus fuerit, impunè recedere poteſt, niſi conſenſum præſtiterit, vt de Quoduultdeo dicitur in *cap. 1. hoc tit.* cuius intellectum ad Obſeruationes meas remitto: quod probatur *ex can. 6.* Synodi Conſtantinopolitanæ in quo dicitur; Si quis auſus fuerit Imperatoris aures moleſtiâ afficere, vel ſæcularium principum iudicia, vel οἰκουμενικὴν σύνοδον perturbare, neglectis Diœceſanis Epiſcopis, eum nullo modo ad accuſationem eſſe admittendum, vt qui canonibus iniuriam fecerit; vbi optimè Balſamon ait, cauſam primùm apud Metropolitanum agitari debere, ſi non poſſit ἐγχώριος σύνοδος τὴν ὑπόθεσιν λῦσαι. id eſt; *regionis Epiſcopus cauſam ſoluere*; eámque audiat μείζων σύνοδος. quòd ſi vniuerſalis non congregatur, tunc à Synodo prouinciali ad Primatem, vel Sedem Apoſtolicam lis deuoluatur, ex decreto Iulij in *cap. 170. lib. 1.* apud Burchardum. Prætereà vt Epiſcopus vel clericus reſpondere teneatur, opus eſt vt legitimè citatus fuerit, ex decreto Concilij Carthag. *can. 19.* alioquin legitimum non eſt iudicium; nec de iure poſſunt partes æquè *experiri*, id eſt diſceptare, litigare; quod vocabulum commune eſt actori & reo in *cap. 1. hoc tit.* Oportet etiam vt conſtet quis actor, quis reus ſit, quale ius habeat actor contra reum, licèt actor nomen actionis in libello exprimere non teneatur: ratio tamen petendi debet iudici innoteſcere *cap. fin. inf. de libelli oblatione.* hoc iure, ciuilis rigor temperatur, quo actionis expreſſio eſt neceſſaria, *l. 1. ff. de edendo*: ius enim canonicum ſolam æquitatis rationem, & facti veritatem intuetur, *cap. 1. inf. de dolo & contumacia*, *cap. Dilecti, hoc tit.* Et in eo differt iudicium Eccleſiaſticum à ciuili, ſicut in alijs pleriſque, quod innuit Harmenopulus, *lib. 1. tit. 2.* τὸ μὲν γὰρ διὰ νόμων πρόεισι, τὸ δὲ διὰ κανόνων, id eſt, *quoddam enim legibus regitur, quoddam canonibus.* Nec tamen ſentiendum eſt hoc iure omnem actionis editionem improbari, ſed eam tantùm quæ iuris ſubtilitatem continet, quam etiam Conſtantinus ſuſtulit in *l. 1. C. de formulis & impetrat.* Semper enim libellis cauſæ debent exponi *cap. vlt. inf. de libelli oblat.* quæ ſit congruens & apta, *cap. examinata. hoc tit.* Iudex debet cuncta rimari, & plenè diſcutere, interrogandi, obijciendi, reſpondendi præbitâ licentiâ, *can. iudicantem. 30. q. 5.* vnde fit vt vulgò dicatur iudicium tribus præcipuè perſonis conſtare, iudice, actore, & reo: quia horum quilibet partes agit interrogantis & reſpondentis. Iudex interrogat, & reſpondet cùm decernit, *cap. prout. inf. de dolo & contumacia*; interrogant, & reſpondent partes inuicem *l. ſi ſinè. ff. de interro-*

Digitized by Google

*gat. act.* Gloſſ. in *d. can. iudicantem.* Tullius *2. de Inuentione*: *In omni cauſa ab vtroque oportebit à quo, & per quos, & quomodo, & quo tempore aut agi, aut iudicari, aut quid ſtatui de ea re conueniat.* Porrò in omni cauſa ciuili & criminali clerici habent ſuos ordinarios, & legitimos iudices, *cap. 4. hoc tit.* itâ tamen vt liberum ſit Epiſcopo, pœnam infligere vel pecuniariam, vel depoſitionis, & vnâ ſit contentus; quod ſi grauitas criminis eum deterreat depoſitione priùs habitâ à gradibus Eccleſiaſticis, quaſi proiectum à foro Eccleſiaſtico, tradat ſeculari, *cap. Nouimus. inf. de verb. ſignif.* Qualiter fiat degradatio dicitur in *cap. 2. de pœnis in 6.* & nos dicemus ſuo loco. Quibuſdam tamen caſibus priuilegium fori clerici prætendere non poſſunt, vt dicemus infrà, de foro competenti: ſicut è contrario nec laïci Eccleſiaſticam iuriſdictionem vitare poſſunt, *cap. Nouit. hoc tit.* quia Epiſcopi munus eſt peccata impedire, *cap. 1. ſuprà, de offic. ordinarij. can. Duo ſunt. 99. diſt. cap. vnam ſanctam. Extrauag. de maiorit. & obedient.* Maximè ob iuriſiurandi religionem, & pacis vtilitatem, *can. omne. 22. q. 1.* quod hodie conſtitutionibus regijs immutatum eſt: nam propter iuſiurandum iudex Eccleſiaſticus omnium cauſarum cognitionem ſibi arrogauerat; quæ ratio eſt cur tam ampla & celebris fuit olim Officialis Toloſani iuriſdictio, cuius locum adhuc amplis, & altis ſubſellijs ornatum videmus.

## DE FORO COMPETENTI.

### TIT. II.

POST titulum generalem de iudicijs, congruum fuit tractare de foro, in quo iudicia exercentur. Quod forum, ſiue iudicium, ſiue audientiam Epiſcopalem, κρίσιν ἐπισκοπικὴν dixeris nîl refert in *can. 107.* Synodi Carthaginienſis, ſiue τὸ ἐκκλησιαστικὸν δικαστήριον, *can. 15. ead. can. placuit. 11. q. 1.* ſiue τοῦ βήματος ἀκρόασιν, vt loquitur Balſamon *in Photium* quæ nomina iuris dicundi potius facultatem, quàm locum deſignant, eam enim non habuiſſe olim Epiſcopos, ſicut nec forum contendunt plerique; in vtroque tamen eos decipi certum eſt, nam & iudicium, & audientiam, & iuriſdictionem ordinariam illis fuiſſe ſatis conuincunt quæ ſuperiori titulo de Synodis prouincialibus diximus. Locus verò non alius fuit, quàm ipſa Eccleſia, vel potiùs ipſius Eccleſiæ porticus, & ambitus, vbi res omnes & controuerſiæ Eccleſiaſticæ definiebantur, vt ex epiſtolis Iulij Papæ conſtat; *Nullus in publico cauſam agat, niſi in Eccle-*

Digitized by Google

*in Eccleſia*. Nec eam ſacrarum ædium partem vbi ius dicebatur primitùs ἀγοϱὰν forum, non baſilicam dixerunt, ne gentiles imitarentur qui in eodem foro, vbi res venales exponebantur, ius dicebant, *l. inter. §. ſacram. ff. de verborum obligat.* donec propter tumultum & populi concurſum in illis baſilicæ conſtructæ ſunt, in quibus Tribuni plebis ius dicebant, teſte Plutarcho in *Catone Minore*, cùm loquitur de Porcia baſilica, quam Cato Maior dedicauit, εἰώθεσαν ἐν χρηματίζειν οἱ δήμαρχοι, id eſt, *in ea tribuni plebis audientiam dare ſolebant*. Baſilicæ erant templa, vt conſtat ex Plutarcho in C. Cæſare & in Catone, & in §. *ſacra. Inſtit. de rerum diuiſ.* Succeſſu temporis omnia hæc vocabula confuſa fuerunt; nam & Eccleſiæ dictæ fuerunt baſilicæ, & fori vocabulum illis datum fuit; ità vt non tantùm de ſecularibus iudicijs, ſed etiam Eccleſiaſticis vulgò acceptum fuerit: hinc priuilegium fori apud Carolum Magnum, *lib. 7. cap. 251. clericus non alibi quàm in ſuo foro audiatur.* Forum hoc deſignat Martianus Imp. in *l. cum clericis. C. de Epiſc. & cleric.* his verbis, *in nullo alio foro*; ità tamen vt ſemper hæc regula locum habeat, vt actor forum rei ſequatur, *cap. cùm ſit, hoc tit.* niſi res ſit Eccleſiaſtica; tunc enim non inſpicitur quis ſit reus, quis actor, ſed tota lis ad iudicem Eccleſiaſticum pertinet, fauore Eccleſiæ, *cap. ſi clericus. hoc tit. can. Experientia. 11. q. 1.* ſicut è contrario clericus conueniri poteſt coram iudice ſeculari in quibuſdam caſibus, veluti ſi quæſtio ſit de feudo ſeculari, *cap. 7. hoc tit.* quia, vt notat Gloſſa, res naturam potiùs à Domino feudi, quàm à perſona vaſſalli accipit, *cap. ſolitæ. ſup. de maior. & obedient.* Secundò, ex cauſa reconuentionis, *can. 1. 3. q. 8.* vt dicetur *infrà, titulo de mutuis petitionibus*; ex cauſa delicti in quo clericus pertinaciter hæſerit, & pœna Eccleſiæ non ſit ſufficiens, *cap. Cùm non ab homine. ſup. de iudicijs, can. nec licuit, 17. d.* Criminum caſus iure huius regni facilè ad omnia delicta extenduntur, quæ vulgò priuilegiata dicuntur, vt ſunt læſæ maieſtatis, ſacrilegij, falſitatis, & alia pleraque quæ forum Eccleſiaſticum mutant, & rectâ viâ in ius publicum trahunt, contra mentem *cap. 8. & cap. Conqueſtus, hoc tit.* Similiter in quibuſdam caſibus laïcus à foro ſuo ad Eccleſiaſticum trahitur; in cauſis nempe Eccleſiaſticis, vt eſt matrimonij quæſtio, *cap. 1. inf. de conſanguinit.* & alijs quæ paſſim enumerantur, *cap. Cùm te conſulente*, & *cap. ſuper. ſuprà, de officio delegati.* Et hæc eſt præſcriptio fori, quæ opponi ſolet, & cui etiam vulgò renuntiari non poteſt; quod Innocentius III. primùm conſtituiſſe videtur in *cap. ſi diligenti, hoc tit.* etiam ſi iuramentum interceſſerit, vtpote contrarium iuri Eccleſiæ; imò & ſi Epiſcopus conſenſerit ius pu-

P

blicum priuatis pactionibus non infringitur; licèt Cuiacius talem renunciationem iuri vniuerſali Eccleſiæ non officere contendat, quod immeritò vocat priuilegium, cùm re verâ ſit ius cum ipſa Eccleſia natum, vt titulo de pactis diximus, quo quidem nemo clericus exui poteſt, & ſi contrà egerit, gradus honore priuandus eſt, *can. placuit. 11. q. 1. niſi*, inquit, *iudicium Epiſcopale petierit ab Imperatore*; Quod olim iniuriâ temporum effectum eſt, cùm imperialis poteſtas omnia Eccleſiæ iura inuaſiſſet, & ſedes, forúmque Eccleſiæ pro libito ſtatuiſſet, quæ & Epiſcopatus Metropolis titulo donabat, & prouincias *διὰ τύπων πραγματικῶν, καὶ διὰ δημοσίων τύπων*, id eſt, *per pragmatica edicta, & per publicas formas* diuidebat, & nouum forum aſſignabat *can. 12.* & *17.* Synodi Chalced. *can. 38.* Syn. in Trullo. Tunc nec patiebatur quemquam opponere *τῆς ἁρμοσφόρου δικαστοῦ παραγραφὴν*, id eſt, *competentis iudicis præſcriptionem*, vt loquitur Balſamon ad *can. 15.* Synodi Carthag. qui inuitus fatetur in cauſis pecuniarijs, vel ciuilibus, ac in rebus priuatis, non tamen Eccleſiaſticis hoc locum habuiſſe. Sanè in criminalibus, & accuſationibus Epiſcoporum, & clericorum nuſquam forum ſeculare admiſſum eſt, *can. 74. Apoſtolorum. can. 6.* Synodi Conſtantinop. nec id Imperatores ſibi arrogare auſi ſunt, ſed tantùm vt iuris ordo trium edictorum in contumaces ſeruaretur, vt ſcribit idem Balſamon. Diſtingui prætereà ſolet, vtrùm cauſæ Eccleſiaſticæ ſint ciuiles, an verò criminales, *Nouellâ* Iuliani *77.* Ciuiles aliæ ſunt merè Eccleſiaſticæ, vt quæ de ſacramentis quæſtionem mouent, veluti de matrimonio, *cap. cauſam. infrà, qui filij ſint legitimi*; de Baptiſmo, de ſtatu Eccleſiæ, de fide; de his nuſquàm iudices publici iuriſdictionem habuerunt, *can. 15.* Synodi Carthag: Aliæ non ſunt penitùs Eccleſiaſticæ, quæ perſonarum contemplatione, & ordinis ratione tales ſunt; de his Imperatorum conſtitutiones cogitarunt, quæ ſcilicet de rebus pecuniarijs & priuatis litem faciunt, Balſamon ad *d. can.* 15. Criminales cauſæ aliæ ſunt omnino Eccleſiaſticæ, aliæ partim tantùm; illæ Euangelicæ legi, & ſanctionibus Eccleſiaſticis repugnant, de quibus ſeculares cognoſcere non debent, vt de crimine vſurarum, *cap. ſuper eo*, & *ſequenti, inf. de vſuris*, ſacrilegij, periurij, hæreſis, & aliorum, *cap. vt inquiſitionis, de hæret. in 6.* quorum caſtigatio & multa Epiſcopis reſeruatur *Nouellâ* Iuſtiniani *83.* ſed hodiè è contrario ratione priuilegij ad publicum iudicem omnino ſinè vlla diſpenſatione Eccleſiaſtica deuoluuntur. Cauſæ criminales partim Eccleſiaſticæ ſunt, quæ non tantùm ſacris canonibus, ſed etiam ſanctionibus ſecularibus prohibentur, furtum, adulterium, homicidium, & ſimilia, quorum co-

Digitized by Google

gnitionem adimere Eccleſiæ voluerunt conſtitutiones imperatoriæ: quæ tamen reſtituta ei fuit, niſi tunc demùm cùm Eccleſia pœnas crimini conuenientes non habet, quo caſu ad brachium ſeculare recurritur, *cap. at ſi clerici. ſuperiori tit.* quæ omnia paſſim exemplis in toto iuris corpore illuſtrantur. Alia eſt fori præſcriptio, præter illam quæ aduersùs ſeculares opponitur, quam ipſi Eccleſiaſtici inter ſe ſeruant, tribus præcipuè de cauſis, ratione domicilij, beneficij, & delicti: & hoc poſtremum ceteris præualet, ità vt Epiſcopus loci, in quo quis deliquit, iudex ſit competens, & tunc non poteſt opponi præſcriptio fori, vt res ad propriam Diœceſim, vel prouinciam deuoluatur, in qua reus beneficium habet, *can. 1. 3. q. 6. l. vlt. ff. de accuſat.* niſi quantùm ad executionem ſententiæ, quæ debet fieri coram ordinario domicilij, patrimonij, vel beneficij, ſi eo priuandus ſit, *cap. 1. ſup. de officio ordinarij. cap. poſtulaſti, hoc tit.* vt eſt in *l. à diuo Pio. §. 1. ff. de re iudicata.* Et ità contingit vt ſententia ab vno lata apud alium fidem faciat, *can. quiſquis. 24. q. 1.* Idem ius ſeruatur ratione contractus; *cap. vlt. hoc tit. cap. Romana. §. contrahentes, eod. in 6.* & *cap. 1. de priuilegijs in 6.* vel vbi quis promiſit ſe ſoluturum, *cap. 40. ſup. de officio iudicis deleg. cap. Dilecti. hoc tit.* iuxta *legem, heres abſens. §. 1. ff. de iudicijs.* Vnicus caſus eſt, quo reus conueniri poteſt in loco in quo nec promiſit, nec contraxit, nec deliquit, Romæ nempe, vtpote quæ eſt metropolis ſuprema omnium Eccleſiarum, *cap. vlt. hoc tit.* ſicut olim domina omnium prouinciarum & regnorum; *l. In orbe. ff. de ſtatu hominum*; niſi reus eò venerit legationis ergo, vel alijs de cauſis à iure expreſſis in *cap. fin. inf. de dilationib. l. 2. §. legatis. ff. de iudicijs.* Et in eo Cuiacius malè ſe habet contra Romanæ Eccleſiæ principatum, & locum falsò detorquet, vt peculiari Obſeruatione à me annotatum eſt.

## DE LIBELLI OBLATIONE.

### Tit. III.

DE Iudicijs & foro iudicum dixiſſe non eſt ſatis, niſi etiam de libellis offerendis ratio habeatur, quod eſt neceſſarium. Libellus eſt nomen generale, preces continens eorum qui iuſtitiam implorant, Græci vocant βιβλίον, λίβελλον, δίκαιν, quæ principi vel magiſtratui offeruntur: qui quidem litis conteſtationem facit quoties reſcripſit princeps, vel iudex reſpondit, *l. illam. C. de donationib. l. 2. C. de annali*

*except.* Sola libelli datio non habetur pro vocatione in ius, nec pro accuſatione, nec pro litis conteſtatione, *l.* 1. *C. de off. præfect. præt. Orient.* qui enim petit licentiam vocandi in ius, vel accuſandi, non ideò vocat, nec accuſat: ideò talis libellus eſt tantùm precum deſiderium, *l. libertus.* 15. *ff. de in ius vocando, l.* 2. *C. de errore aduocat. l.* 1. *& 2. C. de fide & iure haſtæ fiſcalis lib. X.* Nec vnquam pro litis conteſtatione habetur, niſi princeps reſcripſerit, vel magiſtratus; & tunc in actionibus annalibus & prætorijs id locum habet, *l.* 1. *C. quando libellus principi oblatus*; non verò in alijs, niſi tunc demum cùm conuentio per exequutorem vel apparitorem facta ſubſecuta fuerit, *Nou.* Iuſtin. 112. quæ vocatur citatio voce præconis, *l. Diuus. ff. de integrum reſtitut.* vel per tabellionem, vel actuarium, *cap.* 12. *inf. de fide inſtrument.* Cui quidem libello citationis, ſeu conuentionis debet reus ſeſe ſubſcribere ex aduerſo libelli, ſiue ex opiſtographo, quod vocatur libellus reſponſionis, ἀντιβίβλιον, quo etiam cautionem iudicio ſiſti præſtat; niſi & velit contra iudicem cauſas recuſationis proponere, quod per libellum olim fiebat ante litem conteſtatam. Hæc recuſatio, ſiue reiectio ἀποβολὴ ϗ ἀπόληξις dicebatur; eieratio apud Tullium *Philippicâ* 12. *ſic me iniquum eiurabant*: quâ etiam formâ eiurabatur forum apud eundem, 3. *act. in Verrem.* Nil obeſt tamen quin & poſt litem conteſtatam tales libelli proponi poſſint ex ſuperuenientibus cauſis, vt eſt in *cap. Inſinuante, ſup. de officio iud. deleg.* & *cap. Inter. inf. de ſententia, & re iud.* ſunt & alij libelli quos Iuriſconſulti refutatorios, Græci ἀναπληρωματικὰς, ſupplementa, & refutationes partium continentes, *l.* 1. *C. de relationib.* qui quandoque offerri poſſunt, *ex nouiſſima cognitione*, vt loquitur Imperator in *l. vlt. C. de præſcript.* 30. *annorum.* Huiuſmodi citatio debet in ſcriptis fieri, *cap. Quoniam. inf. de probat.* aliàs non legitima, *cap. Ex literis. ſup. de in integ. reſtitutionib.* ſicut ipſe libellus debet eſſe ſcriptus, & partium manu roboratus, *cap.* 1. *hoc tit.* Et quia fundamentum cauſæ eſt libellus in eo exprimi debent quæ petuntur, vt ſi realem actionem contineat res ipſa quæ petitur deſignari debet, licèt cauſam exprimere non ſit neceſſum, vt annotat Gloſ. in *cap.* 2. *hoc tit.* In alijs verò iudicijs quæ de vniuerſitate feruntur, res quæ petuntur exprimi non debent, *l. licèt. C. de iudicijs*, vt ſi petatur Eccleſia, contineantur omnia ad eam pertinentia, licèt non expreſſa, *cap. Cùm ad ſedem. inf. de reſtitut. ſpoliatorum, cap. inter. inf. de donationib.* In criminalibus actionibus & accuſationibus citatio vel libellus contra reum offerri debet, à quo tamen ante inſcriptionem deſiſtere actor poteſt, *cap. licet. inf. de accuſat.* non verò

Digitized by Google

poſt inſcriptionem, niſi cum reo conuenerit, *can. ſi quem. 2. q. 3.* aut intrà triginta dies, *l. fallaciter. C. de abolitionibus.*

## DE MVTVIS PETITIONIBVS,

### TIT. IV.

HIC quoque titulus de libellis, ſiue petitionibus; nec in alio differt à ſuperiori, niſi quòd ille agit de libello conuentionali ab actore tantùm propoſito, hic de eo quod mutuò retorquet reus aduersùs actorem; qui concurſus facit mutuam petitionem *ἀνταναγωγὴν, ἀντεισαγωγὴν* introductionem viciſſim factam, quam alij compenſationem vocant, vt ex Tertulliano *2. aduersùs Marcionem cap. 20.* luculentiſſimè demonſtratur: quam quidem non debemus hoc in loco accipere pro reciproca actione, quam miſtam, ſiue duplicem vocant Iuriſconſulti, in qua ſui naturâ vterque eſt actor, vterque reus; quales ſunt actiones finium regundorum, familiæ erciſcundæ, communi diuidundo, quæ ſimul vno, eodémque momento naſcuntur, & pereunt, *l. Actionis verbo. ff. de actionib. & obligat.* Sed de reconuentione & actione contraria, quam reus intendit ex aduerſo, quaſi compenſationis vice, vel *recautionis*, quâ *cautio euacuatur*, vt ait D. Auguſtinus, *lib. de cura pro mortuis*, qua cautio diſſoluitur, ſicuti repigneratio eſt pignoris diſſolutio, Græci vocant *ἀχυρογοίαν*, *euacuationem*, vel *euacuatorium* in formulis Marculphi, *lib. 2. cap. 27.* & *cap. 35. Epiſtolam euacuatoriam fecimus, vt de ipſis ſolidis omni tempore abſolutus reſideas*: ſimiliter *reſtipulatio* dicitur repromiſſio & diſſolutio prioris ſtipulationis apud Tullium, *Orat. pro Roſcio Comœdo. l. damni. 43. ff. de damno infect.* hâc reconuentione actio retunditur, & debitum compenſatur, *cap. cùm dilectus. inf. de ordine cognitionum, cap. 224. lib. 7.* Capitular. Hoc quidem titulo non eſt quæſtio propriè de illa compenſatione, ſed potiùs de fori competentia, an actor fori præſcriptionem aduersùs reum poſſit opponere, ſi reus eum coram eodem iudice pendente lite pro alia cauſa reconueniat: cuius enim in agendo obſeruat arbitrium, eum & contra ſe iudicem habere in eodem negotio non dedignetur, vt ex Papiniano refert Iuſtinianus in *l. vlt. C. de ſententijs & interlocut.* Nec tunc clericus ſeculare iudicium recuſare poteſt, vt notat Gloſſ. in *cap. 4. ſuprà, de iudicijs, cap. 3. de reſcript. in 6.* niſi cauſa ſit merè ſpiritualis, *cap. prudentiam. §. fin. ſuprà, de offic. iudic. delegat.* vel aduersùs iudicem ſuſ-



Digitized by Google

picionis cauſa moueatur *d. cap. 3.* tam verò conuentio, quàm reconuentio vnâ ſententiâ concludi debet, *cap. 2. hoc tit. l. 1. C. rerum amot.* Vna ſanè ſententia non ſemper intelligitur, quæ eâdem ſerie & paginâ vtramque litem complectitur, ſed etiam illa quæ incontinenti poſt alteram fertur, licèt re verâ ſint duæ ſententiæ, vt optimè notat Gloſſ. in *cap. 2. inf. de ordine cognit.* Non ità in criminalibus, in quibus reconuentio locum non habet, nec reus poteſt in eadem cauſa accuſationem proponere, quin priùs innocentiam ſuam purgauerit, *can. Neganda.* & *ſeq. 3. q. 11. l. is qui. ff. de publicis iudicijs,* Plinius *epiſt. 9. lib. 3. Eſt lege cautum, vt reus antè peragatur, tunc de præuaricatione quæratur.* Græci hanc recriminationem ἀντέγκλησιν & ἀντικατηγορίαν vocant; Plinius dicto loco, *reclamationem,* alij culpæ excuſationem dicunt, quia *omnis noſtra defenſio conſtat eius accuſatione qui vindicatur,* ait Quintilianus *lib. 7. cap. 5.*

## *DE LITIS CONTESTATIONE,*

### Tit. V.

POST preces emiſſas & libellum oblatum, ſequi debet litis conteſtatio, quæ facit iudicij exordium, non verò in ius vocatio, *l. ampliùs. ff. rem ratam haberi.* Quæ actionis editio non eſt, nec per poſitiones & reſponſiones fit litis conteſtatio, *cap. ſuper quæſtionum. ſup. de officio delegati.* Vera litis conteſtatio, vt notat Gloſſ. eſt negotij principalis hinc & inde coram iudice facta narratio, ſubſequutâ reſponſione, *cap. dudum. ſup. de elect.* tunc demum cùm merita cauſarum partium aſſertione panduntur, *l. vnicâ. C. eod. l. 2. C. ſi per vim, vel alio modo,* ſiue ex mutuo rerum conflictu: quod olim in lege duodecim tabularum ex iure manu conſertum dicebant, cùm alter alterum ex iure ad conſerendam manum in rem de qua ageretur vocabat, vt Gellius *cap. 9. lib. 20.* teſtatur, & Tullius *pro Murena.* Quæ rerum conflictatio verſa eſt in contentionem verborum, rationibus hinc inde parte vtrâque præſente propoſitis, quod eſt propriè conteſtari, & inde lis conteſtata apud Feſtum, quam Græci προκατάρξιν, ἐνστηκυίαν δίκην, id eſt, *iudicium conſtitutum, iudicium cœptum,* vt eſt in *l. 1. C. hoc tit. per petitionem in iure propoſitam, & reſponſionem factam,* vt loquitur *cap. vnic. hoc tit. Reſpondere propriè dicitur, cùm lis intenditur,* ait Donatus, *apud Terentium in Adelph.* non verò per poſitionem ſolam quæ facti narrationem conti-

Digitized by Google

net; quæ introducta eſt ad faciliores litis euentus, vt faciliùs elicianтur confeſſiones, & actor ab onere probandi redimatur, *Clement. ſæpe. de verborum ſign.* Sed hæc ſola non operatur petitionis effectum, vt dictum: niſi vno caſu, cùm res agitur coram Summo Pontifice; tunc enim actoris propoſitio, & rei reſponſio litem conteſtatam faciunt, vt argumentantur Doctores ex *cap. 1. ſup. de tranſact.* nec igitur ex ſolis poſitionibus, ſiue petitione proceſſus valet; multò minùs ſententia, quam fert iudex, quem agendi normam ſcrutari & ſeruare oportet, *cap. Dudum. cap. Cùm dilectus. infrà, de ordine cognitionum.*

## VT LITE NON CONTESTATA NON PROcedatur ad teſtium receptionem, vel definitiuam ſententiam,

### Tit. VI.

HIC titulus rectè ſuperiori cohæret, quo etiam ordo iudiciorum deſignatur, ante, vel poſt litem conteſtatam: & ponitur regula generalis, non eſſe teſtes admittendos, nec ius dici debere ante litis conteſtationem, quæ regula iuris antiqui formam deſtruit, quâ litem per ipſorum teſtium auditionem conteſtari ſolebant: *Conteſtari*, inquit Feſtus, *eſt cùm vterque reus dicit, teſtes eſtote; conteſtari litem dicuntur duo, aut plures aduerſarij, quòd ordinato iudicio vtraque pars diceret, teſtes eſtote.* hinc &, *anteſtari*, quod erat in ius vocare teſtes, apud Plautum in *Pœnulo.* Euocare dicit Iuriſconſultus in *l. 1. ff. de teſtibus.* quia olim vnâ ferè ſerie, vno tribunali, non adhibitis cauillationibus, & quæſtionum inuolucris, vt hodiè fit, cauſæ decidebantur, nec ambages illæ antiquæ cum noſtris comparari poſſunt, ità hominum malitia excreuit. Hodiè hic ordo ſeruatur, vt primùm libelli edantur, fiat in ius vocatio, præſentes adſint partes per ſe, vel per procuratores, atque in iudicio concluſiones adhibeantur; nos vocamus, *la clauſion, ou l'appointement en droict*: tum deinde ad probationes teſtium, vel inſtrumentorum procedatur, & illâ concluſione lis dicitur conteſtata, quod congruit cum *Nouella 112.* quâ res fit litigioſa, iudiciariâ conuentione inter partes factâ, vel precibus principi oblatis, & iudici inſinuatis, quod eſt notandum. Ante litem conteſtatam ad teſtium receptionem non eſt procedendum, niſi in quibuſdam caſibus, cùm de eorum morte timetur, qui forſan ſenectute, vel morbo grauantur, vel propter diuturnam abſentiam, *l. curent. ff. de teſtib.* Si agatur de ele-

Digitized by Google

ction alicuius prælati de matrimonij fœdere, propter rei contumaciam, qui litis conteſtationem impedit, per viam inquiſitionis, & ad conſeruandam præteritarum rerum memoriam: denique quotieſcunque periculum ex mora naſcitur, quæ omnia latiſſimè exponit Summus Pontifex in *cap. vlt. hoc tit.* quibus caſibus ſæpius & teſtes recipiuntur, & ſententia definitiua profertur; nec tamen teſtes propriè recepti dicuntur, qui non niſi lite conteſtatâ exhibentur, & publicantur. Poteſt quidem ſententia interlocutoria ferri, quoties propter contumaciam reus ſe non tuetur, *μονομερῶς*. Et in his differentia ponitur inter reum contumacem, conuentum actione reali vel perſonali, ob actionem in rem, ſeu rei vindicationem, ex decreto iudicis: lite non conteſtatâ actor mittitur in poſſeſſionem rei, non tam vt fiat Dominus, quàm cuſtos, *cap. penult.* & *vlt. inf. de eo qui mittitur in poſſ.* & *cap. penult. de dolo & contumacia*; nam veniente reo, & moram purgante, refuſis etiam expenſis, rei poſſeſſionem recuperabit. Si verò quæſtio ſit de actione in perſonam, aliud ſtatuitur: nam iudex duplicem viam habet, vel vt contumacem pœnâ excommunicationis coërceat, vel actorem mittat in poſſeſſionem rerum mobilium inprimis, & his deficientibus immobilium. Non ità fit quando actor eſt contumax contra quem ſententia definitiua profertur; quia maior eſt ratio iudicantis contra actorem, quàm contra reum, *Nou. 112.* quæ omnia Summus Pontifex deſumpſit ex iure ciuili, atque ità enucleatè diſpoſuit, vt vim & auctoritatem legibus & conſtitutionibus principum dederit.

## *DE IVRAMENTO CALVMNIÆ,*

### TIT. VII.

HIC titulus pertinet ad litium inſtruendarum rationem, quâ in limine iudicij calumniæ iuramentum poſtulatur, ante litem conteſtatam, vel in ipſa conteſtatione. Formulam habemus in *l. inter. §. qui familia. ff. fam. erciſc.* quâ actor iurat ſe non calumniæ causâ agere, nec inficias ire: quod ex veteri lege duodecim tabularum prodijt: *Si caluitur, pedem ſtruito.* Calumnia enim nihil aliud eſt quàm cauillatio, cùm per fraudem & fruſtrationem vitilitigatores alios caluantur litibus, id eſt decipiunt, fruſtrantur, ludificantur, vnde Tullius 2. *de repub.* apud Nonium, *vt Carneadi reſpondeamus qui ſæpè alienas cauſas ingenij calumniâ ludificari ſolet.*

D. Au-

Digitized by Google

D. Aug. *in Pſ. 118. Non calũnientur me ſuperbi; an fortè hanc habet vim quã baberet ſi diceretur, non me capiant calumniando. Græci* ἐξαπάτην dicunt, id eſt, *fraudem, deceptionem*: contra quam, cautionem partes præſtare debent, olim quidem in omnibus cauſis, vt ex Plinio *in epiſt. ad Ruſſum* contendit Cuiacius; ità vt calumniator in decimam partem litis condemnaretur, vt eſt in *tit. de pœna temerè litigantium* apud Iuſtinianum, & in *C. Hermogeniano, tit. de calumniatorib.* vnde pœna illa quæ infligebatur dicitur, *calumnia*, in legibus Longobardorum *tit. 17. Non habeat de vna cauſa duas calumnias.* Aliquando calumnia ſumpta eſt pro quacunque actione, petitione, ſiue libelli datione apud Marculphum: ſic calumnia regis Caſtellæ, & Regis Nauarræ dicitur apud Rogerum in *Henrico II. Angliæ rege*, vel etiam pro qualibet reſponſione vel defenſione in veteribus formulis ex lege Romana *cap. 5.* denique pro omni genere litium apud Arnulphum *epiſt. 32.* & Iuonem *epiſt. 17.* Flodoardum *Hiſt. Remenſ. cap. 10. lib. 4.* & paſſim pluribus alijs locis. Sed hìc pro tergiuerſatione, pro fraude, & iniuſta interpellatione, pro qua iuramentum iure veteri tenebatur præſtare actor tantùm, non reus, vt notauit Doctor maximus, *Obſeruat. 5. lib. 7.* vel in cauſis in quibus vterque actor, vterque reus *d. l. inter.* Et in eo multæ ambages, & multa verborum inuolucra adhibebantur, quæ ideò paulatim in deſuetudinem abierunt, donec iterum Iuſtinianus illud reſtituit, tam aduersùs reum, quàm actorem. Initio quidem & in limine litis proponendum *l. 1. C. hoc tit.* & *Nouel. 30.* Nec abs re inuentum eſt hoc iuramentum, ad veritatem ſcilicet eliciendam, & litigantium contentiones ſopiendas, *cap. Ceterùm. hoc tit. cap. ex literis. infrà, de iureiurando,* inuicem aſſerentium ſe putare bonâ inſtantiâ vti, vt eſt in *l. 2. C. eod.* vt qui recuſat, causâ cadat, *cap. 4. hoc tit.* nec ab eo quiſquam olim eximi poterat, exceptis clericis Conſtantinopolitanis, ex Martiani conſtitutione in *l. Cum clericis. C. de epiſc. & cleric.* quam ad omnes reliquos traduxit Henricus II. Imperator, conſtitutione quæ refertur in *cap. 1. hoc tit. in 1. compilat.* & meminit Honorius III. in *cap. 1. hoc tit.* Et ità cautum eſt ne ampliùs clerici iurare de calumnia cogantur: & ne fraudis ſuſpicio remaneat, perſonarum qualitate inſpectâ per Oeconomos in animam iurantis id fiat, *cap. 3. & 4. hoc tit.* aut ſi lis moueatur pro collegio, vel vniuerſitate, per procuratorem, aut ſyndicum, *cap. Cùm cauſam. hoc tit.* niſi tunc demum cùm Epiſcopus vel clericus aliquis negotium in ſe ſuſcepit, ità vt aliter experiri non poſſit, niſi iuretur de calumnia: tunc ad iuramentum cogetur, non quidem tactis, ſed propoſitis Euangelijs,



Digitized by Google

*cap. vlt. hoc tit.* ſicut de iudicibus dicitur in *l. 2. C. eod.* Hæc enim propoſitio non eſt iuramentum, ſed potiùs præſidium maius ad id agendum,quod quis façere debet. Permittente quidem Summo Pontifice id licet Epiſcopis, *cap. 1. hoc tit.* & clericis alijs, *cap. 5. hoc tit.* & *cap. 3. de fideiuſſ.* & ità fit vt hodiè iurare cogantur omnes non tantùm in cauſis ciuilibus, ſed etiam ſpiritalibus, vt definit Bonifacius in *cap. 1. hoc tit. in 6.* qui ordinem antiquum ſeruare non iubet, vt initio tantùm iuretur, vt dictum eſt ex *Nou.* Iuliani, imò & in quacunque litis parte, quocunque tempore ſuſpicio fraudis interuenit, vt & notat Gloſſ. in *cap. ex literis, infrà, de iureiurando.* Idem etiam ſeruandum eſſe in criminalibus quidam cenſuerunt, ex ſententia veterum Iuriſconſultorum, quos ſecutus eſt Fridericus Imperator, vt annotauit Cuiacius: quod tamen generaliter obſeruari voluiſſe non eſt ſentiendum, ſed in caſibus aliquibus, vt de pace tenenda, & de incendiarijs, vt patet ex *lib. 5. feudorum*, quod *Nouella* Leonis *107.* demonſtrat; & in eo Doctor maximus Martini interpretis ſententiam probat, contra Accurſium in *l. vlt. C. de fide inſtrument.* in qua quamuis de calumnia iurandum eſſe dicat, non debemus intelligere ratione criminalis, ſed ciuilis cauſæ, quæ reſpicit inſtrumenti exhibitionem: nam in criminalibus accuſatio & inſcriptio iuramentum calumniæ præſtant.

## *DE DILATIONIBVS,*

### TIT. VIII.

ET hic titulus ad iuramentum calumniæ pertinet, quoties reus fraudulenter moras nectit: ideò Iulianus in *Nouella 44. dilationis,* & *calumniæ* cauſam iungit; dilatio enim plerunque turbat ordinem iudiciorum, & iudicandi facultatem tollit, *l. Iudex. ff. de iudicijs.* Quod deſcendit ex lege duodecim tabularum, quæ diem diffendi, id eſt, diffindi, & differri dicebat, *l. 2. §. ſi quis in iudicio. ff. ſi quis cautionib.* nec intereſt ſiue dicamus diffundi, ſiue diffindi, vt plures hac in parte rixantur, Græci σχίζειν, quod eſt ſcindere, vel *differre vadimonium*, vt loquitur Tullius *orat. pro Quinctio.* Hæc dilatio iudicij ἀντίληξις, vel, παλινδικία dicitur apud Græcos; cùm reus tergiuerſatur, στρεψοδικεῖ ait Iulius Pollux *cap. 6. lib. 8.* Alia eſt dilatio quæ non eſt fruſtratoria, imò eſt legitima: veluti quæ petitur ob morbum, vel ali-

Digitized by Google

quam aliaãrationabilem cauſam,vt eſt in *d. lege 12.tabul.& d.l. 2.* Tunc enim iudex poteſt terminum reſtringere, vel prorogare, & dare inducias reo ad deliberandum, & reſpondendum petitionibus actoris, *can. inducia.§. iudicantes.* 3. *q.* 3. *l. 1.* & *l. ſi quando. C. eod.* vel ſi vtilitas publica id exigat *cap. vlt. hoc tit.* Quod locum habere debet, quoties iudici videbitur, cuius religioni hoc datur, licèt viginti dierum termino ante litem conteſtatam definiantur, *Nouellâ 53.* nam pòſt, trium edictorum & vnius peremptorij ordo ſeruandus eſt triginta dierum, *Nouellâ 112.* Tunc non veniente qui citatus eſt, eremodicium contrahitur, quod eſt litis inchoatæ deſertio, *l. Contumacia. ff. de re iudicata,* & *l. Properandum. C. de iudicijs.* His peractis legitimè facta citatio dicitur, *cap.2. hoc tit.* nec dari ampliùs dilatio debet, *c.3. hoc tit.* vt quoties quis citatur corã Principe nulla ampliùs dilatio, danda. *l. 5. ff. hoc tit.* quod etiam Sũmus Pontifex contra monetæ falſarios ſtatuit, *extrauag. commun. cap. vnico. hoc tit.* In quibuſdam alijs caſibus dilationes iudiciorum obſeruari debere ſtatuit Emanuël Comnenus *conſtitutione quâdam apud Photium,* quoties de pupillorũ, vel pauperum educatione, vel de animæ cura quæſtio eſt, in quorum cauſis tres tantùm dies ſtatuit.

## *DE FERIIS,*

### TIT. IX.

MIRE' congruit hic titulus cum ſuperiori; nam feriæ dilationes ſunt, *l. 6. C. hoc tit.* ſed differunt in eo quod dilationes fiant tantùm vnius rei, vel litis; feriæ omnium: illæ nullum tempus certum & definitum habent, ſed pro iudicis arbitrio ſtatuuntur: hæ à lege certum & ſtatutum tempus habent; Feſtus *ferias ſtatas* vocat; illæ in gratiam & neceſſitatem partium, hæ in Dei honorem & publicam vtilitatem. Feriæ igitur ſunt dies in quibus vacari debet ab omnibus negotijs, litibus, & iurgijs, & ab omni opere ſeruili, *cap.* 3. *hoc tit.* feriæ enim ſunt dies feſti, quos Græci ἀπράκτυς, & ἀργὰς ἡμέρας vocant; non verò faſti, vt malè confundunt plerique, quibus Prætori licebat fari iuridica verba, ſeu ius dicere, vt ad eundem Feſtum viri docti ſcripſerunt. Dies feſti vocantur dies deuotionum in *l. vlt. C. Theod. de nauicularijs,* dies orationum in *can.2. 15. q. 4.* gaudiorum apud Græcos Interpretes, qui diem feſtum τὴν χαρμονὴν, *gaudium* interpretantur, quia tunc tantùm Deo ſacrificium fieri ſolebat, *can. 66.* Syn. VI. in

Trullo, vel quia his feſtiuitatibus tantùm Chriſtiani Eccleſias frequentabant, apud Chryſoſt. *ſermone 59. in Matthæum.* Quæ diſtinctio dierum facta eſt, vt ex mutuo aſpectu, & congreſſu maior lætitia, & veneratio haberetur: cùm aliàs omnes dies ſint æquales, nec per Paraſceuen tantùm Chriſtus ſit crucifixus, & die dominicâ reſurrexerit, ſed ſemper ſit ſanctus reſurrectionis dies, vt ſcribit D. Hieronymus in *cap. 4. ad Galatas.* Præter verò feſtos dies in ceteris τῶν προηγιασμένων, id eſt, *priùs oblati & perfecti ſacrificij*, præſanctificatorum oblatio iterabatur, vt explicant Zonaras & Balſamon ad *can. 52. eâd.* Peculiare id fuit Græcis; nam Latini dies ſolennes à communibus non diſtinguebant, imò omnibus ſacrificabant. Tertullianus *lib. de ieiunijs aduersùs Pſychicos cap. 14. Nobis certè omnis dies etiam vulgatâ conſecratione celebratur*; & D. Hieronymus *epiſt. ad Algaſiam*: *Nobis qui in Chriſtum credimus iugis & æterna feſtiuitas eſt*: quod pro conſuetudine regionum factitatum fuiſſe docet D. Auguſtinus *epiſt. 119. ad Januarium*; alios enim dicit quotidie communicare corpori dominico, alios certis diebus, alios tantùm ſabbato & dominicâ. Et hæc eſt vera ratio cur dies hebdomadæ dicantur, *feriæ*; quia clerici nullo die à diuinis vacare debent, exemplo Flaminum, apud quos dies omnes erant feriati apud Gellium, *cap. 15. lib.* 10. vt rectè annotauit Cardinalis Baronius *ad annum 44.* & hoc feriæ nomen, primùm hebdomadæ Paſchalis diebus datum eſt, quibus omnes Chriſtiani olim ab omni opere ſeruili vacare, & ſacroſancta myſteria percipere debebant. *can. 2.* Concilij Matiſcon. 2. *Paſcha noſtrum, & ſanctiſſimis ſex diebus nullus ſeruile opus audeat facere.* Nec poſt diem tertium ceſſare fas erat, vt hodiè, de quo conqueritur Balſamôn ad *d. can. 52.* Hanc totam paſchalem ſeptimanam feriatam feciſſe primùm Conſtantinum Magnum teſtatur Alexander monachus, de inuentione S. Crucis, διακαινίσιμον vocant Græci. Codinus *de offic. aulæ Conſtant.* Balſamon in *reſponſ. ad Cabaſilam*: & ad exemplum dierum huius ſanctæ hebdomadæ, aliarum etiam dies feriæ dicti ſunt; diſtinctione habitâ inter ferias ſimplices & ſolennes, *cap. fin. hoc tit.* ideò hebdomada ſancta dicitur magna & venerabilis apud reges, κελεύσαντες ἐκεχειρίαν ἅπαντας ἔχειν, id eſt, *mandantes vt omnibus ſint induciæ & feriæ*, clauſis foribus iudiciorum, & carceribus apertis, vt docet D. Chryſoſtomus, *homil. 30. in cap.* 11. *Geneſ.* ἐκεχειρίαν vulgò Græci accipiunt pro vacatione belli & pugnæ apud Gellium *lib.* 1. *cap. 45.* propriè pro manuum ceſſatione ab omni opere & labore illicito, *cap. 1. hoc tit.* Illicitum dicit opus, quod aliàs congruum eſt, vt diſtinguat ab eo, quod nulla ſolennitate & feſtiuitate impedi-

Digitized by Google

tur, vt de halecum piſcatione, quæ pro temporis opportunitate facienda eſt, dicitur in *cap. 3. hoc tit.* Quam exceptionem ad omnia opera ruſtica, quæ ex mora periculum patiuntur extendit Conſtantinus Imperator in *l. 3. C. hoc tit.* Virgilius 1. *Georg.*

*Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus*
*Fas, & iura ſinunt. &c.*

quæ latiùs percurrit Columella *lib. 3. cap. 3.* quod tamen diebus dominicis non eſt paſſus Leo Imperator *Nouellâ 54.* Canones noſtri temperamentum addiderunt, niſi propter inopiam, vel aliquam aliam neceſſitatem otiari non poſſint, εἴγε δύναιλο σχολάζειν, id eſt, *ſi poſſunt otiari*, inquit, *can. 29.* Synodi Laodic. qui latus eſt contra Iudæorum ſuperſtitionem, qui ità in ſabbato otiabantur, vt nec operari, ſed nec diuinis canticis vacare auderent, ait Balſamon; ideò quærebant Dominum interficere quia ſoluebat ſabbatum & eo die ſanabat ægrotos Ioannis *cap. 5.* Ad huius ſabbati exemplum annus etiam ſabbaticus fuit inſtitutus *Leuit. cap. 25.* quo ab omni agrorum cultu ceſſandum erat quolibet ſeptimo anno & hæc ceſſatio *Semitah.* Id eſt, *quietem*, ſeu *ceſſationem* vocabant. Nuſquam enim omnia opera prohibita fuerunt, ſed ſeruilia tantùm: non verò quæ ad cultum Dei pertinebant, *cap. 21. Exodi.* Nec ſolùm diebus ſolennibus operari fas erat, ſed nec tripudia, aut equorum curſus, & ſpectacula fieri debebant, *d. can. 66.* Synodi 6. Præter hos dies feſtos & ſolennes erant alij quibus licuit operari, ſed non ludicra exercere, nec nuptias, vel natalitia, vel conuiuia celebrare, quod extenſum eſt ad tota quadrageſimam, *can. Non oportet. 33. q. 4.* & deinde à Septuageſimâ vſque ad Octauam poſt Pentecoſten, & tribus ſeptimanis ante feſtum ſancti Ioannis, ab aduentu Domini vſque ad Epiphaniam. Quòd olim non intelligebatur de pompis tantùm & feſtiuitatibus quæ fiebant in nuptijs, ſed de ipſo matrimonij ſacramento, & conſummatione, licèt contractus quocunque tempore fieri poſſet, *cap. 4. hoc titulo*, quod etiam ſtatuit Concilium Tridentinum. Sunt adhuc aliæ feriæ quæ otium indicunt à forenſi iudiciorum ſtrepitu, vt liberiùs negotijs domeſticis vnuſquiſque vacare poſſit, quales ſunt vindemiales, & meſſium, *cap. penult. hoc tit.* has *meſsiuas* vocant leges Vviſigott. quæ quidem, vt opinor, non ob id tantùm indicebantur, ſed etiam vt locus eſſet orationi; nam in Carthag. prouincia ob locuſtarum vaſtationem conceſſas eſſe dicit lex Vuiſig. *11. lib. 2. tit. 1.* lites quidem tunc ceſſabant, ſed non criminum pœna & condemnatio, vt ibi dicitur, & in *can. Nullus. 15. q. 4.* qui honos peculiariter datus eſt die-

Q 3

bus dominicis & ſolennibus, *cap. 1. hoc tit.* Aliæ ſunt feriæ dictæ repentinæ, ob res præclarè geſtas ab Imperatore, vel republica; *l. 3. C. hoc tit.* Clementinâ *Sape. de verborum ſignif. l. ſed & ſi. §. vlt. ex. quib. cauſ. maiores.* Erant & Latinæ, quibus triduum datum fuit apud Halicarnaſſ. *lib. 6. cap. vlt.* hos dies feſtos Græci *καλὰς ἡμέρας* dicebant, Latini, *bonos dies* apud Terentium & Plautum, vnde Catullus Saturnalia *optimum dierum* vocitat: hinc etiam feſta verba quæ diem feſtum decebant apud Herodianum & Capitol. Aliæ ſunt quæ dantur ob negotia tantùm, vt ſunt nundinæ, quas *ἀτελείας*, id eſt *vacationes* Græci vocant.

## *DE ORDINE COGNITIONVM,*

### Tit. X.

FRVSTRA de iuriſdictione Eccleſiaſtica, & de iuris dicendi opportunitate dictum fuit, niſi & ordo ſpectetur: quod conditores iuris vtriuſque obſeruarunt, titulos de ordine iudiciorum, & de ordine cognitionum ponentes; non quòd re verâ aliud ſit cognitio, aliud iudicium: nam in Codice *titulus de ordine iudiciorum* latiùs patet, omnia quæ ad quamcũque iuriſdictionem ſiue ordinariã, ſiue delegatam faciunt, complectens; *titulus* verò *de ordine cognitionum* libertatis tantùm materiam tangit. Cognitionis nomen propriè ad principem, vel ad magiſtratus refertur, cùm vel princeps ſponte ſuâ cognoſcit, vel magiſtratui cognitionem delegat, vel etiam ipſi magiſtratus ex officio ſuo cognoſcunt: quæ cognitio legitima eſt & extraordinaria, quam etiam alteri mandare ſæpiùs nequeunt, *l. interdum. ff. de iudicijs. l. 3. ff. de in ius vocando.* Ordinaria cognitio eſt, quæ iudicibus datis competit, *l. 1. ff. de extraordin. cognitionib.* & vtroque modo facultas illa iudicandi vulgò cognitio dicitur, *l. penult. ff. de iuriſd. omnium iud.* Ideò in prima compilatione hic titulus *de ordine iudiciorum*, concipitur, quaſi idem ſit *cognitio* quod *iudicium*, vt in *cap. 1.* & *penult. hoc tit.* Per ordinem autem cognitionum, ſiue iudiciorum, intelligit Gregorius regulam & ſeriem litium expediendarum, quoties plures actiones ſeu iudicia concurrunt, quæ priùs expediri debeant; criminalis priùs quàm ciuilis; momentanea ſeu poſſeſſoria, quàm petitoria; quæſtio ſtatus quàm aliæ; quænam ſit præiudicialis, id eſt quæ futurum iudicium vel moretur vel impediat, ſiue agatur de alimentis, vel de criminibus, aut de

Digitized by Google

bonis, aut de ſtatu. Sicut in *cap. 1.* quæritur an quæſtioni de fœdere matrimonij, præiudicium faciat exceptio conſanguinitatis, ſicut ei qui ſe heredem contendit, defectus natalium principalem quæſtionem elidit, & præiudicium facit, *cap. penult. hoc tit.* Spoliationis ratio etiam priùs habenda eſt in *capite vlt. hoc tit.* Nec ideò tamen præiudicia poſteriorem cauſam ſemper elidere cenſendum eſt; ſed ideò ità vocantur, quia concurrunt cùm alijs, & priùs iudicantur, viam & cognitionem totius rei ampliorem faciunt, vt eſt in *l. 1. ff. fam. erciſc.* vnde Aſconius in *primam contra Verrem* definit præiudicium, rem quæ cùm ſtatuta fuerit, exemplum adfert iudicaturis quod ſequantur. Quod & in criminibus locum habet, quoties vel teſtium oppoſitio, vel amplior inquiſitio decernitur, *l. 1. C. de his qui accuſare non poſſ.* Sic apud Suidam, Athenis qui cædis rei poſtulabantur, in Prytaneo tres menſes agebant, intrà quos argumenta & teſtimonia proferebantur, & illud decretum quo in Prytaneum relegabantur dicebatur προδικασία, id eſt, *præiudicium.* Denique omnes lites quæ concurrunt cùm alijs, vel incidenter veniunt, vulgò præiudicia vocantur *tit. de appellationib.* in Cod. Theod. & ſæpe interlocutiones appellantur, à quibus non ſolet appellari, *l. 3. C. de epiſc. audient. l. ab executione. C. quorum appellat. non recip.* Non ideò tamen præiudicia vim iudicati paſſim obtinere dicendum eſt; nam abſolutio vel condemnatio vnius, alteri prodeſſe vel obeſſe non debet: rerum enim mutatio, ſicut & perſonarum, aliam atque aliam rem facit, *l. ſi cum vno. ff. de except. rei iudic.* hinc Tullius, *orat. pro Plancio; Cur non eius damnatione aliquid ad hoc iudicium præiudicij comparaſti?*

## *DE PLVS PETITIONIBVS,*

### TIT. XI.

TITVLVS iſte ad ſuperiorem refertur de ordine iudiciorum, quomodo actor petitionem ſuam inſtituat, ne debiti modum & menſuram egrediatur plus petendo, re, cauſâ, loco, & tempore: quod totum Gregorius deſumpſit ex iure ciuili, ſic pleroſque alios titulos, ne iuris Canonici corpus aliquo membro defectum pateretur. Petitio enim in omnibus ſuis partibus vera eſſe debet, ità vt neque plus, neque minùs, neque aliud pro alio petatur, quod, *purè agere*, dicit Iuſtinianus in *§. ſed hæc quidem. de actionibus*, reiectâ omni ambiguitate vel obſcuritate, *cap. 2.*

Digitized by Google

*ſup. de libelli oblat.* Res quæ petitur exprimi debet, ſicut & cauſa, ſiue modus obligationis; obligationis tempus, & locus obſeruari debent, *cap. peruenit inf. de cenſib.* quod iuris ciuilis teſtimonijs non eſt probandum, vt ſatis peruium, *ex tit. de actionib.* Inſtit. & Paulo *1. ſent. tit. 10.* ità vt nemo ſit qui neſciat pœnas olim ſtatutas fuiſſe quibus plus petens causâ cadebat: Plautus in *Moſtellaria*: *Velim quidem herclè vt vno nummo plus petas.* quod ego facilè exiſtimem primùm proceſſiſſe ex lege duodecim Tabul. vt docet Tullius 1. *de Oratore.*, licèt Cuiacius ad actionem tutelæ tantùm referat, ex *l. Tres tutores. ff. de adminiſt. tutor.* cùm tamen Tullius verba legis, *cuius pecuniæ dies fuiſſet*, ad omnem petitionem referre videatur, quod confirmat in *Partitionibus oratorijs*: & ità locum habebat iure communi, vt quomodocunque quis plus peteret, causâ caderet. Id confirmatur à Leone magno in *cap. vnico. hoc tit.* in prima compilatione, & Euſebia Emiſena, vel potiùs Eucherio Lugdunenſi; *homilia 11. poſt Paſcha*: *Sicut in negotijs gerendis quatuor modis plus petendo ſubire periculum pro iuris ratione perhibetur.* Hunc rigorem temperarunt duæ conſtitutiones, vna Zenonis, altera Iuſtiniani, vt qui tempore plus petit, inducias debitori duplicet, litis ſumptibus amiſſis: is verò qui re, loco, & causâ plus petit, ſportulas triplò perſoluat. *§. hodiè.* Inſtit. *de exceptionib.* quod ius ſequitur Gregorius *hoc titulo*: quod quidem in Gallia non ſeruari obſeruauit Rupæus Flauignius, *lib. 2. Placitorum Toloſ. art. 14.*

## *DE CAVSA POSSESSIONIS, & proprietatis,*

### TIT. XII.

ET hic quoque titulus ad ordinem cognitionum pertinet, in quo quæritur modus tractandæ poſſeſſionis, & proprietatis: vt primùm quæratur de poſſeſſione, quam vocat *caput primum*, *cauſam momenti*, vt diſtinguat à principali, quæ eſt de proprietate, *cap. 2. hoc tit.* in 1. compilat. *Momentum* dixerunt Iuriſconſulti, ſeu momentariam poſſeſſionem, non à breuitate temporis ἐν ἀτόμῳ, *à puncto*, ab articulo (nec enim tam breui ſpatio coarctatur poſſeſſio) ſed potiùs à celeritate, quæ in poſſeſſione expedienda adhiberi ſolet, vt Iſidorus ſcribit, πρὸς ῥοπὴν, dicunt Baſilica, metaphorâ ſumptâ ab examine libræ, quæ celeriter in vtramque partem inclinat: Ariſtoteles *cap. vlt. lib. 2. de cælo*, τὴν πρόωσιν τῆς ῥοπῆς id eſt,

id eſt *propulſionē propēſionis* appellat: non quòd poſſeſſio illa momētanea parum ſit duratura, & remanſura penès poſſeſſorem, vt ait Gloſſa; ſed quia temporis momento ſi fieri poſſit iudex, vel cognitor de ea cognoſcere debet: *ſinè mora*, ait Gregorius *epiſt. 102. lib. 7.* vnde deſumptum eſt *d. caput 2.* vel, vt vetus Interpres Tancredus notat, momentum dicitur, vel momentanea poſſeſſio, quòd ità incerta ſit, vt pendeat ex momento, & licèt diutiùs duret, tamen ad interitum apta eſt; ſicut lex Aquilia dicitur actio pœnalis, quòd ſit apta ad pœnam. *§. ſed & legis. Inſtit. de actionib.* & bona dicuntur eſſe in patrimonio, quæ vſibus communibus idonea ſunt. *§. 1. de rerum diuiſ.* Igitur poſſeſſionis cauſa primùm eſt examinanda, tum deinde proprietatis, in vno, eodémque iudicio, id eſt ſub vno eodémque iudice; quia nempe iudex cognoſcens de poſſeſſorio, debet etiam de petitorio cognoſcere, non quidem vnâ & eâdem ſententiâ, ſed in eadem lite: nec enim cauſæ continentia diuidi debet, vt expreſſis verbis dicitur in *l. nulli. C. de iudic.* ſicut fit in mutuis petitionibus, *l. cùm Papinianus. C. de ſentent. & interloc.* Licèt olim iure veteri apud vnum poſſeſſionis, apud alterum proprietatis quæſtio verteretur; illa nempe apud Prætorem, hæc apud legitimos iudices & pedaneos; quia Prætoris officium erat, datis interdictis, ſuam operam interponere, quod eſt de poſſeſſione decernere, *ne partes ad arma proſiliant*, inquit *l. 13. §. ſed ſi inter. ff. de vſufruct.* pro reſiduo, quod eſt proprietatis dabat iudices, vt ex Theophilo probat Cuiacius. Iudex igitur datus regulariter, de poſſeſſione primùm iudicabit, deinde de proprietate, quod iuris ciuilis autores non obſeruarunt: nec enim vetitum fuit iudici vtramque quæſtionem coniungere, & vno, eodémque iudicio definire; quod probat ipſe Cuiacius *Obſeruat. 38. lib. 7.* ex epiſtola Symmachi ad Theodoſium, quæ opinio fuit Martini; quoties nempe agebatur de interdictis recuperandæ, retinendæ, vel adipiſcendæ poſſeſſionis, ex *l. Naturaliter. §. nil commune. ff. de acquir. poſſ. l. cùm fundum. §. vlt. ff. de vi & vi armata*; non verò quoties agitur de interdicto vnde vi, quod promptiùs eſt expediendum, & antequàm de proprietate agatur, *l. Si de vi. 37. ff. de iudicijs.* Cui opinioni aduerſantur vetuſtiores iuris Interpretes, Ioannes, Azo, atque ipſe Accurſius: ideò nouum & peculiare dicunt eſſe noſtri iure canonico, vt coniungi poſſit cognitio proprietatis cum cauſa poſſeſſionis, & vtraque vnâ ſententiâ poſſit concludi, *cap. Cùm Eccleſia*, & *cap. Cùm dilectus, hoc tit.* Et in eo ſanè diligentiam Gregorij negare non debemus, qui ſi ius nouum hac in parte non ſtatuat, ſaltem dilucidiùs exprimat; omne ſcilicet interdictum poſſe concurrere cum proprietate, excepto in-



Digitized by Google

terdicto vnde vi, §. *æquè.* Inſtit. *de actionib.* Quoties verò de proprietate primùm agitur, quæſitum fuit an incidenter, vel poſteà de poſſeſsione agi poſſit: quod noſtri Doctores admittunt, finito nondum iudicio, niſi pendente quæſtione principali poſſeſſoriam actor reſeruauerit, *l. officium. ff. de rei vindicat. cap. Paſtoralis. hoc tit.* Et licèt deciſione petitorij, poſſeſſionis iudicium datum fuiſſe videatur, quia acceſſorium ſequitur ſuum principale, & petitorium quaſi nobilius attrahit poſſeſſorium *l. Bonâ fide. ff. Depoſiti.* tamen quoties nuda proprietas in iudicium deducta eſt, poſſeſſio non includitur. Quæ omnia inter eos qui ſunt eiuſdem fori ſunt intelligenda, vt diſtinguamus forum ſeculare ab Eccleſiaſtico, quod de poſſeſſorio tantùm cognoſcit, ſicut hoc noſtrum dè petitorio, *cap. 7. inf. qui filij ſint legitimi*; nec aliter quæſtiones & controuerſiæ Eccleſiaſticæ iure huius regni tractari ſolent.

## *DE RESTITVTIONE SPOLIATORVM,*

### TIT. XIII.

GREGORIVS optimè iuris ciuilis regulis ſeſe accommodauit, &, vt diximus, interdictum quod vi, aut clàm, ab alijs diſtingui debet, quoniam alia interdicta poſſunt vel coniunctim, vel ſeparatim cum proprietate tractari, at hoc nuſquam; ſed priùs reſtitutoriâ actione agendum eſt, quæ ideò ſola propriè dicitur actio momenti, *can. redintegranda. 3. q. 1.* & *l. 8. C. vnde vi.* Inſtit. *de interdictis*, & locum habet, quoties vis ineſt publica, vel priuata; publica quæ fit coactis hominibus armatis; priuata clàm, dolo, fraude, vt diſtinguit Tullius in *orat. pro Cæcinna*, & eſt in *l. 1. ff. quod vi, aut clàm.* Ideò verò ſeparatur hoc interdictum ab alijs, quia in hoc plura veniunt: nam reſtitutionis *ἀποκαταςάσεως* nomine veniunt fructus partus, vſucapionis ratio, & ſimilia, denique quanti intereſt actoris priſtinæ cauſæ reſtitui, *l. 6. de vi, & vi armata, l. reſtituere. ff. de verbor. ſignific.* quod non eſt in alijs. *l. 1. §. ex die. eod. tit. de vi & vi, l. ſemper. §. in hoc. ff. quod vi, aut clàm.* Id confirmatur in *cap. Conquerente*, & *cap. grauis, hoc tit.* Et in eo differentia notanda eſt inter violentum poſſeſſorem, & alium, ſiue malæ fidei poſſeſſorem, ſiue bonæ fidei; quia hic non tenetur niſi ad reſtitutionem fructuum tantùm exſtantium ante litem conteſtatam, alter ad omnes qui percepti fuerunt, *l. Certum. C. de rei vindicat.* at ſpolians &

violentus ad eos quos percipere potuit, quos edictum Theodorici regis in duplum reddi iubet, imò & omnem vtilitatem actoris præſtare tenetur, *l. cùm Prator. ff. de verb. ſignif.* vt optimè diſtingunt Interpretes. Vnde colligitur quàm ſingulare ſit hoc interdictum, præcipuè in eo, quòd nunquam partes audiantur, quin ſpoliatus reſtitutus fuerit *ante omnia, ſinè vocatione & iudicio*; vt ex Concilio Aruernenſi refert Goffridus Abbas in *Epiſtola ad Guillelmum Epiſcopum*, quod intelligendum de principali cauſa, ante quam nemo eſt audiendus *can. 1.* & *2. 3. q. 1.* *dicebat priùs ſe eſſe reueſtiendum antequàm tranſiret ad actionem aliarum cauſarum*, inquit Iuo Carnot. *epiſt. 172.* vbi notandum eſt, *reueſtiendi* verbum quo vtuntur leges Vviſigottorum *lib. 12. tit. 1. teſtimonio nobilitatis priſtinæ decernimus reueſtiri*, & *tit. 3. eiuſdem lib.* & Capitularium *3. lib. 5.* quod magis quadrat quàm *inueſtiendi* ſpoliatos, quo vtitur Goffridus *epiſt. ſequenti*: Reueſtiri enim, nec reſtitui poteſt, niſi qui anteà fuerat veſtitus, vel in poſſeſsione conſtitutus; nemo dicitur deijci, niſi qui poſſidet, qui legitimam habet poſſeſſionem, *cap. vlt. hoc tit. in 6.* ideò ſi quis ante vim illatam renuntiauerit beneficio, non poteſt iuuari interdicto, ſed qui poſt ſpoliationem eierauerit, *cap. 2.* & *duobus ſeqq. hoc tit.* Quæ diſtinctio eſt Interpretum, quam ſequitur Cuiacius. Quæuis abiuratio, ἐξωμοσία Harmenopulo, aliquando nec antè, nec poſt ſpoliationem conſideratur, ſed quæ ſpontanea eſt, *d. cap. 4.* Hoc autem interdictum, licèt propriè competat vi deiectis, tamen in caſu quo mulier diſcedit à marito datur, quaſi ſit interdictum de vi, *cap. 8.* & *10. hoc tit.* aliàs non, ſed tantùm vi deiectis: adeò vt aduerſùs eos qui vim non fecerint, ſed apud eos res vi ablata peruenit, etiam competat, *cap. 1. hoc tit. in 6. cap. penult. hoc tit.* Quod ex iure Pontificio eſt, vt nominatim profitetur Alexander III. non verò iure ciuili, *l. Cùm à te. ff. de vi & vi arm.* & debet fieri reſtitutio officio iudicis, *præſentialiter*, vt addit Gratianus, non ſolis verbis, aut cautionibus, & datis pignoribus, vt notatur in *d. can. 2, 3. q. 1.* Hoc verbum *præſentialiter* hauſtum eſt ex mera proprietate iuris ciuilis, in quo præſentare vel repræſentare dotem vel pecuniam, eſt numerare, & ad præſens reddere apud Iuriſconſultos; ità Tertullianus *lib. 2. aduerſùs Marcionem*, & alibi ſæpè, dixit, *repræſentare corpus Chriſti*, quod eſt re verâ exhibere, non per ænigma, nec per figuram, aut ſignificationem, vt ſomniant Gnoſtici noſtri.



Digitized by Google

## *DE DOLO ET CONTVMACIA,*

### TIT. XIV.

ORDO iudiciorum continuatur, & hîc agitur de interdicto poſſeſſorio, quod datur in abſentem, vel contumacem, rei ſeruandæ cauſâ: quod deſcendit ex edicto Prætoris *l. 1.* & *2. ff. ex quib. cau. in poſſ.* de qua poſſeſſione dicetur *tit. ſequenti.* Hoc tantùm de eo qui per dolum, vel contumaciam iudicium detrectat, id eſt, qui non vult reſpondere, nec ſufficit ei comparere; ídque dolo malo, ſiue malitiâ facit, ſinè qua contumacia eſſe non poteſt, *cap. 1. ſuprà, de iudicijs. cap. Prout, hoc tit.* vnde cõtumax à Græcis vocatur αὐθάδης, *peruicax,* & *ſuperbus,* qui alios ità contemnit, vt eorum conſortium fugiat; ideò etiam conſtitutio Græca, φεύγοντα, *fugientem* vocat in *l. properandum. C. eod.* Contumax eodem modo definitur hoc iure, quo ciuili, vt notum eſt ex Paulo 5. *Sentent. tit. 5.* qui tribus edictis vel literis euocatus recuſat cauſam dicere, *l. contumacia. ff. de re iudic.* quæ edicta varijs nominibus appellantur, admonitiones, auctoritates in *can. de illicita. 24. q. 3.* aliàs correptiones, & cõteſtationes, *cap. 11. eod.* & concilio Africano ſub Cœleſtino *cap. 15.* comminationes & programmata, *l. Tutor. §. ſi igitur. ff. de adminiſtr. tut.* His ſimilia ſunt edicta ſynodalia, de quibus Balſamon ad *cap. 12.* Synodi Antiochenæ, συνοδικὰ σημειώματα. Tribus his edictis additur quartum, quod vulgò peremptorium, vltra quod pariter tergiuerſari non licet, *l. ad peremptorium, & duab. ſeqq. ff. de iudicijs.* Nec opus eſt aliâ citatione, ſeu interpellatione, οὐκ ὀφείλει ἀναμιμνήσκειν ὄχλησιν, inquit Harmenop. *lib. 3. tit. 3.* Oportet autem vt reus ſit legitime citatus ad hoc vt contumaciæ argui poſſit, *cap. Cauſam. hoc tit.* Et citationes illæ tam hoc iure, quàm ciuili, fieri debent ſeparatim, intrà præfinitum tempus, προθεσμίαν, vt loquuntur Græci, dierum nempe decem, quos ad viginti prorogat *Nouella* Iuſtiniani 53. & *86.* vel etiam ad menſem triginta dierum, per quos vocari legitimè quis dicitur, & non per paucos dies, vt ſcribit Balſamon ad *can. 74. Apoſt.* τὸ γὰρ καλεῖσθαι ἐνταῦτα κατὰ νόμους νοεῖται, ἤγουν διὰ ἐπιφωνημάτων τριακονθημέρων, καὶ μὴ, ὡς τινες εἶπον διὰ μηνυμάτων ἐγγράφων ὀλιγοημέρων; id eſt, *hic ergo vocari legitimè intelligitur, ſcilicet per triginta dierum edicta, & non, vt nonnulli dixerunt, per paucorum dierum ſcriptis mandatas denunciationes*: quibus peractis adhuc annus dandus eſt, *Nouellâ de*

*litigioſis 112.* contra ius vetus quod dabat triennium, vulgatâ *d. l. properandum.* §. *ſin autem.* Hoc iure terminos iuris ciuilis non adeò ſtrictè ſeruari videmus, quin potiùs id pendet ex iudicis arbitrio, qui reo abſenti pro locorum diuerſitate modò longiorem, modò breuiorem terminum aſſignat, *cap. Cùm olim. hoc tit.* Quòd ſi non inueniatur reus, tunc valuis Eccleſiæ edicta ſunt affigenda, *cap. vltimo, hoc tit.* & quidem per præconem ſi laïcus ſit, per clericum ſi clericus. Præco vox eſt legis, ſed non Eccleſiæ, *Nouellâ 69.* & tunc reus deſertor eremodicium dicitur contrahere; hunc abiectum, iactiuum, & admallatum dicunt leges Salicæ *tit. 52.* & formulæ veteres apud Marculphum. Deſertio autem declaratur iudicis ſententiâ *d. l. properandum*: quo modo etiam iudex olim in hoc regno dabat iudicium declaratorium, quod vocatur *euenditale*, niſi reus ſonnia, ſiue exſonia nunciaſſet, id eſt excuſationes & impedimenta, *cap. 37. lib. 1.* Marculphi, & alibi paſſim, & *cap. Cùm dilecti, hoc tit.*

## DE EO QVI MITTITVR IN *poſſeſsionem causâ rei ſeruandæ,*

### TIT. XV.

HIC titulus pars eſt & ſequela ſuperioris, quo propter dolum & contumaciam fit miſſio in poſſeſſionem rei ſeruandæ causâ, nempe ex decreto ſiue ſententia, vel interlocutione, *l. 3. in princ. C. de bonis auct. iudic. poſſid.* Duplex eſt decretum, primum quo actor mittitur in poſſeſſionem rei ſeruandæ, ſiue cuſtodiendæ causâ, non vt fiat dominus, ſed cuſtos; *cap. Tuis, ſup. vt lite non conteſt. cap. penult.* & *vlt. hoc tit. l. 3. §. vlt. ff. de acq. poſſeſ.* & hoc intrà annum, ſecundùm formam iuris, vt eſt in *cap. 2.* in prima compil. intrà annum, poſt quem elapſum fit dominus ex ſecundo decreto iudicis, quo actor verus fit poſſeſſor, inquit *cap. vlt. ſup. tit.* & *cap. 1. hoc tit.* in 3. collect. *conſtituatis auctoritate Apoſtolicâ poſſeſſores.* Et de hoc ſecundo decreto conceptis verbis loquitur *cap. 2. eod.* Quem locum ſingularem adnotauit Cuiacius, vt hanc ſententiam ſequatur contra Interpretum opinionem, qui diſtinctionem adhibent inter reales & perſonales actiones; ità vt in realibus non ſit locus ſecundo decreto, quod probant ex *cap. Paſtoralis.* §. *præterea. ſup. de offic. ordinarij*, vbi dicitur intrà annum præſtandam cautionem ſtandi in iudicio, ne actor poſt annum verus efficiatur poſſeſſor, quæ verba id



Digitized by Google

probant obſcurè quidem, ſed ſubſequentia, *coram ordinario*, vtilitatem ſecundi decreti demonſtrant, quo poſſidere iubentur, vt patet ex *l. ſi finita.* §. *Iulianus.ff. de damno inf.* Is autem poſſeſſor ex primo decreto ità nudus eſt, vt nullo modo fructus ſuos faciat, *cap.2. infrà, de ſequeſtrat. poſſeſſ.* Imò ità poſſidet actor, vt reus poſſeſſionem non amittat; ille propriè dicitur eſſe in poſſeſſione, hic poſſidere in *l. 10.* §. *idem Papinianus. ff. de acquir. poſſeſſ.* ſicut aliud eſt in ſeruitute eſſe, & aliud ſeruum eſſe. Tullius *orat. pro Quinctio*: *Eos ità videtur in poſſeſsione eſſe oportere, quod ibidem rectè cuſtodire poterunt, id ibidem cuſtodiant.* & paulò pòſt; *Proficiſcenti tibi in poſſeſsionem Prætor, Sex. Naui palàm dicit, ità poſsideto, vt tecum ſimul poſsideat Quinctius; ità poſsideto, vt Quinctio vis ne afferatur.* Poſt annum verò adhibito ſecundo decreto fit verè dominus, & omnes fructus facit ſuos *toto hoc tit.*

## *VT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETVR;*

### TIT. XVI.

SIVE agatur interdicto poſſeſſorio, ſiue petitorio, dum lis eſt inter partes, in eodem ſtatu res manere debet in quo fuit ab initio, *cap. 1.* & 2. *hoc tit.* & hoc eſt de iudiciorum ordine. Lis pendens dicitur etiam ante conteſtationem, licèt impropriè, ſimulátque citatio facta eſt, *cap. Gratum. ſup. de offic. delegat. cap. vlt. hoc tit.* ante litis conteſtationem quocunque tempore nec res, nec actio in controuerſiam verſa eſt, quouis titulo alienationis immutari poteſt, *can. vlt.* 11. *q.* 1. adeò vt qui ſciens rem litigioſam acquiſierit, rem reſtituere pretio amiſſo tenetur, ſicut dator vel donatarius, *l. vlt. C. de litigioſis.* Sunt tamen quidam caſus in quibus impunè res litigioſa alienatur, ex cauſa dotis, tranſactionis, familiæ erciſcundæ, pro impenſis funerum, & alijs, quos Prætor edicto ſuo concedit, ne aliæ vtilitates impediantur, ait Vlp. in *l. Diuus. ff. de petit. heredit.* nec tamen perceptio fructuum hoc titulo comprehendi debet, quæ innouationis nomine non continetur, præſertim cùm à bonæ fidei poſſeſſore percipiantur, *can. volumus, 16. q. 4.* & *cap. 1. hoc tit.* Ad matrimonij ius hic etiam titulus pertinet, quod pendente lite inter maritum & vxorem turbari non debet, nec ſeparatio vlla admittenda, *cap. 2. hoc tit.* niſi inde graue ſcandalum emergat, vel propter inceſti crimen, *in cap. Literas. ſup. de reſtitutione ſpoliat.* vel aliquod graue peccatum, *cap. Etſi Chriſtus, infrà, de iureiurando.*

Digitized by Google

## *DE SEQVESTRATIONE POSSESSIONIS, & fructuum,*

### Tit. XVII.

HOC titulo nouus ordo iudiciorum proponitur, quo lite pendente actor non mittitur in poſſeſſionem rei ſeruandæ causâ, nec penès reum contumacem relinquitur, ſed apud tertium ſequeſtratur & committitur alicui, qui lite finitâ rem & fructus victori reſtituat. Plautus in *Mercatore*: *Sequeſtro mihi data eſt.* Sequeſter eſt depoſitarius rei litigioſæ, *l. Ei apud quem. §. 1.* & *l. ſi in Aſia. ff. Depoſiti*; quem ideò *confirmatorem* vocat Tullius *orat. pro Cluentio*, *Græcis* ἔντριτος, quaſi tertia perſona, *l. 7. §. cùm de vſufructu. ff. Communi diuid. l. item ſi vnus. ff. de recept. arbit. l. 5. §. penult. ff. de tranſact.* Dicitur etiam μεσίτης, id eſt media perſona, Latinis *media manus*, vt loquitur Fabius *cap. 8. lib. 11.* & συνθηκοφύλαξ, id eſt, *cuſtos ſponſionis*, quod eius vtraque pars fidem ſequatur, inquit Gellius *cap. 10. lib. 20.* Qui quidem partium ſponſione coram iudice eligebatur, qui rem depoſitam naturaliter poſſideret. Aliquando & ipſe ſequeſter, iudex, arbiter, & interpres erat ſponſionum & negotiorum, apud Tullium *2. in Verrem*, Plautum in *Rudente*: *Tu iſthinc hodiè non feres, niſi das ſequeſtrum, aut arbitrum.* Hæc autem ſequeſtratio locum habere debet multis caſibus, ſed præcipuè *hoc tit.* quoties æquũ non eſſe iudex exiſtimat, vt propter contumaciam rei actor in poſſeſſionem rei ſeruandæ causâ mittatur, ſed mitiùs agendo neutrum poſſeſſorem facit, *cap. Ex literis. ſup. de dolo & contumacia*, quia dilapidatio rei, vel fructuum timetur, *cap. 2.* & *ſeq. hoc tit. l. Imperatores. ff. de appellat.* Si maritus vergat ad inopiam dos ſequeſtro datur, *l. ſi cùm dotem. §. ſi verò. ff. ſoluto matrimonio*: vt res aliæ ab alio diſcernantur in medio collocantur ἐν μέσῳ τοῦ δικαίου, vt loquuntur Baſilica; in medio iuris, vt eſt in *l. 5. C. quorum appell. non recipiantur.* Sunt & alij plerique caſus, quos accuratè enumerat Gloſſa in *cap. 2. hoc tit.* Omnium porrò rerum fit ſequeſtratio, pecuniæ numeratæ quæ interuerti & perire non poteſt, neque eadem ſpecies reddenda eſt, ſed idem genus, eadem quantitas. Aliquando & pecunia ſequeſtro dari poſſe videtur, cùm magis ſpecies quàm quantitates conſiderantur, non ad vſum, ſed ad oſtentationem dicis causâ, vel litis, vt eſt in *l. Sæpe. ff. commodati*, quoties ante litis deciſionem pecunia conſignatur, quæ

aliquando medio tempore repetetur, quo caſu nec depoſitum eſt, nec commodatum, quod conſiſtit in vſu.

## *DE CONFESSIS,*

### Tit. XVIII.

PER contumaciam inſtrui litem ſuprà diximus, quoties pars altera vadimonium deſerit, nec dignatur reſpondere: at hoc titulo contrà agitur de reo qui fatetur id de quo poſtulatur, quod ius deſcendit ex lege duodecim tabularum: *æris confeſſi, rebúſque iure iudicatis triginta dies ſunto*; quæ licèt de pecunia tantùm loquatur, quæ æris nomine continetur, *l. lege etiam. ff. de verb. ſignif.* ad omne tamen aliud debitum extenditur, *l. debitoribus. ff. de re iudic.* & ad omnem actionem, vel rei vindicationem, vel interdictum, *l. Certum. ff. hoc tit.* etiam ad criminis pœnam, *cap. 1.* & *2. hoc tit.* Confeſſus autem dupliciter dicitur, vel qui ἑκουσίως *vltrò*, vel interrogatus confeſſus eſt in iure, *cap. penult. hoc tit.* coram iudice, *cap. 4. ſuprà, de iudicijs*, vel extra iudicium ſponte, præſentibus quinque teſtibus, vt eſt in *Nouella de teſtibus*, *cap. Si cautio, inf. de fide inſtrument.* vel publicè, vt eſt in *cap. Quàm ſit. infrà, de exceſſib. prælator.* tunc enim pro iudicato habetur, *l. 1. C. hoc tit.* quia crimen confeſſum in iure, pro notorio habetur, *cap. 1. de accuſationib. in 6.* adeò vt nec appellationi locus ſit, *cap. 3. §. ſi autem. de appellat. in 6.* Quod tamen Interpretes in omnibus paſſim caſibus non admittunt; ſed quoties vel graue crimen, vel ſcandalum, aut damnum emergit. Aduersùs alium confeſſio facta etiam in iure non valet, excepto crimine læſæ maieſtatis, *cap. 1. hoc tit.* multò minùs quoties is qui confitetur eiuſdem ſceleris eſt particeps, *cap. 1. infrà, de exceptionib. cap. veniens, de teſtib.* Debet prætereà omnis confeſsio eſſe libera, & ſpontanea; nam ſi per vim, aut metum fiat, nulla eſt etiam in iure, *cap. Cauſam. 16. ſup. de offic. delegat.* vel per errorem facti, *l. 1. §. vlt. ff. ad Turpillianum*: ſecus ſi errore iuris, *l. 2. ff. de confeſſis, cap. 3. hoc tit.*

DE PRO-

## DE PROBATIONIBVS,

### Tit. XIX.

VT ritè iudiciorum ordo ſeruetur, iudex de re de qua iudicium daturus eſt, certus eſſe debet, cuncta rimari & rerum ordinem plenâ inquiſitione diſcutere, quoad rei veritas eluceat, *can. iudicantem. 30. q. 5.* & *l. Iudices. C. de iudicijs*: ídque varijs modis, vel confeſsione, vt *ſuperiori titulo* diximus, vel alijs probationibus; inſtrumentis nempe, teſtibus, præſumptionibus, iureiurando, de quibus *titulis ſequentibus*, famâ & adminiculis, *cap. Cùm cauſam.* 13. *hoc tit.* Quas quidem probationes quis præſtare debeat certò definiri non poteſt; aliquando enim actor, aliquando reus, aliquando vterque id facere debet, ſed vulgò actori hoc munus incumbit, *cap.* 1. & 2. *hoc tit. l. poſſeſsiones. C. hoc tit.* neque enim probare ſe dominum vel poſſeſſorem debet, nec cauſam ſuæ poſſeſsionis dicere tenetur reus, *l. Cogi. C. de petit. hereditatis.* A qua tamen regula ſæpiùs excipitur, veluti cùm res furtiua à poſſeſſore euincitur, probatio dominij incumbit poſſeſſori, *l. Siue. C. eod.* & alijs pleriſque caſibus. In criminibus non ità eſt, in quibus reus non admittitur ad probandum ſe crimen de quo quæritur non perpetraſſe, negatiuæ enim probatio non recipitur, ſed affirmatiuæ, *cap. Ad noſtrã. hoc tit. l. 2. ff. eod.* negatiuæ ſcilicet facti, quæ pura & ſimplex nullo adiecto tempore & loco, vt ſi quis dicat ſe non fuiſſe citatum, quod directè probari non poteſt: *negantis enim factum per rerum naturam nulla eſt directa probatio, cap. Bonæ. ſup. de elect. l. Actor. C. de probationibus*: indirectè probatio admittitur loco vel tempore adiecto, *cap. Series. cap. Ex tenore. inf. de teſtibus*: imò & quoties negationi vi ipsâ ineſt affirmatio, vt eſt in actione negatoria, cui ineſt tacitè confeſſoria, *§. æquè.* Inſtit. *de ſeruitutib.* apud Theophilum, cùm illa negatio habet implicitam affirmationem, *cap. ſuper hoc. ſup. de renunciatione*, vel cùm heres negat teſtatorem fuiſſe ſanæ mentis, tacitè contendit eum fuiſſe furioſum, *l. nec codicillos. C. de codicillis*, vel cùm pecuniam non fuiſſe numeratam contenditur, *l. 2. C. de non numerata pecunia.* Denique toties erit admittenda probatio negatiuæ, quoties fiet per modum exceptionis, quia tunc reus actoris partibus fungitur, *l. in exceptionibus. ff. hoc tit.* Multis itaque modis hæc regula infirmatur, & eluditur, factum negantis probandum non eſſe, quod verum eſſe ſemper ex of-



Digitized by Google

ficio iudicis fatendum eſt, ne à reo probationem exigat, & contrarium demonſtrandi neceſſitate adſtringat, vt eſt in *l. 8.* & *l. Actor. C. hoc tit.* hoc enim pugnat cum ordine iudiciorum, niſi tunc demum cùm ab eo oppoſita eſt exceptio, quæ eum ex reo actorem facit. Aliæ ſunt negatiuæ iuris, & qualitatis, quæ facilè admittuntur, veluti cùm quis negat emancipationem eſſe ritè factam, *l. 5. ff. eodem.* vel hunc non eſſe idoneum & capacem, *cap. Dudum. inf. de præſumptionib.* Poſtremò admittitur probatio ab vtraque parte in omnibus iudicijs duplicibus, in quibus vterque eſt actor, vterque reus, veluti finium regundorum *cap. 3. hoc tit.* vel in interdicto vti poſſidetis, quia vterque poſſidere intelligitur, vel naturaliter, vel ciuiliter Naturalis poſſeſſio illa eſt, quâ rem iuſto titulo detinemus, non tamen animo domini, *l. Si ſeruus. ff. de noxalib. act.* veluti iure pignoris, vel vſufructus. Ciuilis verò eſt quâ iure, vel animo domini poſſidemus; quæ tamen opus habet naturali apprehenſione, nec enim ſolo animo quæritur, *l. Quæcunque. ff. de publiciana act. l. Traditio. §. vlt. ff. de acquirend. rerum dom.* In ea autem controuerſia poſſeſſionis, interdictum vti poſſidetis ità poſſideatis locum habet, *cap. licèt. hoc tit.* Quod ſi non conſtet liquidò de poſſeſſione, tunc quis actoris partes ſuſtineat inſpiciendum eſt; qui nempe ad iudicium prouocauit, *l. in tribus. ff. de iudicijs*: contra petitorem enim conſuetum eſt pronuntiare, inquit *cap. Inter. infrà, de fide inſtrumentorum.*

## *DE TESTIBVS, ET ATTESTATIONIBVS,*

### Tit. XX.

PROBATIONES fieri varijs modis diximus ſuperiori titulo, ideò nunc de teſtibus agitur, quorum fides ad probandum maximè requiritur, & quidquid pronunciant, illud dicitur teſtimonium, ſiue atteſtatio: de vtroque agitur hîc, & de teſtium perſona, & de eorum ſententia, quæ in acta, ſeu tabulas redacta eſt, *omnis enim exſpectatio iudicum aut in tabulis, aut in teſtibus eſt*, ait Tullius, *1. in Verrem*; quoties nempe de facto quæritur, nam de iure teſtes non admitti debere certum eſt: ab his tantùm fides rei geſtæ exigitur, *l. Ad fidem. ff. eod.* vt lux veritatis eluceſcat, *l. ob carmen. ff. eod.* tam ex viſu, quàm auditu, *cap. Præterea*, *cap. Tam literis. hoc tit.* Eorum autem dicta, ſiue depoſitiones in publica acta, vel monumenta redigi debent, *cap. Significa-*

Digitized by Google

*uit. hoc tit.* quæ dicuntur atteſtationes; non quòd fides ex ſcriptura adſtruatur, ſed potiùs conſeruetur ad cautelam futurorum, *cap. Quoniam. ſup. vt lite non conteſt.* παρὰ ζώσης φωνῆς, inquit *Nouella 73.* ex viua voce plus auctoritatis, quàm ex ſcriptura elicitur, *l. 3. §. item Diuus. ff. de teſtib. cap. Tertio loco. ſup. de probat. cap. Cùm Ioannes. §. porrò. inf. de fide inſtrument.* Plus valent teſtes, quàm ſcriptura, teſtes viui & præſentes, Tullius *2. de Oratore: Viuorum & præſentium memoriâ teſte,* hos *ſuperſtites præſentes,* vocat *orat. pro Murana,* reſpiciens ad legem duodecim tab. apud Feſtum: *Vtrique ſuperſtitibus præſentibus vindiciæ ſunto,* factì duplicatione verborum, ſicut cùm dicimus, agnum caſtum, canonicum regularem, quinquageſimam & Pentecoſten, vel potiùs, quòd ſuperſtitis nomen viuum teſtem denotet, ad præſentis differentiam, ità vt qui viuus ſit, præſens non ſit ſemper, Virgilius *2. Æneid.*

*---------ſuperáine, & veſcitur aurâ.*

Vbi alij legunt *ſuperéſtne*, id eſt, *ſuperſtes ne eſt.* Non tamen pro certo ſtatuendum eſt teſtium vocem maiorem fidem facere, quàm tabulas & inſtrumenta, quod ſolertiæ & religioni iudicum eſt committendum, inquit Harmenopulus, ídque Gloſſa confirmat in *d. cap. Tertio loco;* ità vt ſi nouum ſit inſtrumentum credatur potiùs teſtibus, ſi vetus, minimè: & quod vulgò dicitur teſtibus, non teſtimonijs credendum, ex *d. l. 3. §. item Diuus,* debet intelligi de teſtimonijs reì geſtæ, quæ fiunt ſcripto, veluti per epiſtolam, quibus vix fides adhibetur, *cap. 141. lib. 6.* Capitular. Nam aliud eſt de inſtrumentis ritè factis, vt dicetur *infrà,* quæ vocantur ſcripta authentica *cap. 22. hoc tit.* in 1. compil. Vt verò fides teſtibus adhibeatur, plura conſideranda ſunt, dignitas, opes, mores, conditio, numerus, vt eſt in *l. 2. & 3. ff. eod. cap. 1. infrà, de exceptionib.* ideóque infames à teſtimonio repellũtur, *cap. Tam literis. hoc tit.* quibus crimen obijci poteſt, vel periurium, vel vitæ turpitudo, & praua hominum exiſtimatio, *cap. ſicut, cap. Teſtimonium, & cap. fin. hoc tit.* inimicitia capitalis, *cap. Licèt Heli. inf. de ſimonia;* cauſa conſimilis, quam morbum conſimilem vocat, *cap. Perſonas. hoc tit. cap. 4. inf. de appellationib.* Similiter ac iudex cui lis vel quæſtio ſimilis mouetur, *cap. Cauſam 18. ſuprà, de iudicijs.* Coniurati, ſeu conſpiratores etiam repelluntur, *cap. Cùm L. inf. de ſententia & re iudicata.* Denique ij omnes qui ſordibus ſunt obnoxij, *cap. Cùm oporteat infrà, de accuſat. & cap. Forus. infrà, de verb. ſignif.* & vt Tullius ait *pro Fonteio teſtibus iudices non credere cupidis, & iratis, & coniuratis, & ab omni religione remotis.* Maxima morum religio in teſtibus deſidera-



Digitized by Google

tur, vnde & olim cùm quis ad teſtimonium admittebatur, ſimul & præconium eius publicabatur, ad quem morem reſpexit Fabius in Declamationib. *Tyrannum teſtem dabo, illum quidem neque ego LAVDO. Sed ipſa ſcelera, ipſa vitia facient huic rei authoritatem.* Turneb. *2. Aduerſ. c. 11.* Inde poſteà *LAVDARE* teſtem, pro citare dictum Feſto, & Pomponio in *l. tenetur. de act. empt.* Quidam ad teſtimonium non admittuntur non ob vitium, ſed conditionem & ſtatum, vt ſunt mulieres, *can. mulierem.* 33. *q. 5.* quod vulgò intelligitur in cauſis criminalibus, nam in ciuilibus, & in apodicticis, exceptis teſtamentis, recipiuntur, *l.* 18. *C. hoc tit. §. teſtes.* Inſtit. *de teſtamentis.* arg. *l. ex eo. ff. hoc tit.* Pupillus quoque qui non attigit decimum quartum annum, vt definitur in *cap. 78. lib. 7.* Capitularium, *can.* 1. *4. q. 2. cap. penult. tit. 4. lib. 2.* legum Vviſigot. ídque ſecundùm vetera iura, quæ puberes tantum admittebant, *l. nullum. ff. de diuortijs*; quod deinde tractum eſt vltra plenam pubertatem, ad viginti annos, vt notat Balſamon ad *can. 132.* Concilij Carthag. quod tamen legibus non eſt admiſſum, ante vigeſimum quintum annum, *l. in teſtimonium. ff. hoc tit.* Idem eſt de ſeruis, niſi omni aliâ probatione deficiente, *l. 3. ff. eod. can. Si teſtes. ead.* Numerus etiam conſiderandus eſt, ſiquidem vnus teſtis fidem non facit, *c. Cùm à nobis, cap. licèt. hoc tit.* etiam ſi ſit ſummæ dignitatis, vt eſt Epiſcopus, in *can. Placuit. 6. q. 2. l. 8. C. eod.* ſaluâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, inquit *cap. Cùm à nobis, hoc tit.* Epiſcopo ſoli non creditur, niſi in ijs quæ extra iudicium fiunt, veluti in literis commendatitijs, & ſimilibus, quibus ſigillum adhibetur, vt notat Gloſſa: quia tunc Epiſcopus non vt teſtis adhibetur, *cap. poſt ceſſionem. ſup. de probat.* cui aduerſatur canon *omnes. 11. q.* 1. qui deſumptus eſt ex *l. 1. C. Theod. de Epiſcopali audient.* & confirmatur à Carolo Magno, *cap. 281. lib. 6.* Capitul. in quibus diſertè vnius Epiſcopi teſtimonium propter honorem gradus admittitur; contrà tamen ſentit Gloſſ. in *d. cap. Poſt ceſſionem*, cum qua conſentit Cuiacius, & alij plerique; licèt diſertis verbis nullibi expreſſum reperiatur vnius Epiſcopi teſtimonium non ſufficere, cuius ſententiæ eſt etiam Balſamon in *d. can. 133.* qui propriè non loquitur de Epiſcopo adhibito teſte in iudicio; ſed potiùs de Epiſcopo qui confeſſionem criminis ſibi ab aliquo factam exponit, quod diuerſum eſt: nec enim poteſt tunc teſtimonium certum ferre, de quo ſibi non conſtat, niſi ex relatu, & eius ſententiæ eſt Zonaras. Idcóque exiſtimandum eſt propter iudiciorum vtilitatem, & fidem publicam, teſtimonium vnius, licèt Epiſcopi, vel magnatis, vel diuitis non ſufficere; quamuis in legibus Siculis dica-

Digitized by Google

tur, vnius illuſtris teſtimonium duobus alijs compenſari debere, *lib. 2. tit. 32.* indiſtinctè enim locum habere debet, *can. 75. Apoſtolorum. vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum, cap. licèt, hoc tit.* Pluralitas quidem recipitur, dummodò non ſit effrænata, & ſuperflua, vt eſt in *l. 1. §. fin. ff. eod.* quam vſque ad numerum quadragenarium reſtringit *cap. Cùm cauſam. hoc tit.* dummodò iteratis productionibus & publicationibus non fiat, niſi propoſitis nouis capitulis, *cap. Fraternitatem, cap. ſeries, & cap. Ex tenore, hoc tit.* Moribus quidem Galliæ ſuper quolibet litis articulo teſtes plures decem interrogare prohibitum, ordinatione Ludouici XII. anni M. CCCC. XCIX. *art. 13.* Certè refutatio, & noua productio teſtium bis fieri poteſt, *cap. Præſentium. 31. & cap. licèt. 49. hoc tit.* in cauſis ſcilicet criminalibus, nam in ciuilibus tertia, & quarta productio admittitur, *cap. In cauſis, hoc tit.* non μονομερῶς, ſed vtrâque parte præſente, niſi pars altera abſit per contumaciam, *Nouella de teſtibus.* Poſſunt etiam denuò interrogari teſtes iam interrogati, *cap. Per tuas, 48. hoc tit.* Duo ália, præter ea quæ ſuprà diximus, exiguntur in teſtibus; vnum vt ſint ieiuni, *cap. 1. hoc tit.* quod quidem magis honeſtum eſt, quàm neceſſarium, *can. honeſtum. 22. q. 5.* ebrij tamen repelluntur, *cap. 38. lib. 3.* Capitul. Alterum vt ſint iurati, *l. Iuriſiurandi. C. Theod. hoc tit.* licèt ſint monachi, *cap. Tuis. hoc tit.* legum Vviſigott. *lib. 2. tit. 4. cap. 207. lib. 7.* Capitul. legum Baiuuariorum *tit. 16.* Ripuariorum *tit. 50.* vt vulgò notum eſt. Iurati tamen non admittuntur Monachi, ſicut nec clerici, ſiue Canonici in cauſis Eccleſiæ, niſi pars aduerſa remiſerit, *d. cap. tuis quæſtionib.* & in defectum aliarum probationum; ídque probat Cuiacius inſigni loco Innocentij III. in *Ep. ad Decanum & Capitul. Eborac. Quibus* (ait) *tanquam legitimis teſtibus ſinè dubitatione credatur.*

## *DE TESTIBVS COGENDIS, VEL NON,*

### TIT. XXI.

SPECIALEM titulum de coactione teſtium fecit Gregorius, quia hoc videbatur eſſe contra æquitatem iuris Eccleſiaſtici; nimis aſperum & contra morem Eccleſiæ, vt eſt in *cap. 1. hoc tit.* in 1. compilat. quem tamen rigorem ex iure ciuili ſibi adſtruit propter hominum in veritate tacenda pertinaciam, *cap. vlt. hoc tit.* in ead. compilatione. Hoc ius teſtium cogendorũ vetus eſt ex lege 12. tab. vt ijs quibus teſtimonium defuiſſet ſuc-

curreretur per trinam denunciationem, ſiue citationem, quam *vagulationem* dicebant, κλῆσιν, ſiue ἀνάκλησιν, id eſt, *appellationem*, quæ fit, altâ voce apud Suidam, & Pollucem. Horat. *1. ſerm. ſat. 9.*

*Magnâ exclamat voce. & licet anteſtari? ego verò*
*Oppono auriculam.*

Conuicium, ſiue conuocium dicebant etiam, & eodem ſenſu conuicia ſumuntur in legibus Longobard. *lib.* 1. *tit.* *5.* hæc trina denunciatio fiebat trinundino, tertijs diebus ſiue nundinis apud Feſtum; & tunc Quirites qui ruri degebant vrbem repetebant, apud Plinium *lib. 18. cap. 3. mannitiones*, ſiue *mannitas* tres vocant leges Salicæ *tit. 52. manninas* Hincmarus in *epiſt. ad Epiſcopos Franciæ*. Primùm quidem facto trinundino, licebat contumaces vi obtorto collo adducere in iudicium, ſi offenderentur vel in foro, vel in publico, vt frequens eſt apud Plautum & Terentium, ac etiam in legibus Longobard. *lib. 2. tit. 51. in publico conuentu inuita reducantur.* Mitiùs paulatim agi cœpit oblatâ auriculâ, quam actor peruellebat, & hoc anteſtari dicebant, vt ex dicto Horatij loco cenſent omnes: quem morem Romani ad alias gentes ſibi ſubditas traduxerunt; inde apud Baiuuarios toties agitur de teſtibus per aurem tractis *tit. 16.* Qui recuſabant, inuiti trahebantur, & mulctam exſoluebant, niſi ſunnis, id eſt excuſatio legitima adeſſet, in legibus Salicis *tit. 51.* & Ripuarijs *tit. 50.* hoc noſtro iure per cenſuras Eccleſiaſticas compellendi ſunt *cap.* 1. & *cap. cùm contrà. hoc tit.* qui teſtimonium reddere recuſant, gratiâ, odio, vel metu moti, *cap. 2.* & *cap. Dilectorum. hoc tit.* vel coniuratione initâ: omnes enim qui iuramento ſeſe ad veritatem cælandam adſtrinxerunt cogendi ſunt, non obſtante tali iuramento, quod nullum eſt ipſo iure, vtpote illicitum, *cap. Intimauit*, & *cap. Conſtitutis. 45. ſuperiori tit.* nec eget abſolutionis beneficio, niſi ad cautelam, *cap. Venerabilis. hoc tit.* ſed potiùs declaratione id non valere, *cap. penult. inf. de accuſat.* Quidam verò ſunt qui nullo modo cogi poſſunt, nec euocari in ius, vtpote qui excuſationem merentur, ſenes, valetudinarij, & pauperes, *cap. 8. ſup. tit.* in 1. compil. quod & ad egregias perſonas traductum eſt, *l. ad egregias. ff. de iureiur.* Milites etiam excuſantur, *l. 3. §. vlt. ff. eod.* qui ab exercitu, à ſignis abduci non debent, *l. Milites. C. locati.* Ammianus Marcell. *lib. 21. Veget. lib. 2. cap. 5.* conductores, vel procuratores publicorum negotiorum, *l. 19. C. eod.* qui reipublicæ causâ abſunt, *l.* 8. *ff. eod.* clerici & monachi qui propter religionis votum loco moueri non poſſunt, *l. 2. ff. de in ius vocando*, qui & poſtulare non tenentur, *cap. vlt. ſup. de poſtul. l. Prætor. ff. de va-*

Digitized by Google

*catione munerum*: qui omnes, licèt excuſentur, non tamen à ferendo teſtimonio repelluntur, *cap. Inſuper, & cap. Cùm nuncius, ſuperiori tit.*

## *DE FIDE INSTRVMENTORVM,*

### TIT. XXII.

INTER probationes cenſentur inſtrumenta, quæ & ideò ſæpiùs confunduntur, Harmenopulus δικαιώματα vocat, tam probationes, quàm inſtrumenta *lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 12. quia ſunt inſtructiones & firmamenta cauſarum, & litium, *l.* 1. *ff. hoc tit.* apud Ariſtotelem ἀμφισβητούντων δικαιώματα. In Baſilicis verò, & apud eundem Harmenop. inſtrumenta propriè dicuntur συμβόλαια, pacta conuenta in ſcripturam redacta, vt actum faciliùs probari poſſit, *l.* 4. *ff. eod.* & illa ſcriptura debet eſſe authentica, id eſt, publicè confecta & obſignata, *cap.* 1. & 2. *hoc tit.* trium teſtium numero, *l. fin. C. ſi certum petatur*; ſinè quibus non poteſt dici authentica, id eſt, habens firmitatem & auctoritatem: ſic enim αὐθεντικὸν ſumitur apud Græcos in veteribus Gloſſis; quam vocem eodem ſenſu vſurpat Tullius 9. *ad Atticum, epiſt.* 17. Inſtrumenta quoque authentica vocantur documenta Eccleſiæ in *can. Poſteaquàm* 25. *q.* 2. & documenta Euangelica, *can.* 1. 73. *diſt.* quia teſtium numero ſunt ſubſcripta, & manu publica, ſerui nempe publici, ſeu tabellionis exarata, vt rectè Gloſſa in *d. cap.* 2. *hoc tit.* in legibus Siculis *lib.* 1. *tit.* 96. *cap.* 4. & *lib.* 2. *tit.* 36. *iuris probatio exigatur per authentica inſtrumenta, videlicet per teſtes fide dignos, & omni exceptione maiores*, veluti in cauſa emptionis, venditionis inſtrumentum probatur authenticum, ex contractu ritè facto *lib.* 3. *tit.* 8. *ibidem* quod confirmatur in *cap. Cùm Ioannes. hoc tit.* Contractus vt valeat in ſcripturam redigi debet à tabellione, & à contrahentibus ſubſcribi, & teſtibus roborari, *l. Contractus. C. de fide inſtrument. cap. Inter. hoc tit.* aliquando adhibetur ſigillum principis, vel magiſtratus, *cap. Dilectus. hoc tit.* vbi inſtrumenta regia, id eſt quæ regis ſigillo munita ſunt, maximæ ſunt auctoritatis, quæ diem & conſulem habent, *l.* 1. *§. ſi initium. ff. de edendo*, quæ Epiſcopi ſigillo, vel annulo Eccleſiæ notantur, in *d. can.* 1. 73. *diſt.* Aliud prætereà requiritur vt inſtrumenta dicantur authentica, vt ſint iuri conſona: de decretali Summi Pontificis probat *cap. Paſtoralis, hoc tit.* Quædam decretales ſunt præter iuris ordinem, quæ tamen non ſtatim reprobantur, ſicut nec quæ conſuetudini aduerſantur, niſi cau-

Digitized by Google

ſà plenius diſcuſsâ, ità nominatim iubente Summo Pontifice, vel principe, vt annotat Gloſſa: quæ verò aliqua parte vitiatæ ſunt, nullius ſunt momenti, niſi defectus ille modicus ſit & leuis, veluti propter literæ omiſſionem, *cap. Inter dilectos, cap. Ex parte, & cap. fin. hoc tit.* imò & ſi aliquod vitium ſit, dummodò in loco nō ſuſpecto, *cap. 3.* Quod ſi inſtrumentum ſit vetuſtate confectum, vt quia filum fractum eſt, *cap. 3. hoc tit.* in 1. compil. vel aliquid abraſum, ne omnino pereat, per publicam perſonam poteſt deſumi exemplar, quod eaſdem vires habebit iudicis interpoſitâ auctoritate, *d. cap. fin. hoc tit.* Duplex porrò eſt inſtrumentum, vnum publicum, alterum priuatum: publicum illud eſt de quo iam diximus, quod à ſeruo publico conficitur, ἀγοραῖον, id eſt, forenſe vocant *Nouella* 42. 49. 52. *&* 73. quod ſolebat in locis publicis aſſeruari, ne vetuſtate periret: ſuperſtitibus adhuc teſtibus & tabellione exemplar deſumi poteſt; defunctis verò, ità demum, ſi fiat per literarum & ſubſcriptionum comparationem. Quod ſi adhuc tabellio ſuperſtes ſit, teſtibus mortuis, comparatio non eſt neceſſaria, propter fidem tabellionis *d. Nouella 73.* Priuatum inſtrumentum eſt, chirographum quo debitum continetur. Apocha, eſt ſecuritas ſolutæ pecuniæ quæ datur debitori. Antapocha quæ datur creditori vt ex ea probet ſibi ſolutam penſionem, vel vſuras, ex qua quidē non fit cōparatio, niſi ſubſcriptio inſit trium teſtiū, *l. Comparationes. C. hoc tit.* duobus caſibus exceptis, vnus eſt ſi ſcripturæ priuatæ manus negetur, vel ſi priuata ſcriptura proferatur ex Archiuis publicis, ex loco publico, *l. acceptam. C. de vſuris,* tunc enim per cōparationem valet, & fit ex ea publicum teſtimonium, *Nouella 49.* cum hoc additamento tamen tam in publicis, quàm priuatis ſcripturis, in comparatione literarum tabellionis, vel eius qui ſcripſit, ac etiam teſtium ſi ſuperſtites ſint, fiat interrogatio, *d. Nouella 73.*

## *DE PRÆSVMPTIONIBVS,*

### TIT. XXIII.

PROBATIO aliquando valet & ſinè teſtibus, & inſtrumentis, ex præſumptionibus iure receptis, quæ ex eo eliciuntur quod plerumque fit, *cap. ſcribam. hoc tit.* Ex manifeſtis indicijs fiunt certiſſimæ probationes, *l. vlt. C. de contrah. ſtipul.* Manifeſtum indicium intellige violentum, in *cap. Literis, hoc tit.* quod vehemens appellatur, in *cap. Literas. eodem.* Pluribus exemplis id demonſtrat

id demonſtrat Tullius 3. *in Verrem*, vbi ex lucri magnitudine conie-ćturam facit furti ac prædæ, & hanc ſuſpicionem atrociſſimam vocat. Alia eſt præſumptio ſimplex, & nuda, quæ ex ſola animi cogitatione, atque præoccupatione procedit, vel ex leuibus argumentis; quam ſuſpicionem dicere potes: quæ non inducit plenam probationem, nec ideò vim facit, vt in *l. 1. ff. quemadmodũ teſtam. aperiantur*. Tabulæ teſtamenti ſuſpectæ fiunt, ſi vnus teſtium neget ſigillum ſuum, nec ideò tamen minùs aperiuntur, nec minùs obſeruatur voluntas defuncti, vt rectè Accurſius: nec enim vnius teſtis vacillatio, ſeu negatio totum negotium deſtruit, ſicut nec vnius adſeueratio, licèt ſuſpicionem inducat facit probationem, *cap. veniens. ſup. de teſtib.* Semiplenam quidem facere poteſt, vt voluerunt Interpretes iuris ciuilis, quod Cuiacius negat, ex *l. Maritus. ff. de quæſtionib.* vnus certè teſtis poteſt facere præſumptionẽ, quidni? quãdo ſolæ circunſtantiæ iure approbatæ id agunt, contra quas nec probationes etiam ſæpiùs admittuntur, *cap. 2. ſuprà, de reſtit. ſpoliat.* Quod ſi ratio pugnat cum coniecturis & argumentis, hæc præſumptio nulla eſt, nec vim facit, ſicut in *cap. Quia. hoc tit.* Non præſumitur quis dignitatem vel perſonatum ceſſiſſe alteri, vt vicariam perpetuam accipiat, niſi ceſſio elegans ſit, & per idoneos teſtes comprobetur. Ratio petitur ex iure ciuili, neminem præſumi iactare ſuum, nec animus donandi facilè creditur, *l. Campanus. ff. de operis libert. l. Cùm de indebito, ff. de probat.* Similiter præſumptio quæ oritur ex vulgi opinione, & fama communi fidem non facit, licèt famam conſentientem cum partis adſeueratione fidem facere innuat Iuriſconſultus in *l. 3. §. ideóq. ff. de teſtibus*: quod ex reſcripto D. Adriani non eſt admittendum, ſed vt ait glôſſa ad inducendam ſemiplenam probationem, quæ iuramento det cauſam, *l. in bona. C. de iureiurando.* In matrimonijs famam ſolam fidem facere conſtat, propter periculum & ſcandalum, ideò in *cap. Super eo. infrà, de conſanguinit. & affinit.* ſolâ famâ impeditur matrimonium; ſicut è contrario ex mutuo affectu & habitatione, ex vicinia præſumitur, *cap. illud, hoc tit.* Et id quidem in ciuilibus cauſis faciliùs locum habet, quàm in criminalibus: non enim præſumptio aut fama conſtituens, ſeu mala vulgi opinio ſufficere vnquam poteſt ad condemnationem, licèt inducat iuratoriam cautionem, vel purgationem, vt de hæreſis ſuſpicione dicitur in *cap. Literas. hoc tit.* & in *can.* 1. *15. q. 6.* Quod eleganti *epiſt.* 44. Syneſius demonſtrat, dum Heſiodi poëtæ ſententiâ famam non mentiri cùm dea ſit refert, vt faciliùs Ioannem εἰς ἀπολογίαν ἁμαρτημάτων, ideſt, *ad expiationem criminis* inducat; & ad eluendam parricidij Beato Aemilio illati ſuſpicionem

ſuadet illi, vt ſe ad leges conferat, & iudici committat. Donec reus ſe expiauerit, ſi ſit clericus ab officio ſuſpendi debet, *can. Preſbyter. 2. q. 5.* Nec ſolùm ex communi opinione præſumptio formatur, ſed ex antecedentibus, præſentibus, & ſubſequentibus; ità vt ſemel malus ſemper præſumatur malus, & è contrario bonus, niſi contrarium probetur, *l. Cùm quidam. ff. de legat. 2. cap. Mandata, & ſeq. cap. Cùm in iuuentute, hoc tit.* & *l. 34. C. ad l. Iul. de adult.* Hoc tamen in ſe habet præſumptio, vt ad veritatem referatur, nec de falſis argumentum ſumat; & in eo differt à fictione, quæ fit de eo quod non eſt, nec fuit, veluti fictio legis Corneliæ, quæ poſtliminio reuerſos in ciuitate ſemper fuiſſe fingit, non verò præſumit. Publiciana quoque actio, & fictitia traditio, & ſimilia, quæ procedunt ex bona fide, quam tantumdem præſtare, quàm veritatem docet Paulus, *l. in bona fid. de regul. iur.* veluti ſi quis donando, in dotem dando, vel vendendo, vſumfructum retinuerit, fingitur rem κτ̀ συντομίαν id eſt, *breui manu* tradidiſſe, *l. quiſquis. C. de donat.* quod rarò ius canonicum admittit, nec in argumentum fictæ traditionis debuit Cuiacius adducere *caput 2. ſup. de conſuetud.* in quo glebæ traditio non quicquam falſum ingerit, ſed datæ poſſeſſionis veritatem adſtruit; ſignum potiùs eſt, quàm figmentum, vt de inueſtitura dicitur in *cap. per tuas. inf. de donationib.* quæ fit ſæpiùs per glebam, per herbam, per feſtucam, per cultellum, per oſtium, in formulis antiquis, per panem, per librum, vt annotaui in Obſeruationibus meis. Et ſic annulus eſt ſignum fœderis coniugalis, & veri matrimonij, vitta coniunctionis, *can. fœmina, 30. q. 5.* Talia quidem ſunt præſumptiones, ſed non fictiones; ſic Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie deſcendens ſignum fuit ſpeciale filij Dei, *can. Quærendum. de penitentia, diſt. 2.* & ſacramentum Euchariſtiæ, eſt ſignum rei ſacræ inuiſibilis, & ſpecies panis & vini eſt ſignum præter id quod oculis cernitur, *can. ſacrificium, & ſeq. de conſecrat. diſt. 2.* Quæ omnia, & alia innumera ſi quis fictiones diceret, erraret toto cælo.

Digitized by Google

## DE IVREIVRANDO,

### TIT. XXIIII.

DEFICIENTIBVS probationibus teſtium, & iuſtarum præſumptionum, exſtantibus adminiculis, vel conjecturis, vel famâ publicâ, recurritur ad iuſiurandum, *cap. ſicut. ſup. de probationib. cap. ex literis, hoc tit.* Iuſiurandum ſupplet multos defectus, non ſolùm teſtium, ſed etiam contractuum, & conuentionum, τῶν ἀγράφων συναλλαγμάτων, quæ fiunt ſinè ſcriptura, ac etiam earum quæ αὐτόχειρα, id eſt, priuatæ ſcripturæ ſunt, vt ſyngraphæ apud Harmenop. *tit. 8. lib.* 1. Quia verò iuſiurandum datur propter inopiam probationum, *l. in bonæ fid. C. hoc tit.* Græci, τὸν ὅρκον ἀναπληρωματικὸν, *iuſiurandum ſuppletorium* vocant, quod maximè locum habet litium finiendarum cauſà, *cap. vlt. hoc tit.* quod vnicum eſt *hoc tit.* in eo genere. Apud Iuriſconſultos diuiditur in voluntarium, neceſſarium, & iudiciale: voluntarium quidem Balſamon & alij plerique malè definiunt, id quod extra iudicium defertur, imò & in iudicio locum habet, ſicut & neceſſarium: & vtrumque meritò dici poteſt iudiciale, quia defertur in iudicio à parte. Non niſi à volente præſtatur, & ideò dicitur voluntarium: à nolente remittitur, & delatori refertur, & tunc dicitur neceſſarium vtrumque eſt maximi momenti, nec lis eo finita retractari poteſt, quia ſpeciem tranſactionis præſefert, & religioni eſt ſtandum, *l. Quod ſi deferente. ff. de dolo.* Et hoc eſt quod ait *caput & ſi Chriſtus, hoc tit. omnis controuerſiæ finis ſit iuramentum.* Vim etiam maiorem habet quàm res iudicata, *l. 2. ff. eod.* nec contrà venire licet legibus ciuilibus, niſi nominatim definiant, vt in *l. 1. C. hoc tit.* quod probat multis exēplis gloſſ. & præcipuè in *l. 13. C. eod.* ſed nec canonibus, niſi ratio manifeſta contra compoſitionem fidei interpoſitione firmatam, producatur, inquit *cap. 8. hoc tit.* in *1.* compil. Veluti ſi iniuſtum vel falſum quid fuerit, cui ius noſtrum numquam adſtipulatur, *cap. Ad noſtram. hoc tit.* Iudiciale verò iuſiurandum eſt, id quod defertur à iudice reo, quoties res vel cauſa eſt ambigua, deficientibus probationibus; retractari poteſt ex cauſis nouis, & rationibus ſuperuenientibus, veluti inſtrumentis, *l. Admonendi. ff. eod.* Siue autem iuramentum fiat in iudicio, vel extra, duplex eſt: vnum ſimplex, alterum ſolenne; vtrūque apud Deum æqualiter obligat, *cap. Rurſus. inf. qui clerici vouentes.* Solenne illud eſt, quod fit publicè, conuocato populo, in Eccleſia, in

comitijs, & locis publicis, cum obteſtatione Epiſcopi, vel eius miſſi, per baptiſmum, per fidem, per iudicium Chriſti, in *can. ſi duo, & ſeq. 35. q. 6.* Hanc obteſtationem diuinam vocat Clemens Alexandrinus, 7. Stromatũ: ὅρκος μὲν γὰρ ἐστὶν ὁμολογία καθοριστικὴ μετὰ προσπαραλήψεως θείας, id eſt: *eſt enim iuſiurandum quidem confeſſio definitiua cum diuina aſſumptione*, vt in *can. & iurabunt. 22. q. 1.* alij legunt, καθαριστικὴ, quaſi *expurgatoria*, ſeu *expiatoria* quod proprium eſt iuriſiurandi. *can. 19. 2. q. 5.* obteſtatio diuina ineſt etiam ſolenni iuramento, Virgil.

*Tango aras, medióſque ignes, & numina teſtor.*

Tullius *pro Cornelio Balbo*: *Cùm quidam teſtimonium publicè dixiſſet, vt mos Græcorum eſt iurandi cauſâ ad aras accedere.* Nec obteſtatio fieri debuit olim, niſi per deos: inde Ennius iuſiurandum, quaſi Iouis iurandum dicebat, eſt enim ſpecies cultus diuini, qui non eſt dandus creaturis: ideò apud Demoſthenem Pontificibus non licebat iurare per homines, *ſed per Deos*, & ipſe Demoſthenes tumultum Athenis concitauit, quòd iuraſſet per fontes, fluuios, latices, apud Plutarchum; quod & hoc noſtro iure videtur comprobatum, quo neque per cœlum, neque per terram iurare licet, *can. conſidera. 22. q. 1.* per dæmones, *can. mouet. eâd.* Eâdem ratione neque per principis genium, ſalutem, imperium, & ſimilia fas erat iurare, propter diuinitatem quæ eis ineſſe credebatur, *l. Qui per ſalutem. ff. eod.* imò tunc periurium grauius plectebatur, *l. ſi duos. in fine, ff. eod.* Minutius Felix; *Tutius per genium Iouis peierare, quàm principis.* Inter omnia autem iuramenta non aliquid ſublimius habuerunt veteres, quàm per bonam fidem; ità M. Fauoleius ſtricto gladio, cóque ſublato iurauit apud Dionyſiũ Halicar. *lib. 9. c. 2.* Ad bonam fidem referri poteſt, quod dicitur in *d. can. Conſidera. non eſſe iurandum per caput ſuum*, quod ſumptum eſt ex Matthæi cap. *1.* μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς, id eſt, *neque in capite tuo iuraueris*: quod cõfirmat Balſamon ad *can.* 94. ſyn. *6.* in Trullo, quoties fit ἐξ ἐπαγωγῆς, id eſt, *ex delatione.* Ad hũc iuramenti modum referri etiam poteſt illud quod nunc vulgò in curijs Eccleſiaſticis habet locum, vt iuretur in animam vel ſuam, vel eorum quorum cauſa agitur, *cap. Præſentium. de teſtib. in 6.* quod vnicum eſſe, & de iure nouo id ſtatui ſcribit gloſſ. in *cap. dudum. 2. de elect. ſuprà.* Aliquando iuratur ſub pœna beneficij, *cap. Cùm dilectus, in fine, eod.* ſub pœna ordinis. *d. can. Quoties, 1. q. 7.* communiter verò iuramentum præſtatur ſuper ſacroſancta Euangelia, vel reliquias Martyrum: formula eſt in *can. de parentela*, & *ſequentibus*, 35. *q. 6. dicto can. Quoties*, in legib. Alamannorum *tit. 6.* & alibi paſſim. Ratione loci dicitur etiam ſolenne iuramentum, quod vocant legiti-

Digitized by Google

mum Capitularia Caroli Magni *lib. 4. cap. 74. in legitimo ſacramenti ſui loco.* Fit etiam ſolenne varijs ex cauſis, ratione dignitatis regiæ, vel principatus, in legibus Vuiſigott. *vt non anteà quiſpiā ſolium regale conſcendat, quàm iuramenti fœdere legem implere promittat*: ratione officij, vt de magiſtris Iuſtitiarijs legitur in conſtitutionib. Siculis *tit. 43.* de Baiulis & Camerarijs *tit* 59. & 66. & in noſtris ordinationibus regijs ratione officij palatini, quod omnes ad fidem regiam adſtringit, *tit 7. lib. 5.* legum Vuiſigott. ratione etiam Epiſcopatus, vt præſtetur fidelitatis & obedientiæ iuramentum Summo Pontifici, *cap. 4. hoc tit.* quod etiam præſtant Epiſcopi regibus noſtris in Gallia, non ratione ordinis, ſed dominij tēporalis, & iuriſdictionis. Clerici quoque omnes Epiſcopo ſuo iuramentum præſtant, *can. Quanquam. 23. diſt.* & *cap. Tua. hoc tit.* Et hæc omnia iuramenta ſupradicta licita ſunt, ſi veritatem profiteantur, *can. vt noueritis. 22. quæſt. 1.* ſicut è contrario illicita ſunt varijs modis, vt quæ fiunt temerè, & abſque delatione, *can. vnuſquiſque. 22. q. 4.* per metum & vim. *cap. ſi verò. hoc tit.* ex perſonæ qualitate, veluti ſi ſit impubes qui iurat, *can. paruulis*, & *ſeq. 22. q. 5.* vel ſi ſit laicus coram quo iuratur, niſi fiat authoritate Papæ, *can. Mennam. 2. q. 5.* ratione rei, vt ſi res ſit turpis vel prohibita, *can. Clericum*, & *ſequentib. 22. q. 1.* vt ſi iures ſoluere vſuras, *cap. Debitores, hoc tit.* vel ſi monachus iurauit ſe clauſtro diſceſſurum, *cap. ſicut. 23. hoc tit.* vel ſit contra vtilitatem Eccleſiæ, *cap. ſicut noſtris. eod.* Ratione temporis, vt non iuretur feſtis & dominicis diebus, quibus induciæ dantur, *can. decreuit. 2. q.* 5. ſi iurans non ſit ieiunus, quæ omnia petita ſunt ex *cap.* 63. *lib. 1.* Capitul. Denique iuramentum quod nocet illicitum eſt, & ideò nullum, *cap. Quanto. hoc tit.* ſimiliter quod non nocet, ſed affert aliquod impedimentum, vt qui vinum ſe non bibiturum, vel carnes non eſurum, vel ordines non ſuſcepturum iurauerit, non adſtringitur iuramento: ſed tamen D. Baſilius hunc ad peierandum non eſſe cogendum contendit, eò quòd periculum incurrat in *can. 10. ad Amphilochium.* Et hæc iuramenta ſæpiùs iterantur, ſi neceſſitas expoſcat, vt de quinquennio in quinquennium ſtatuit Honorius III. *cap. 10. de treuga & pace* in 5. cōpilat.



Digitized by Google

## *DE EXCEPTIONIBVS,*

### TIT. XXV.

HIc titulus mirè congruit cum ſuperiori de iureiurando; inutile eſſet iuſiurandum niſi in iudicio proponeretur: quæ exceptio idem eſt cum præſcriptione, ideóque titulus Codicis inſcribitur, de exceptionibus & præſcriptionibus. Sic Tullius præſcriptionem pro exceptione legis Liciniæ vel Aebutiæ dixit, *orat. de lege Agraria.* Eſt autem exceptio, actionis excluſio, & ſinè actione exceptio eſſe non poteſt; actio verò intendit rem dari, & ille qui agit rem iam videtur habuiſſe, & cepiſſe *l. 15. de reg. iuris*, ideò actio vocatur quaſi capio, vel captio; exceptio, quaſi excapio vel excaptio, ſimili omnino ſenſu quo apud Feſtum, *præcipuum*, quod antè capitur, *excipuum* quod excipitur: nam exceptio eſt propriè excluſio actionis, ſiue emendatio, defenſio rei, *l. 28. §. exceptio. ff. de iureiurando.* Quæ vulgò in dilatoriam, & peremptoriam diuiditur: illa deſcendit ex perſonis, hæc ex cauſis & rebus: illa debet opponi ante litem conteſtatam, initio litis, *l. Exceptionem. C. de probationib.* quia primùm de perſonis inquiri debet *l. licèt. C. de procuratorib.* poſtquàm ſcilicet actor ſuam intentionem fundauit, & tunc dilatoria exceptio proponi & probari debet, *l. Emptor. C. de præſcript. longi temp. l. 9. C. de exceptionib. cap. Quoniam. §. porrò, vt lite non conteſtatâ, ſup.* Multæ ſunt exceptiones dilatoriæ, vt fori præſcriptio, *cap. Olim. hoc tit. can. Experientia. 11. q. 1.* Procuratoria, quoties non agi opportuno tempore contenditur, *cap. in noſtra. ſup de procurat.* vel procuratoris poteſtas ſuſpecta eſt, *cap. Cùm olim. ſuprà, de offic. delegat.* vel contra iudicem ſuſpicio proponitur, *cap. Cùm inter. hoc tit.* Idem eſt de excommunicationis exceptione, *cap. Exceptionem, hoc tit.* Peremptoria exceptio illa eſt, quæ rem totam definit & perimit, ac vim ſententiæ definitiuæ habet, *l. 37. C. Theod. de appellat.* vt eſt iuriſiurandi, rei iudicatæ, doli mali, quod metus cauſâ, pacti, & ſimilium: quæ quidem licèt initio litis conteſtatæ oppoſita non fuerint, admittuntur ante ſententiam, vel etiam poſt ſententiam, ſi appellatum fuerit, *l. 4. C. de exceptionib. l. 2. C. ſententiam reſcindi non poſſe*, vſque ad viginti annos, *cap. Cùm venerabilis. hoc tit. cap. 9. ſuprà, de probationib.* & *cap. 4. ſup. de procuratorib.* Quod deſumptum eſt ex iure ciuili *l. Querela. C. ad l. Corneliam de falſis*; & interim ſententiæ validitas eſt in ſuſpenſo, quandiu falſitatis vi-

Digitized by Google

tium non apparet, quo emergente, nulla eſt, in odium falſi, vt probat gloſſa ex *cap. fraternitatis*, *infrà, de frigidis*. Et hæc eſt ſumma differentia inter dilatoriam & peremptoriam exceptionem, quæ tamen ceſſat iure quodam ſingulari in exceptione excommunicationis, ne quis animæ periculum incurrat, quæ proponi quandocunque libuerit poteſt, etſi reus ſciens eà ab initio vſus non fuerit, *d. cap. Exceptionem*, Quod piâ conſideratione ſtatutum eſt, dummodò tamen intrà dies octo excõmunicatio probetur, ait Innocentius IV. in *cap. 1. hoc tit. in 6.* non obſtantibus peremptorij edicti terminis, *Clementinâ 1. eod.* Quod de omni excommunicatione intelligi non debet, ſed de maiori, vt eſt in *d. cap. 1.* quæ publicè facta dicitur in *d. cap. Exceptionem.* Excommunicatus publicè, iudex eſſe non poteſt, *cap. Ad probandum. inf. de ſentent. & re iudic.* nec admittendus eſt ad agendum, vel accuſandum, *cap. Olim. infrà, de accuſationib.* nec ad vllam dignitatem, *cap. Venerabilem. ſuprà, de electione.* Minor excommunicatio hîc intelligitur, quæ nullam irregularitatem inducit, & quæ tantùm à participatione ſacramentorum, non fidelium conſortio remouet, *can. Engeltrudam. 3. q. 4.* quæ dicitur minor, vt diſtinguatur à maiori, ab anathemate, quæ ab homine fertur, illa à lege, *cap. ſi celebrat. infrà, de cleric. excommunicato*, vt latiùs dicetur infrà. Et hæc exceptio tantundem valet, ità vt propter animarum periculum quomodolibet vitanda ſit, & ideò ſemper opponenda, etiam ſi is qui eam proponit cum aduerſario communicauerit, *cap. 2. hoc tit*, licèt enim is qui cum excommunicato communicat, ſit excõmunicatus, minori ſcilicet excommunicatione, non tamẽ ab excipiẽdo repellitur. Eſt & alia exceptio quæ τὴν πρόκρισιν, id eſt præiudicium ſapit; ſunt enim quædam præiudiciales exceptiones, ſicuti actiones; & illa præiudicialis exceptio locum habet, quoties ſtatus quæſtio fit, vt ſi ſit ſeruus qui promotus eſt, vel filius preſbyteri, abſque vlla diſpenſatione, *cap. vlt. de filijs preſbyt. cap. 2. de ſeruis non ordinand.* Cùm quis vno iudicio pro alio agere contendit, ſi quæſtio ſit proprietatis, & interim ſeruitutis lis moueatur, *l. fundum. ff. hoc tit.* Hæc nunquam opponitur poſt litem conteſtatam. Talis eſt exceptio falſorum teſtium, quæ non cenſetur propriè peremptoria, ſed nec dilatoria, ſed potiùs eſt obliqua, & indirecta, quæ litem non dirimit, ſed ei tamen præiudicium facit: poteſt enim actor iure agere, licèt falſos teſtes adhibeat, vt optimè gloſſa annotauit. Exceptio equidem falſi quæ perimit omnem litem eſt peremptoria, *d. cap. Cùm venerabilis*, quia agens, inhoneſtâ & iniuſtâ actione vtitur, quam D. Ambroſius exceptionem honeſtatis vocat, & *cap. fin. infrà, de conditionibus*

Digitized by Google

*appoſitis.* Eſt prætereà alia exceptio, quæ non eſt peremptoria, nec dilatoria, nec temporaria, nec perpetua, ſed παραγραφὴ ἀμφίβολος, id eſt *incerta & ambigua*, quoties rei de qua quæſtio eſt petitio ſuſpenditur, in conditionis euentum, *ſi nauis ex Aſia venerit*, vel, *Titius Conſul fuerit*, petenti ritè exceptio opponetur quæ dicitur ambigua, *cap. verùm, & ſeq. infrà, de conditionib. appoſitis.l. ſufficit. de condictione indeb. l. Ambiguitatem. C. de vſufructu.* Quâ ambiguitate pendente euentus exſpectari debet, nec temerè aliquid ſtatuendum eſt, *can. habuiſſe. 11. q. 3.*

## DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

### TIT. XXVI.

TITVLVM peculiarem facit Gregorius de præſcriptionibus, licèt, vt iam diximus, præſcriptio idem ſonet quod exceptio: Græci vtrumque παραγραφὴν vocant, quamuis Grammatici differentiam ponant; ità vt exceptio dilatoria, dicatur tranſlatio; peremptoria verò, defenſio quæ litem omnem definit & perimit, atque etiam præſcriptio dicatur. At hoc titulo non de omnī præſcriptione peremptoria agitur, ſed de præſcriptione temporis, ſimili modo quo Iuſtinianus, licèt proprium titulum de præſcriptionib. & exceptionib ediderit, de illa tamen plures titulos fecit, quos diſtinguit ab alijs exceptionibus. Quæ quidem temporis præſcriptio in vnius præſcribentis facto conſiſtit; aliæ verò tam actoris, quàm rei perſonam requirunt; ſiue agatur de dolo, metu, re iudicatâ, iureiurando, & ſimilibus, in quibus vel omninò, vel partim actor partes ſuſtinet; At non ità in temporis præſcriptione, in qua ſolus defenſor perſonam ſuam interponit, & factum ſuum præſtat, poſſidendo, & retinendo: ità vt aliquo modo etiam actoris vices gerat: nam poſſeſſio eſt actio, quæ in actu & corpore conſiſtit, & ex qua rerum dominium naſcitur, *l. 1. §. 2. ff. de acquir. poſſeſſ.* vnde poſſeſſori amiſſâ poſſeſſione datur vtilis in rem actio, *l. penult. C. de præſcript. triginta annorum, l. ſi quis diuturno. ff. ſi ſeruitus vindicetur. cap. Auditis, hoc tit.* In alijs verò exceptionibus factum potiùs actoris, quàm rei inſpicitur, ſiue excipiatur de dolo, de metu, de iureiurando, de re iudicata, & pacto in quibus ineſt actio, & exceptio, *l. eleganter. §. non ſolùm, l. Sed ſi adfirmauerit. de dolo, l. Sed & ſi ideò. ſoluto matrim.* Idcircò qui habet actionem habet exceptionem, non è contrario, qui exceptionem continuò habet actionem, vt doctè annotauit Cuiacius ad *l. Quod mihi. de liberatione legata.* Quod etiam

Digitized by Google

etiam ſeruandum eſt in præſcriptione, quæ quandiu opponi poteſt, vtilis actio in rem non datur *d. l. penult.* Præſcriptionis autem nomine hoc titulo, ea præcipuè intelligitur, quæ *30.* vel *40.* vel 100. annorum, licèt & quæuis alia intelligatur cuiuſlibet temporis, etiam vnius anni menſis, diei, horæ, momenti etiam cuius computatio fieri poteſt, vt colligitur ex *l. 3. §. minore. de minorib.* & *l. 5. de obligat. & act.* quod tamen crebrò ad horam reduci ſolet, vt Vlpianus exponit in *l. 6. & 7. de vſucap.* & Gellius *lib. 3. cap.* 2. imò & ad diem, nam facilè in expendendis horis decipi poſſumus: ideò Tullius in *orat. pro C. Rabirio* de præſcriptione ſemihoræ ad cauſam agendã ei indulta conqueritur. Hinc eſt quòd ferè omnes canonici Interpretes, dies, non horas, etiã in vacationibus beneficiorum metiuntur, niſi adeò præcisè de hora conſtet, vt nulla poſſit oriri dubitatio, aliàs minimè horarum ratio habenda eſt, ſed dierum: ità ſentit gloſſ. in *cap. ſi propter, de reſcriptis in 6.* Menſes verò ex diebus ſunt connumerandi, & computandi anni ex menſibus, & in menſibus quot ſint dies non eſt inquirendum, ſed prout occurrunt, & conſtituti ſunt in Calendario, vt optimè notat gloſſa in *cap. Quàm ſit. de elect. in* 6. Nec enim canones noſtri tam acutè & curiosè tempus metiri voluerunt, vt & momenta, & horas ſcrutati ſint, quia diem non ſemper totidem horis computarunt. Naturalem horis ſex, aut ſeptem, ciuilem viginti quatuor metiebantur, eúmque à ſexta noctis hora, id eſt à media nocte incipiebant, & ſimili ſequentis noctis horâ claudebant, *l. More. de ferijs, l. 2. de verborum ſign.* Macrobius *1. Saturnal. cap. 3.* non ità noſtri canones, qui diem non viginti quatuor horis, ſed totidem quot lux micat vſque ad noctis crepuſculum metiuntur, in iudicijs potiſſimùm, vt profitetur Innocentius III. in *cap. Conſuluit. ſup. de offic. & poteſtate iud. deleg.* Nec id nouum, nam idem ex l. *12.* Tabularum, quâ ante meridiem cauſas agere mos erat, quamuis & poſt meridiem iudices retinerentur apud Tullium *in Bruto.* Horat. *Epiſt. 7. lib.* 1.

*--Cauſiſque Philippus agendis*
*Clarus ab officijs, octauam circiter horam*
*Dum redit.*

Nec diſtinctio primarum & ſecundarum horarum locum habuit; primæ erant à ſummo manè ad ſextam, ſecundæ à meridie, ità vt ſeptima & octaua diceretur quæ poſt meridiem, *l. 2. de annuis legat. l. 3. de operis libertorum*, vſque ad ſupremum diei tempus, ad ſolis occaſum, quæ fuit vera diei ratio: integrũ diem cognitionis appellat Vlp. *l. & poſt. 73. de iudicijs*; quod notat dilucidè Iuſtinianus *Nouella 82.* καϑεδουῦνται

V

ὀρθρεύοιτε εὐθὺς καὶ εἰς δείλην ὀψίαν, καὶ ἀκροάσονται τῶν δικῶν: *ſedebunt continuè matutino, mox & meridie, & veſpere audientes cauſas.* Aliquando dies ab occaſu ſolis ad ortum ſequentis diei numeratur, *cap. 1. ſup. de treuga & pace,* & *can. Quod à patribus. 75. diſt.* in obſeruatione ieiuniorũ, *can. de eſu, de conſecrat. diſt.* 2. Communiter verò, vt diximus, dies à media nocte in ſequentem computatur, & ſecundùm hanc normam præſcriptio temporis locum habet: quod accuratè ſeruatur vt diei, menſis, anni integritas omnino ſpectetur, ferè in omnibus negotijs, niſi aliter ſtatutum ſit, vt dies, menſis, annus inceptus pro completo habeatur, ſicut de ætate 25. annorum in dignitatibus & perſonatibus dicitur in *cap. Cùm in cunctis. §. inferiora. ſup. de elect. l. qui filium. 74. §. Fabius. ff. ad SC. Trebell. & l. ad Remp. ff. de muner. & honor.* Quoties verò ſtatuitur vt aliquid intrà certum tempus fiat, tunc vltimum momentum eſt exſpectandum, veluti infrà octo dies excommunicatus eſt abſoluendus, qui aſſerit ſe iniuſtè excommunicatum, *cap. 1. de exceptionib. in 6.* & *cap. ſolet. de ſentent. excommunicat. eod.* De appellatione mouenda infra decendium, vt loquitur Innocentius III. in *cap. Cùm dilectus. 32. ſup. de elect.* Bonifacius in *cap. Concertationi. de appellat. in 6.* De Apoſtolis petendis, *cap. 30.* & *cap. ab eo, infrà, eod.* Infra menſem de beneficijs vacantibus in curia Romana, *cap. Statutum, de præbend. in 6.* De electionis confirmatione, *cap. Quàm ſit,* & *cap. Cupientes, de elect. in* 6. Infra duos menſes de Epiſcopo ægrotante in Synodo accuſato, *can. 1. 5. q. 4.* Infra tres menſes vel quatuor, *can. Fraternitatem. 54. diſt.* infra annum. de profeſſione facienda, *cap. 2.* & *cap. Statuimus, de regularibus, cap. 2.* & *4. eod. in* 6. vel infra annum & diem, *can. Puella. 20. q. 2.* Idem de ſeruo ordinato in ſeruitutem reuocando, *can. Si ſeruus. 74. diſt.* De cautione ſiſtendi in iudicio *cap. 2.* & *3. de eo qui mittitur in poſſeſſ.* Infra biennium, vt in profeſſione antiquitùs obſeruabatur, *can. Monaſterijs. 19. q. 3.* De decennio aduersùs lapſos, *can. 10.* Syn. Nicænæ & *can. 75.* Baſilij ad Amphilochium: de triennio in profeſſione peregrini vel incogniti, *can. ſi quis, 17. q. 2.* Quibus & addi poteſt dierum, menſium, & annorum alia præſcriptio, ſi diligentiùs iura canonica, ſicut & ciuilia perſcrutemur. Quod ſi non ſit aliquod tempus determinatum, tunc quale fuerit aſſumendum tum ex natura rei, aut conditionis modo, & alijs circunſtantijs id metiri debemus: veluti cùm teſtator dicit, *rogo vt des Mæuio,* vel, *facias vt ad eum perueniat,* in tempus refertur, quo Mæuius capere, vel heres præſtare poſſit *l. vbi,* in principio, *ad Trebell.* quãdo verò loquitur ἁπλῶς indiſtinctè, *hoc facito in diebus,* biduum intelligitur, *l. inter, 127. de verb. ſignif.* vel cùm dicit, *Poſt annos liber eſto,* bien-

Digitized by Google

nium exportatur, *l. libertas. §. fin. de manumiſ. teſtam.* quia pluralis enunciatio ἐπιφώνησις duobus completur, *l. vbi. de teſtib.* Quod ſi res ad breue tempus refertur, tunc vulgò decem anni intelliguntur, *l. promiſſa. de conſtituta pecun. l. 2. C. de ſecundis nupt. l. Non tantùm. C. de legatis.* Aliàs ſeruatur id quod magis in intellectu, quàm elocutione exprimi poteſt, ἐν πλάτει, ἐν εὔρει παρατατικῶς, vt loquuntur Baſilica, id eſt *cum aliquo temperamento,* cum ſpatio temporis moderato, quod religioni iudicis eſt dandum, *l. Ratum,* & *l. Quod dicimus. de ſolutionib.* Ità intelligi debet breue tempus in *cap. Præterea. ſuprà, de ætate & qualit. ordin.* vbi licèt regulariter olim annus cum dimidio in ordinationibus eſſet ſtatutus, *can. monachus. 77. diſt.* & poſteà annus, *cap. licèt canon. de elect. in 6.* & ex Concilio Tridentino, triennium hoc Epiſcopi arbitrio relinquitur. Idem de omni tempore indefinito dicendum, quod ad arbitrium reducit Hoſtienſis, & poſt eum alij doctores. Breui tempori, opponitur longum, quod fuit, & eſt decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes, vt notum eſt ex Paulo 5. *ſentent. tit 2.* qui *longum ſilentium vocat, tit. 5. eod. tit.* & Papinianus *longam poſſeſſionem* in *l. præſcriptio. de vſucap. & vſurp.* Quę ſucceſſit in locū biennij, quod priùs ad vſucapionem ſufficiebat; ídque in rebus immobilibus, nam in mobilibus loco anni datum eſt triennium *Conſtit.* Iuſtiniani *de vſucapione transform.* Quod tamen hoc iure locum habet in immobilibus, & parit exceptionem peremptoriam,, *cap. 1. hoc tit.* in odium maximè Donatiſtarum, quoties Epiſcopus negligens, ab hæreſi parochiam ſuam non reuocauit, & alius vicinus id præſtiterit, aut ſi ille admonitus, aut conuentus neglexerit infra ſex menſes, vicinus eam ſibi arrogabit, *can. Placuit. 16. q. 3.* Quæ quidem conuentio literis Metropolitani vel Primatis fieri debet, *can. vlt. 65. d. can. placuit. 16. q. 6.* deſumpto ex *can. 6.* Concilij Sardic. Et hoc caſu tantùm, triennium dicitur longum tempus, aliàs verò decennium, ídque vix locum habet in adipiſcenda, vel firmanda poſſeſſione, quam ſacri canones ad triginta annos aduerſùs laicos redigunt, *cap. Sanctorum. hoc tit.* Contra Eccleſiam regulariter non valet præſcriptio niſi quadraginta annorum, *Nouellâ* Iuſtiniani *131.* quâ abrogat conſtitutionem ſuam centum annorum in *l. 23. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* quam certè ab ipſo, vel eius quæſtoribus pecuniâ corruptis extortam ſcribit Suidas. Cauſam huius edicti refert Procopius in *hiſtoria arcana*: ait enim dictam legem centenariæ præſcriptionis in gratiam Emeſenæ Eccleſiæ à Iuſtiniano multâ vi auri acceptâ conditā fuiſſe, vt quæ non ſolùm Emeſæ, ſed in vniuerſo Ro. imperio perinde valeret, καὶ ταῦτα οὐκ ἐν Ἐμέσῃ μόνον κύρια εἶναι, ἀλλὰ καὶ ἀνὰ πᾶσαν

τῶν ῥωμαίων ἀρχὴν, quod confirmat *d. l. 23.* licèt Cuiacius eam pertinere ad Eccleſias tantum Orientis contendat, quod non eſſe verum exiſtimo; imò ea lex ad vtrumque imperium pertinuit, quam poſteà minùs obſeruatam imperator renouauit, eò quòd Orientales qui ſemper Ro. Eccleſiæ infenſi fuerunt, poſſeſſiones quas in Oriente poſſidebat Eccleſia Ro. centum annorũ præſcriptione iuuari non debere contendebant, vt clarè patet ex dicta No. nona, quã latinè editam, non grȩcè vulgò exiſtimãt. Et licèt hæc conſtitutio ad omnes Eccleſias Occidentis pertinuiſſe videatur, ad Ro. tamen ſedem peculiariter reſtricta fuit. Poſteà etiam decem, viginti, vel triginta annorum præſcriptio contra Eccleſiam, in quadraginta annorum ſpatium commutata eſt, *cap. Auditis. hoc tit.* Nec enim tricennalem poſſeſſionem Eccleſiam Romanam admittere ait Alexander III. in *cap. de quarta. hoc tit.* quod etiam Græcos ſeruaſſe notat Balſamon ad *can. 17.* Syn. Chalced. manente tamẽ triginta annorum præſcriptione vni Eccleſiæ contra aliam, *d. can. 17. can. 25.* Syn. VI. in Trullo, & *can. inter memoratos. 16. q.* 3. Ideóque *caput 2. & 5.* in prima compil. *hoc tit.* Gregorius in ſua compil. non adiecit, quia his tricennalis poſſeſſio probatur. Poſteà id immutatum eſt, & inter Eccleſias etiam quadragenaria poſſeſſio deſiderari cœpit, *cap. Ad aures, cap. illud.* & *cap. Quia. hoc tit.* magis, vt ità loquar, interpretatione prudentum, & vſu quodam, quàm conſtitutione nominatim factâ id factũ coniicerȩ licet, ex eo, quòd Alexander III. modò tricennariam poſſeſſionem ſufficere dixerit, modò quadragenariam, cùm & poſt eum Lucius III. adhuc illam obſeruauerit, *cap. vlt.* in *2.* compilatione *hoc tit.* Soli Romanæ Eccleſiæ longiſſima poſſeſſio reſeruata eſt, pro qua tantùm conſtitutio Iuſtiniani locum habet, *can. vlt. 16. q. 3. cap. Cùm vobis,* & *ſeq. hoc tit.* Nec tamen omnino & ſemper. Caſum ſpecialem habemus quo quadraginta anni aduersùm Romanam Eccleſiam procedunt *cap. vlt. hoc tit. in 6.* Sicut è contrario caſus eſt in quo centenaria præſcriptio locum non habet in priuilegio prælationis, ſeu principatus ſupra alias Eccleſias, vt notat Gloſſa in *d. cap. Cùm vobis,* quia obedientia nullo tempore præſcribitur, *cap. Cùm nec liceat, cap. Cùm ex officij: hoc tit.* ſicut in feudis dominus & vaſſallus inuicem non præſcribunt; quia quod vnicum eſt in ſua ſpecie à nullo diuidi poteſt, ſicut eſt Eccleſia Romana, *can. Schiſma. 24. q. 1.* Et licèt contrarium videatur, ex eo quod Antiochena Eccleſia primitùs ſuperior fuit, contra quam Romana primam ſedem præſcripſerit; non tamen ità eſt accipiendum, quia non poſſeſſione, imò iubente Domino id factum eſt, *can. Rogamus. ead.* Cùm autem dicimus Romanam Eccleſiam, vt Cuiacius exiſtimauit,

intelligimus tantùm Eccleſiam S. Petri Romæ, vt ex reſcripto Honorij III. in 5. compilatione probatur: imò & omnes alias Eccleſias quarum omnium eſt caput Petri ſedes, *can. Beati. 2. q. 7.* Vltimũ eſt hoc titulo, quod modos impediendæ vel interrumpendæ poſſeſſionis reſpicit: impeditur quoties bona fides abeſt, tunc enim in omnibus caſibus peccatur contra Deum, & ſanctiones Eccleſiaſticas, *cap. penult. infrà, de conſanguinit. & affinitate. cap. ſi quis, 45. infrà, de ſimonia,* & alijs innumeris. Impeditur etiam præſcriptio etſi bona fides inſit, ſi talia ſint quæ ſui naturâ non præſcribantur, vt eſt obedientia, & omnia iura pontificalia, quæ ſolis Epiſcopis conueniunt, *can. Quamuis. 68. d.* Interrumpitur verò præſcriptio inter eos qui poſſidere & præſcribere poſſunt per publicam proceſſionem, iuriſdictionem cauſarũ, excommunicationem, & ſimilia in *cap. Auditis*, quæ latiùs tractantur hoc titulo.

## *DE SENTENTIA, ET RE IVDICATA,*

### Tit. XXVII.

AGitvr hoc titulo de exceptionibus & præſcriptionibus; nam, vt diximus, præſcriptio eſt exceptio, & è contrario: atque hìc quæritur de præſcriptione, ſiue exceptione rei iudicatæ. Præſcriptio dicitur de re iudicata, & præſcribere ſumitur, pro definire & ſtatuere in *l. 2. ad l. Iuliam de adulterijs.* Iudicis verò ſentẽtia verbo ſtatuendi, vel præcipiendi rectè perficitur, *cap. in his. infrà, de verb. ſignif.* & ex præcepto, ſtatuto, ſeu præſcripto naſcitur ſententia, quæ parit exceptionem rei iudicatæ. Nec ſententia, & res iudicata idem ſunt; ſententia eſt abſolutionis vel condemnationis opinio, res iudicata eſt ipſa res de qua controuerſia erat, τὸ κεκριμένον πρᾶγμα, *iudicationem* vocat Fabius. Sæpè contingit vt ſententia non tranſeat in rem iudicatam, quod ſi fieret, idem eſſet vtraque, *cap. Lator. hoc tit.* ſed ità demum vim capit ſententia, ſi ſecundùm leges & canones lata fuerit, *cap. 1.* à qua tunc non eſt temerè recedendum, imò rationabiliter latam eſſe exiſtimandum eſt, niſi contrarium probetur, *cap. conſanguinei. hoc tit.* ideò datur exceptio rei iudicatæ, ne ampliùs de eadem re quæratur, *l. 6. de except. rei iud. l. 1. §. pari. de tabulis exhib. cap. ſicut, hoc tit.* Niſi impedimentum appellationis ſubſit, quod intrà decem dies proponi debet, poſt quod ſpatiũ ſententia in rei iudicatæ auctoritatem tranſit, *cap. Quod ad. 15. hoc tit.* Ex lege 12. tabularum dies erant triginta, quos iuſtos vocabant, quaſi quoddam iuſtitium, ſiue inſterſtitiũ

ad debitum exſoluendum, vt ſcribit Gellius *cap. 1. lib. 20.* poſteà biennium conceſſum, *l. debitoribus. de re iudicata, l. vnicâ. C. Theod. de vſuris rei iudic.* Quod tempus non hoc iure, ſed nec vſu receptum, imò arbitrarium eſt, vt dicit Pontifex in *d. cap. 15.* quod pro cauſarum vel perſonarum quantitate, & qualitate, ſtatui debet, *l. 2. ff. eod.* Poſt tempus verò elapſum, ſententia vim iudicati obtinet citra appellationem, cum hac diſtinctione, vtrùm ſententia ſit iniuſta, an contra ordinem & leges; hæc non indiget appellatione, quia eſt ipſo iure nulla, & cauſa ex integro agi debet, *cap. 1. hoc tit.* & *l. 1. C. eod.* veluti ſi iudex ſit incompetens, *cap. 4. ſupra, de iudicijs*: tunc ſententia nihil obeſt, *l. 6. §. quod ſi. 75. de iniuſto rupto teſtam.* nec condemnatus habetur pro condemnato, quia non iure & legitimo modo, *l. Si ſe non obtulit. 4. ff. eodem.* Veram ſententiam faciunt legitimi iudices, & magiſtratus imperium & poteſtatem habentes, apud Paulum *5. ſentent. tit. 5.* Nec egent confirmatione Summi Pontificis, quamuis hoc videatur innuere *cap. 4. hoc tit.* quod quidem ſi legatur integrum, vt eſt Leonis magni *epiſt. 77.* in fine, agnoſcemus facilè ſanctum virum non hoc iugum litium & controuerſiarum iudicibus voluiſſe imponere, niſi tantùm quoties agitur de ſtatu Eccleſiæ, & cauſis publicis, quæ fortè tractantur in Epiſcopatibus contra antiquos canones, & Eccleſiæ conſuetudines receptas; aliàs confirmatio non deſideratur, niſi per appellationem res ad Summum Pontificem fuerit deducta, ſicut dicitur in *l. 2. C. de vſuris rei iudic.* & *cap. Quoties. ſupra. de pactis.* Vt ſententia locum habeat, ſufficit quòd iudiciorum ordo ſeruetur, & vt ſit definitiua, non interlocutoria, *cap. 13. hoc tit.* & *l. Quod iuſſit. de re iudicata*, non enim omnis vox iudicis propriè eſt ſententia, nec iudicati vim habet, ſed cùm finem quæſtioni imponit, quod non facit interlocutoria, quæ tantùm inſtruit, *l. 2. C. hoc tit.* licèt generaliter & latè nomen ſententiæ ei tribuatur, *l. vl. C. eod.* Celeriter dari debet, *cap. 2.* ſaltem intrà triennium, *l. Properandum. C. de iudiijs.* Publicè, non clàm dici debet, *l. 6. C. eod. can. vlt.* 15. *q. 7.* cum conſilio cleri, *can. penult. ead.* eſt enim iudicium Eccleſiæ, *cap. Conſanguinei. hoc tit.* Ex ſcripto ferenda eſt, non verò recitanda. *cap. Albericus. ſuprà, de teſtib. can. ſi quis. 7. §. quia ego. 2. q. 1. l. 1.* & *2. C. de ſentent. ex peric. recit.* licèt in cauſis matrimoniorũ id non requiri annotet Gloſſa, quod verum eſſe negat Hoſtienſis, imò hoc locum habet tantùm, quoties ab illuſtribus perſonis ſententia profertur, vt eſt Epiſcopus, vel Capitulum, *d. cap. Albericus*: nec enim tales iudices dignitate pollentes de tabella, & ex ſcripto ſententiam recitare cogendi ſunt. Nec ideò minùs ſtatuendum eſt, omnem ſententiam in ſcripturam

redigi debeat, quod probatur ſatîs dilucidè ex *cap. vlt. hoc tit. in 6.* & Clementinâ *ſæpè de verborum ſignif.* ſolas excipio cauſas breuiores βραχυτέρας, & ὅσαι τῶν εὐτελεστέρων, εἰσὶν quæ ſunt vilium perſonarũ, quæ parui ſunt momenti excipit Iuſtinianus, quæ ſinè ſcriptura ferri poſſunt *Nouella 17.cap.* 3. quod & in reliquis pecuniarijs cauſis partium arbitrio relinquit *Nouella 83.* Quæ hodie vix locum habent, ſed in hoc regno regijs ordinationibus definita ſunt.

## *DE APPELLATIONIBVS, RECVSATIONIBVS, & Relationibus.*

### TIT. XXVIII.

DIXIMVS iam ſententiam rei iudicatæ auctoritatem habere, niſi per appellationem impediatur, ſicut appellatio efficit vt is à quo appellatur iudex eſſe deſinat, & eneruet eius iuriſdictionem, *l. 13. C. Theod. de appellat.* ità & ipſius ſententia vires amittat, imò & quicquid pendente appellatione factum fuerit id omnino irritum ſit & inane, *cap. 1.* & *cap. Cùm cauſam. 62. hoc tit.* Ità fit vt appellatio ſit exceptionis ſpecies contra ſententiam: ideò dupliciter bene ſequitur hic titulus, quia de exceptionibus adhuc agitur. Appellatio, recuſatio, & relatio ſpecies ſunt exceptionum, quibus muniuntur condemnati aduersùs ſentẽtiam: omnis enim defenſio eſt exceptio, ſicut quælibet contradictio quâ reus eximitur, *l. Exceptio. de exceptionib. cap. dilecta,* & *cap. fin. ſup. eod.* de his tribus remedijs ſeu defenſionibus agitur hoc tit. Primus eſt appellationis propter imperitiam, vel malitiam iudicis, *l. 1. ff. eod. cap. Cùm in Eccleſia. 37. hoc tit.* non ità ſi ſententia ſit nulla; tunc enim inutilis eſt appellatio, ſi ſit παράνομος contra ſacras conſtitutiones & canones, *l. 1. Quæ ſentent. ſinè appell. reſcind. cap. 1. ſup. de ſentent. & re iud.* ità debet intelligi *caput Inter ceteras. eod.* non opus eſſe appellatione cùm ſententia manifeſtam iniquitatem continet, vt ait gloſſa, quia eſt contra iuris ordinem: ſed meliùs, quia cauſa appellatione remotâ commiſſa fuerat, vt eſt expreſſum *eod. cap.* & *cap. 43. hoc tit.* Igitur appellatio eſt remedium iuris, quo iudicum conniuentia, vel iniuſtitia reprimitur, non tantùm aduerſus definitiuam ſententiam, ſed etiam interlocutoriam, *cap. 1. eod. in 6.* contra iuris ciuilis ordinem, quo vix illud probatur, *l. penult. C. Quorum appellat. non recip.* Iure verò noſtro indiſtinctè non ſolùm ante ſententiam, ſed etiam ante litem conteſtatam *cap. 5. & 7.*

Digitized by Google

*hoc tit.* Etiam ſi dilationis cauſâ fruſtratoria ſit appellatio, tamen ei acquieſcere debent partes, niſi manifeſtò de calumnia & tergiuerſatione conſtet, *cap. Peruenit. 28. hoc tit.* vel ſi quis de leuiſſima cauſa, aut immeritò ſe iniuriâ affectum conqueratur: tunc enim iudex fungi officio ſuo debet, *cap. Qualiter, ſup. de iudicijs*: caſus enim à iure expreſſi ſunt quibus appellationi fruſtratoriæ non eſt deferendum, *cap. Paſtoralis, hoc tit.* tunc enim iuſta non cenſetur appellatio, *cap. 36.* 47. & *53. eod.* ne remedium ſit potiùs ad defenſionem iniquitatis, quàm innocentiæ præſidium, *cap. Cùm ſpeciali. §. porrò. eod.* quod locum habet quoties ſcandalum ineſt, veluti de his qui concubinas relinquere detrectant, *cap. 21. hoc tit.* in 1. compilat. Idem eſt de fruſtratoria appellatione quæ fit ab omni grauamine iudicis generaliter in omnibus cauſis; non verò ſi appelletur ab omni grauamine in vna tantùm cauſa, *cap. 2.* & *18. hoc tit.* licèt verò leuibus de cauſis moratoria appellatio non recipiatur, tamen à ſententia lata etiam leuioris momenti optimè recipitur, *cap. appellationibus. 11. hoc tit.* quantitas enim cauſæ non dat locum appellationi, ſed grauamen, *cap. 5. hoc tit.* quod tamen Cuiacius cum temperamento intelligendum eſſe monet, videlicet vt appellatio ritè deferatur ad Epiſcopum, vel Archiepiſcopum, non verò ad Summum Pontificem; ſicut de principe & illuſtribus magiſtratibus dicitur in *Nouella* Iuſtiniani 27. & *l. 2. C. Theod. de operibus public.* idque confirmat ex Ammiano Marcellino *lib. 2.* quod tamen ex his locis non probari contendo. In confeſſo quidem eſt minutias cauſarum ad principem vel ſupremos magiſtratus plenis velis, & primâ fronte non eſſe referendas, quarum cognitio ordinarijs & inferioribus iudicibus debetur; at per appellationem nîl obeſt, vt probatur ex *l. 20. C. hoc tit.* quam ad Comites prouinciarum, & præfectos prætorio, non quidem ad regiam vrbem, nec ad principem propter locorum diſtantiam deferendam eſſe, monet *Nouella* Iuſtiniani *115.* & Iuliani *Nouella 23.* quæ hoc iure noſtro recepta eſt in *can. Anteriorum. 2. q. 6.* quia ſicut olim cauſæ omnes ſiue maiores, ſiue minores ad principem per appellationem deuoluebantur; ità & apud Summum Pontificem, *d. cap. perſonas,* & *cap. peruenit. eod.* & *cap.* 32. *eod.* in 1. compil. De quo conqueritur Iuo Carnotenſis *epiſt.* 119. & *172.* quia litigãtes non ſinè multis anguſtijs Sedis Apoſtolicæ limina adire cogebantur, etſi fœminæ eſſent, vt patet ex *epiſtola 50.* Alexandri III. quod incommodum primus ipſe Alexander mitigauit, & niſi pro grauiſſimis cauſis ad limina Apoſtolorum appellationes deduci, ſed per ordinarios Epiſcopos, Archiepiſcopos, vel iudices delegatos expediri voluit, vt ex *epiſtola*

Arnulphi

Arnulphi Lexouienſis *31.* & *67.* conſtat, & *toto titulo de officio & poteſtate iudicis delegati*, qui præcipuè ex decretalibus eiuſdem Alexandri conflatus eſt, ſicut & hic titulus tam in antiquis compilationibus, quàm Gregorij, qui quidem præ omnibus ſolers fuit in appellationum ambagibus diſſoluendis, & ne crebrò ſedes Apoſtolica turbaretur, hanc clauſulam, *appellatione remotâ*, inſeri iuſſit: quam deſumpſit ex reſcriptis Imperatorum, qui ſolebant cauſas committere ſinè prouocationis ſpe, vt præcipuè Marcum Antoninum optimum Imperatorem feciſſe ſcribit Vlpianus in *l. 1. §. fin. ff. à quibus appellare liceat*, & Iulius Capitolinus, *Prætorijs & Conſularibus decidenda negotia delegauit.* Hanc autem clauſulam non ità ſtrictè Summi Pontifices probarunt, imò in fruſtratorijs tantùm appellationibus, ſinè iuſta cauſa, ſinè vllo grauamine, vt diſtinguit *d. cap. Meminimus*; non verò in alijs appellationibus iuſtis, & iure receptis, quas optimè gloſſa exponit in *d. cap. Paſtoralis. 53. hoc tit.* vt ſi ſententia ſit iniqua, vel iniuriam manifeſtam contineat, vt dicitur in *cap. inter. ſuprà, de re iudicata*, & niſi tempus appellationi præfinitum fuerit elapſum, *cap. Quod ad conſultationem. ſuprà, de ſentent. & re iud.* Nouellâ Iuſtiniani *23.* vel appellans renuntiauerit, penitentiæ enim locus datur, *l. ſi quis libellos. C. eod.* & *cap. directæ. 39. hoc tit.* quia appellatio in gratiam rei introducta eſt, vt eſt apud Arnulphum *epiſt. 67. quia nolens agere cogi non poterat, & ad preces eius, ipſiúsque fauore videbatur ſublatum appellationis obſtaculum ad læſionem eius retorquere non debui.* Sinè expreſſa verò renuntiatione ex ſola negligentia aliquis præſumitur renuntiaſſe, *cap. Gratum, ſup. de offic. iud. deleg. l. 17. C. Theod. hoc tit.* Re quidem integrâ, vt eſt in *cap. Bonæ. 4. ſup. de elect.* Et donec ad ſuperiorem cauſa fuerit deuoluta, *cap. Quamuis. eod. in 6.* Quoties ſcilicet appellans libellis mutatis, ad primum iudicem cauſam vult reducere, antequàm alij cognitio ſit delegata, *cap. Interpoſitas. 70. §. 2. hoc tit. cap. Significauerunt. ſup. de exceptionibus.* Alijs etiam de cauſis appellatio nulla eſt, ſi contra iuris ordinem fiat, omiſſo medio; vt ſi quis neglecto Epiſcopo ad Metropolitanum confugiat, *cap. dilecti. 66. hoc tit.* Quod non eſt conceſſum, ſed ad ſolum Papam, *can. Metropolitanum. 2. q. 7.* quia eſt ordinarius ordinariorum, ad quem primâ fronte recurri poteſt, *can. ſi quis veſtrûm*, & *ſequentibus 2. q. 6. cap. per tuas. inf. de ſentent. excommunicat.* ſicut ad principem: quamuis Verus & Antoninus aliud ſtatuerint in vulgata *l. Imperatores. ff. eod.* & ante ipſos Nero, qui ad Senatum omnes appellationes referri voluit, apud Suetonium. Excepto ergo ſummo Pontifice gradatim fieri debent appellationes, ab Officialibus Epiſcoporum ad



Digitized by Google

Metropolitanum, à Metropolitano ad Primatem, vel Papam, *can. ſi quis putauit. ead.* Cur verò ab Archidiaconis non appelletur ad Metropolitanum, ſed ad Epiſcopum, cùm ab eodem ad eundem videatur appellari, ex *cap. Romana* §. 1. *eod. in 6.* in Obſeruationibus noſtris contra ſententiam Cuiacij tractamus. Non ità ab eodem ad eundem videtur appellari, quoties quis appellat à iudice dato ab Epiſcopo, tunc cauſa ad delegantem deferri debet, *cap. ſuper quæſtionem.* §. *porrò. ſup. de offic. & poteſt. iudicis.* Quoties ſcilicet Epiſcopus ſpecialiter cauſam committit, *cap. dilecti. 66. hoc tit.* Aliud eſt in Officiali Epiſcopi, cui iuriſdictio generaliter demandata eſt, quia tunc ad Epiſcopum non recurritur, *d. cap. Romana.* Secunda pars huius tituli eſt de recuſationibus. Recuſatio non minùs eſt exceptio, quàm appellatio, ſed in eo differunt, quòd hæc poſt litem conteſtatam, illa antè proponenda ſit, *l. vlt. C. de ſentent. & interlocutionib. cap. Inter. ſup. titulo proximo*: niſi noua cauſa emergat, *cap. paſtoralis. ſup. de exceptionib. cap. inſinuante. ſup. de offic. deleg.* Eſt autem recuſatio ἀποβολὴ id eſt, *reiectio,* & *eieratio iudicis,* quæ olim ſolennibus verbis cum iuramento publicè fiebat, Tullius *Philippica* 12. *Sic me iniquum eiurabant, de me querebantur*: deinde per libellum fieri cœpit. Proponi autem debet coram iudice qui recuſatur, & examinari ab arbitris, *cap. 41. in fine,* & *cap. Cùm ſpeciali, hoc tit.* vel etiam coram Epiſcopo, licèt delegauerit iudicem contra quem ſuſpicio mouetur, *cap. 4. de offic. & poteſt. iud. in 6.* Inde colligunt quidam diſtingui appellationem à recuſatione, quòd illa ad ſuperiorem referatur, hæc apud eundem: quod videtur eſſe contra iuris regulas, vt is ſit iudex in ſua cauſa; nam Epiſcopus & delegatus eandem perſonam ſuſtinent, quod ità eſt intelligendum, vt ſuſpicio coram iudice ſuſpecto proponatur, ſed examinatio & iudicium ad arbitros remittatur, *cap. Suſpicionis. ſup. de officio iud. deleg.*

Tertium membrum huius tituli eſt de relationibus, de quibus vnicum eſt tantùm *caput, intimaſti.* Relatio non multùm differt ab appellatione, niſi in eo quòd appellatio ad magiſtratum referatur à partibus, relatio à iudicibus: ideò vtramque Græci vno vocabulo χρηματίζειν denotant, vt apud Dionem, *referre* ſignificat, atque etiam *ius reddere* apud Lucianum. Relatio quid ſit, notiſſimum eſt, conſultatio nempe, quæ fit à minori iudice ad ſuperiorem, vel ad principem, quoties iudex cauſam refert de qua non pronunciat, nec ſententiam ferre audet, varijs de cauſis, vel quia de iure dubitat, *l. Eum qui.* §. *iudicibus. ff. de iudicijs*; vel propter aliquam aliam difficultatem, vt eſt in *Nouella* 82. vel quia cauſæ ſunt maximi momenti, quas decuriones ac defen-

Digitized by Google

ſores remittere vel referre ad principem vel magiſtratus iubentur, *l.* 8. *C. de defenſor. ciuit.* regulariter ad Præfectum Prætorio, vel Quæſtorem ſacri palatij, ex conſtitutione Theod. in *l.* 34. *C. hoc tit.* & tunc propriè non eſt relatio, ſed remiſſio, *l. 22. de appellat.* Relatio etiam fieri poteſt poſt ſententiam de re iudicata, antequàm executioni mandetur, quam ad principem vel ſuperiorem refert iudex conſultationis cauſâ, *l. 34. C. Theod. hoc tit.* & tunc princeps opinionis ſuæ exemplum præbet, *l. 16. C. Theod. eod.* per reſcriptum, *l. 1. ff. eod.* Similiter & Summus Pontifex, cuius eſt etiam de iure reſpondere, & conſulentibus oracula ſua pandere, *cap. inter. infrà, de ſent. excommunicationis.* Antequàm autem relatio fiat ad ſuperiorem, exemplum relationis, & opinionis ſuæ partibus communicare debet iudex, vt poſſint reſpondere, & refutatorios libellos proponere, *l.* 8. *C. Theod. eod.* Et tunc princeps vel viuæ vocis oraculo reſpondet, vel pèr Præfectum Prætorio, aut Quæſtorem vt dictum eſt. Quod ſimiliter obſeruatum eſt à Carolo Magno, qui Miſſis dominicis curam commiſit, vt quæcunque ad eius notitiam deferrentur, ſiue in ciuilibus, ſiue Eccleſiaſticis cauſis ipſi decernerent, Capitulari *26. lib. 2. Et quando*, inquit, *aliquis ad nos neceſſitatis cauſâ reclamauerit, ad eos, id eſt Miſſos, poſſumus relatorum querelas ad definiendum remittere.* Quod ſi Miſſis etiam aliquod impedimentum contingeret, ità vt per ſe facere non poſſent, notum principi facere tenebantur, vt eſt in legibus Longobardorum *tit. 7. lib. 3.* & ſæpiùs in Capitularibus Caroli Calui in *Synodo Pontigonenſi cap.* 13. Aliquando non ab ipſis Miſſis rectà ad Imperatorem relatio vel appellatio deducebatur, ſed ad Comitem, & à Comite ad ipſum, vt eſt in Capitulari *apud Tuſiacum, cap.* 13. Nec ſolùm Imperator ſuos habebat Miſſos, ſed ipſi etiam Epiſcopi, circa quos idẽ relationis ordo ſeruabatur, in dicta *Synodo apud Piſtas, cap.* 31. Quos *Coëpiſcopos*, vel *Capellanos magnos* vocat Vvalafridus Strabo *cap. vlt. de rebus Eccleſ.* Ità etiam ſummi Pontificis legati, Miſſi vocantur, Capitul. *cap. 2. lib. 2. Miſſus S. Petri* vocatur Bonifacius Moguntinus, & apud Anaſtaſium in *vita Stephani III.* Ad eos Miſſos maiores cauſæ ſæpiùs referuntur, quæ ſi ab his expediri nequeunt ad ſedem Apoſtolicam referri debent, *can. 3. & 9.* Synodi Sardicenſis, quæ ſemper conſulenda eſt, & ab ea conſultum exſpectandum, *can. Qui ſcit. 2. q. 6.*



Digitized by Google

## *DE CLERICIS PEREGRINANTIBVS,*
## Tit. XXIX.

HIC quoque titulus ad appellationes pertinet ; alioquin non differret à titulo de clericis peregrinis , ad quas perſequendas appellantes ad ſedem Apoſtolicam proficiſcuntur: quibus interim ſecuritas dari debet, ne quid moleſtiæ inferatur, vt eſt in *cap. vlt. ſup. de treuga & pace.* Debent enim eſſe ſub protectione ſedis Apoſtolicæ, ad quam recurrunt, *cap. vnic. hoc tit.* quod vocat *ſuperſedere cap. vlt. ſupra, de maioritate & obed.* De his , aut ſimilibus ſecuritatibus eſt *lex 2. C. Theod. de diſcuſſoribus*, & edictum Theodorici, quas Marculphus *mundeburdis*, vel, *tuitionis* nomine indigitat, *cap. 24. lib. 2.* Græci εἰς ἄδειαν καθιστάναι, *in ſecuritate ponere* dicunt. Eiuſdem planè ſententiæ eſt reſcriptum Alexandri in *l. Imperator. de appellationib.* Alioquin propter itineris difficultatem, dies fatalis, id eſt conditus, χρεία ἡμέρα non computatur, ſed habetur ratio ex die acceptarū literarū apud Paulū *5. ſent. tit. 33.* vt annotauit *Cuia. ad l. vlt. C. de tēporibus appellat.* Dies fatales variè numerãtur, cùm multę ſint occaſiones mortales appellationis impediendæ, veluti ægritudo , vel ſpatij prolixitas, vel alia iuſta cauſa, vt refert Iuſtinianus in *l. vlt. C. de temporib. appellat.* Itineris quidem eadem ratio ſemper eſſe non poteſt, ideò viginti millia paſſuum in ſingulos dies conſtituit *l. 3. de verb. ſignificat.* & *l. 2. ſi quis cautionibus*, Paulus *quarto ſentent. tit. de vigeſima*; *reditioni in viginti millia paſſuum dantur dies ſinguli.* Vocantur verò fatales, quia periculo ſunt appellantis, & quaſi fatum & exitum, ſiue finē cauſæ afferunt, *l. 30. de iudicijs*; quâ ratione *diſceptationis fata* dicuntur in *l. 41. C. Theod. de appellat.* Atque ità quoties appellator ſubmotus eſt, quòd intrà conſtitutum tempus cauſam appellationis non introduxerit , excuſatio proponenda, & reparatio, ἀνανέωσις Baſilicis, impetranda eſt. Reparatio dicitur, quia tempora reparata vulgò dicuntur , eâque obtentâ debet aduerſario denūciari, vt ad iudiciū interiecti ſpatij ſeruatâ dinumeratione reuertatur, vt eſt *in l. 3. & 6. C. Theod.* de reparationibus. Hic autē titulus, vt dixi, propriè pertinet ad eos qui ad limina Apoſtolorum litis proſequendæ cauſâ proficiſcuntur , & peregrinantes , qui ſub ſedis Apoſtolicæ protectione conſtituuntur : *ideò circa tuitionem ipſorum, & rerum ſuarum vigilantior cura nobis incumbit,* inquit Innocentius III. *epiſt. 298. lib. 1. regiſtri. Peregrinãtes* dixit Cōpilator, vt diſtinguat à *peregrinis* de quibus ſuprà. Peregrinus eſt incognitus, vagus , & profugus. ἀλλόθεος φώς apud Homerum, qualis eſt Sarabaïta & girouagus, apud Iuonem *epiſt.*

*192.* ſed hîc de eo qui voti ſoluendi, vel litis proſequendæ causâ peregrinatur, agitur, quæ peregrinatio neceſſaria eſt, *l.* 9. *de procuratorib.* quam diſtinguit Cuiacius à *peregrinitate*, quæ adimebat Romæ ius ciuium. Huius generis erat deportatio apud Vlpianum, *lib. regul. tit. 22.* Illis, non his iura dant ſecuritatem, λόγον ἀσυλίας vocat Plutarchus, & *Nouella 128.* λόγον πίστεως, Nouella 5. *ſaluamentum & defenſionem, cap. 5. Annunciationis Caroli apud Piſtas*: noſtris, *franchiſe*, *ſaufconduit.* Semper maximæ curæ viæ & itinera fuerunt, ne latrones infeſti eſſent mercatoribus, & peregrinantibus, *l. vnicâ. C. de littorum, & itinerum cuſtodia*, vt erant olim Iſauri apud Trebellium. Idem etiam pro eis, qui proficiſcuntur ad electionẽ Imperatoris definit aurea Bulla Caroli IV. Imperat. *lib. 5. feud.* ſicut de proficiſcentibus ad Concilia generalia.

## *DE CONFIRMATIONE VTILI, VEL JNVTILI,*

TIT. XXX.

ET hic poſtremus titulus materiam ſupradictam de ſententijs, appellationibus, & relationibus tangit, quoties vel ante, vel poſt ſententiam per appellationem, vel ante ſententiam per relationem res ad Sedem Apoſtolicam deuoluitur, & confirmatio iudicij (quam κατάστασιν vocant Græci, vel ἐπικυρώσιν Baſilica) facta eſt. Quæ quidem aliquando impedit iudicem iterùm cognoſcere, aliquando non impedit, iuxta diſtinctionem Gloſſæ in *cap. 1. hoc tit.* Aut confirmatio facta eſt cum cauſæ cognitione, & tunc iudex non cognoſcit; imò ſi quid decernat irritum erit, *cap. Examinata, hoc tit.* aut verò facta eſt in forma communi ſinè cauſæ diſcuſſione, & tunc cognoſcet, *cap. Quia diuerſitatem. inf. de conceſſ. præb.* quia talis confirmatio nullum ius tribuit, imò tantùm conditionaliter ſi iuſta ſit ſentẽtia, de qua quærebatur, *cap. Quoniã ſup. de offic. & poteſt. iudic.* etſi hæc clauſula, vel ſimilis ſemper intelligatur, veluti de compoſitione ſinè prauitate facta dicitur in *cap. penult. hoc tit.* Niſi enim purè confirmatio facta fuerit, integrum erit actori congruam & competentem actionem mouere, vt eſt in *cap. Examinata, ſup. de iudicijs*, quod idem eſt cum *cap. Examinata. hoc tit.* Idem etiam & de confirmationibus quæ per obreptionem fiunt, *cap. 5.* & *6. hoc tit.* Denique confirmatio in forma communi nihil tribuit, ſed ius vetus conſeruat, nec quidquam in præiudiciũ alterius ſtatuit, *cap. licèt, ſup. de officio ordinarij*; eius enim natura eſt vt retrotrahatur, *l. 25. C. de donat. inter virum &*



Digitized by Google

*vx.* Nec tamen tempus indultum executioni rei iudicatæ currit, niſi à die confirmationis, vel ſubſequutâ aliâ ſententiâ quæ vim priori det, & à qua poſtrema res iudicata cenſetur, *l.* 2. C. *de vſuris rei iud.* Alia eſt confirmationis ſpecies, quæ per appellationem non quidem causâ cognitâ fit, ſed potiùs ex liberalitate, & puro arbitrio, ex certa ſcientia ſummi Pontificis; vt cùm priuilegia Eccleſiarum vel gratiæ aliquæ conceduntur, vel confirmantur, vt eſt in *cap. in his. inf. de priuilegijs.* quæ confirmatio ad Summum Pontificem pertinet, *can. Priuilegia*, & *can. Institutionis.* 25. *q.* 2. vel etiam ad Concilium generale, vt de Nicæna ſynodo ait *can. priuilegia. ead.* Non verò ad principes ſeculares, quidquid dicat Balſamon ad *can.* 17. ſynodi Chalcedonenſis, in quo agitur de iuribus ciuitatum ab Imperatore immutatis, iuxta quæ parochiarum ordo diſponi debet, quod aliud eſt: ſed nec exemplum ſumendum ab Imperatoribus, & principibus paganis, qui varia priuilegia ſacerdotibus & miniſtris Eccleſiæ conceſſerunt, conceſſa confirmarunt: quia & hæc poſteà à Chriſtianis ſublata fuerunt, licèt antiquo iure conceſſa, inquit *l.* 14. *C. Theod. de paganis.* Solitum fuit ab Imperatoribus Eccleſiaſtica iura ſuâ ſerenitate roborare, vt faciliùs conſeruarentur, *l. vlt. C. Theod. de religione.* Confirmationẽ etiam bonorũ, & poſſeſſionum dari ſolitam oſtendunt formulæ Marculphi, *cap.* 4. & 16. *lib.* 1. imò & pro reuerentia Eccleſiarum ſtrictiùs ſeruanda ſæpiùs populis data ſunt priuilegia, ne cenſerentur & diſtribuerentur in centurias & tribus, vt de ſancto Martino ſcribit Gregorius Turonenſis, *lib.* 9. *cap.* 30. de his plura in Capitularibus, & legibus antiquis. Idem ius quod ſuprà in tranſactionibus Eccleſiaſticis, quæ auctoritate Apoſtolicâ confirmari debent, *cap.* 1. & *cap. Veniens. ſup. de tranſact. cap. Cùm Apoſtolica infr. de his quæ fiunt à Prælat.* Ità tamen vt hæc confirmatio vel innouatio ius nouum non tribuat, in præiudicium tertij, ſed vetus confirmet, ne vetuſtate temporis quod ſtatutum fuerat pereat, *cap. Cùm dilecta. hoc tit.* Quædam verò ſunt quæ omnino confirmationem Apoſtolicam requirunt, ſinè qua viribus carent, vt ſunt electiones Epiſcoporum, quæ ante confirmationem nîl operantur, *cap. Cùm in cunctis. cap. Noſti. ſup. de elect.* imò potiùs reſcinduntur, *cap. Qualiter. eod.* Quædam ſolam Epiſcopi confirmationem requirunt, vt in *cap. Conſtitutis. ſup. de appellat.* quæ tamen pendente appellatione nullius ſunt momenti, *cap. ſi poſtquàm* 33. *de elect. in* 6. quæ diſtinctio ſumenda eſt ex *cap. cupientes. eod.* Eſt & aliud genus confirmationis quæ non pertinet ad hunc titulũ, nẽpe Confirmatio Sacramentalis, vnctio chriſmatis, ſeu manus impoſitio, de qua *diſt.* 5. *de conſecrat.* & *ſup. tit. de ſacra vnctione.*

*FINIS LIBRI SECVNDI.*

Digitized by Google

# DECRETALIVM
## LIBER TERTIVS.

### *DE VITA ET HONESTATE CLERICORVM.*
### TITVLVS I.

VITA & honeſtas clericorum non tantùm in victu & veſtitu conſiſtit, ſed etiam in bonis moribus & diſciplinis. Veſtium quidem honeſtas & diſcretio plurimùm facit, quibus diſcerni à laicis debẽt, *μηδεὶς στολαῖς κεχρήσθω ταῖς ἤδη τοῖς ἐν κλήρῳ καταλεγομένοις ἀπονεμηθείσαις.* Id eſt, *vtatur veſtibus, quæ ijs qui in clerum adſciti ſunt attributæ, fuerunt*, ait *can. 27.* Syn. VI. in Trullo: ad differentiam ſecularium veſtimentorum, de quibus Innocentius III. in *cap. Clerici. hoc tit.* quæ varia fuerunt pro qualitate & dignitate perſonarum, vt faciliùs diſtinguerentur, quòd maximè in animo habuiſſe Alexandrum Seuerum refert Lampridius. Quæ ratio fortior fuit circa clericorum veſtes & indumenta quæ dabantur olim in ſignum ordinis, quoties clericorũ ordinatio fiebat, antequàm vllo charactere inſignirentur, ijſque ab Epiſcopo induebantur, vt notandum eſt ex Balſamone ad *can. 14.* ſynodi ſeptimæ Conſtantinop. Hæ veſtes dicebantur clericales, ad ſacrorum & ſacerdotalium indumentorum differentiam, quæ in ſacris miniſterijs adhibentur, de quibus Ioannes Diaconus in *cap. 57. lib. 2. de vita D. Gregorij.* Veſtis clericalis illa eſt, quæ *tunica ſacerdotalis* vocatur in *can. Epiſcopi 21. q. 4.* Gloſſa, *talarem* interpretatur, ex *can. Non liceat. diſt. 33.* ſicuti & *ſtolam*: nec malè, quia ſicut olim ſtola pudicis & honeſtis matronis propria erat, apud Tertullianum *lib. de pallio*; ità & clericis exemplo eſſe debet, *can. Nullus. 21. q. 3.* in quo vetantur etiam clerici domo abire abſque tunica talari, & operimento oblongo, quod *d. cap. Clerici ſuperindumentum* appellat, & *can. 7.* Synodi Gangrenſis, περιβόλαιον, ſiue fuerit pallium, ſiue quoddã aliud veſtimenti genus

Digitized by Google

nil moror; ſcio quidem ſuperindumentum poſſe ad *ſuperpelliceum* referri, quo non ſolum Pontifices in Eccleſia, & in publico vti iubebantur, imò & omnes ſacerdotes, vt obſeruare licet ex conſtitutionibus Odonis Epiſcopi Pariſienſis *in Bibliotheca Patrum.* Stolâ etiam vti eos debuiſſe patet ex vita S. Panatij *cap. 3. Panatius accepit ſtolam ſuam, quam ſuper humeros ritu ſacerdotali ferebat*: liquet etiam ex *cap.* 169. *lib. 6.* Capitul. Porrò ſupradictæ veſtes nullius ſpectati aut variegati coloris eſſe debuerunt, quales ſunt virgatæ, Clement. *hoc tit.* de quibus Virg.

*Virgatis lucent ſagulis.* & Sidonius *epiſt. 20. lib.* 5. *viridantia ſaga limbis marginata puniceis*, Græcis ποικιλοχροῦντα, id eſt *verſicoloria*, quæ tamen differunt à coloreis veſtibus ſplendidioribus, vt annotauit Caſaubonus ad Vopiſcum; hunc luxum veſtium apud Canonicos & Monachos Occidentis inualuiſſe conſtat ex can. 4. Concil. Calchuthenſis anno 787. in Anglia: *Illo habitu viuant, quo Orientales monachi degunt, & Canonici exemplo Orientalium, & non tinctis Indiæ coloribus, aut veſte pretioſâ.* Hæ veſtes clericis non conueniunt, ſed nigræ, quæ illis propriæ eſſe debent, licèt olim violaceo, ſeu caſtaneaceo vterentur colore, monachpu llo: qui color tunc demum in clerum irrepſit, cùm in regularem ordinem & monachorum vitam ſe totus ferè clerus deuouit, ità vt interdicto ſæpiùs opus fuerit, & conſtitutionibus ſummorum Pontificum, vt videre eſt in *cap. 125.* Concilij Aquiſgranenſis. *Ne Canonici cucullas monachorum induant*, apud Burchardum, *lib. 8. cap. 7.* Iuonem *parte 7. cap. 41.* in Concilio Londinenſi apud Matthæum Paridem. Hinc etiam factum, vt Epiſcopi vſque hodiè cucullam monachorum geſtent. Locus eſt inſignis apud Vuillelmum Malmesburienſem *lib. 1. de geſtis Pontificum Anglorum*, de Odone, qui electus Archiepiſcopus Cantuariæ, monachi ſchemate indui coactus fuit, ne priſcam conſuetudinem decoloraret. Vice verſâ eò ventum eſt, vt monachi ferè omnes ex regularibus ſeculares facti ſint, paulatim irrepentes in clerum, iura ſacerdotum, munia parochialia inuadentes, veſtibus proprijs abiectis, & clericalibus aſſumptis, pileis modò, almutijs modò, vt patet ex *epiſtola 469.* ad Capitulum Arelatenſe, & *epiſtola 171. lib. 2. regiſtri* Innocentij III. Igitur humilitas in veſtibus maximè deſideratur, non tantùm ratione coloris, ſed etiam pretij; nec enim ex auro, vel argento intexi debent, quales ſunt quas, *veri luminis*, vocat Trebellius *in Claudio* μαγίϛλια γράμματα, & ἀντίπανα Balſamon ad *can. 27.* Synodi in Trullo: veſtes holoueras, holoſericas, & paragaudes *lex* 1. *de veſtibus holoueris lib.* 10. *Cod.* ſubſericas Lampridius. Fimbriatas quoque reijciendas eſſe cenſent canones; hæ nempe ſunt, quæ in fimbrijs

brijs purpuram intextam habent, in modum inſulæ; νῆσον, id eſt *inſulam* vocari talem veſtem dicebat Anaxitas, qui coloris ſui circuitione inſulæ ſpeciem exhibebat, apud Pollucem *lib. 7. cap. 130.* Modeſtia quoque capillorum deſideratur, ſi non abraſione, ſaltem detonſione, iuxta primæuam Aniceti conſtitutionem in *can. Prohibete. diſt. 23.* in modum circuli, ſeu ſphæræ, adhibitâ nouaculâ ad cutem, quæ dicitur à Sophocle in *Oenomao* χειρόμακτρον, & appellatur Scythica, ſiue Thracica tonſura apud Athenæum *lib. 4.* Quæ corona, non vt olim, hodiè fertur; quippe pars abraſa coronam exhibet, at olim capillorum eminentia circulum à fronte ad occipitium conficiebat, vt ſatìs patet ex deſcriptione Gregorij Turonenſis in Metio Treuerorum Epiſcopo, & refertur in *can. 40.* Concilij Toletani IV. *caput radant, & inferiùs ſolam circuli coronam relinquant*; ità videmus Carthuſianos, & veteres alios monachos Sancti Benedicti obſeruare. Hæc autem corona omnibus tam ſolicitè iniungitur, vt ſinè ipſa neminem clericum profiteri ſe poſſe dicat Balſamon ad *can. 33.* ſynodi in Trullo; tùm vt characteriſtica illa tonſura clericos à grege reliquorum fidelium diſtinguat, ait Petrus Bleſenſis *ſermone 4.* cùm ob regale, quo ſacerdotes funguntur miniſterium, ait Rabanus Maurus *lib. 1. de inſtitut. clericor.* tum etiam quòd perſonam Chriſti gerentes, teſtem paſſionis Dominicæ coronam geſtent, *can. Duo. 12. q. 1.* necnon ob Diui. Petri memoriam, cuius caput ludibrij causâ in modum coronæ detonſum fuit, teſte eodem P. Bleſenſi *in librum Job, cap. 1.* Huius coronæ originem à Nazaræis manaſſe ſcribit Iſidorus *lib. 2. de officijs Eccleſiaſt. cap. 4.* Igitur comæ cultura, & relaxatio probro fuit, & ſub anathematis vinculo prohibita, *cap. ſi quis. hoc tit.* & *ſeq.* Abraſio quidem non iniungitur, ſed tantùm detonſio ad comæ & capillorum luxuriem vitandam; Scythicam enim, & Thracicam abraſionem, & ad cutem detonſionem odio habuerunt Chriſtiani, ne imitari Gentilium ſacerdotes viderentur, qui caput radebant, quos χειρομάκτρας vocat Sophocles dicto loco. D. Hieronymus in Ezechielem *cap. 44. Perſpicuè demonſtratur raſis capitibus; ſicut ſacerdotes, cultoréſque Iſidis, ac Serapis nos eſſe non debere*, ídque ex traditione Apoſtolorum eſſe docet Clemens Alexand. *lib. 3. Pædagog. cap. 3.* D. Cyprianus *lib. 3. ad Quirinum, cap. 85.* Barbæ verò promiſſio probata & laudata fuit: D. Auguſtinus *in Pſalmũ 33.* Optatus *contra Parmenianum*, & alij: vnde eſt, quod in *can.* 4. Concilij Carthag. ſtatuitur, *vt clericus neque comam nutriat, neque barbam radat*: Compilator decretalium deleuit hanc vocem *radat*, quia mos barbæ radendæ in Eccleſia Occidentali inualuit, contra Orientalium morem, vt ſcribit Gre-



Digitized by Google

gorius VII. *lib. 8. epiſt. 10.* probroſum valdè erat Epiſcopum barbam colere; ideò Krantzius refert exeuntibus Danis contra Vvandalos, Eſchillum Lundiæ Metropolitanum ſe illis iunxiſſe promiſsâ barbâ, teſtificatum peregrinationem longinquam *lib. 1. Vvandalia, cap. 35.* Hæc vox, *radat*, ſublata, ne malignis ingenijs damnandæ abraſionis anſa ſupereſſet, quæ tamen ſancta eſt, cùm ità liberiùs venerandum Chriſti corpus aſſumatur, vt in ſtatutis Ordinis Ciſtercienſis refertur. Simili mēte in *cap. 7. hoc. titulo*, hæc vox, *Barbam*, reiicienda eſt quæ ſpuria, & à prima compilatione abeſt. Vſus veſtimentorum militarium & armorum, honeſtatem quoque clericorum non ſapit, *cap. 2. hoc tit. can. clerici*, & *can. quicunque. 23. q. 8.* Quod damnatur fusè in Reſponſionibus ad Nicetam Chartophylacem *lib. 5. Iuris Græco-Romani*: adeò vt genus ſit quoddam apoſtaſiæ ei qui veſtem mutauerit, quam ſicut tonſuram in ſignum ordinis clericalis aſſumpſit; arma enim clericorum digniora ſunt orationes & lacrymæ, *can. conuenior. 23. q. 8.* Ferro enim ſanguis elicitur, quo clerici abſtinere debent, *can. 27. Apoſtol.* Olim quidem abuſus tantus inoleuerat, vt paſſim Epiſcopi, & clerici armati incederent, Aymoinus agens de Ludouici Imperatoris temporibus, ſic ait: *Tunc cœperunt deponi ab Epiſcopis & clericis cingula, baltheis aureis & gemmeis cultris onerata, exquiſitáque veſtes, ſed & calcaria talos onerantia relinqui.* Nec ſolùm veſtibus & armis lex modum impoſuit, ſed etiam cibis, quorum luxuriam in clericis damnat *cap. à crapula, hoc tit.* omnem nempe crapulam & ebrietatem, & barbaras illas inuitationes ad bibendum, quæ paribus poculis fiunt, *can. Nullus. diſt. 43. can. Nullus. diſt. 5. de conſecratione.* Diuus Auguſtinus *Sermone 231. Plures in conuiuijs ſuis irrident eos qui minùs bibere poſſunt, & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubeſcunt, vt potum ampliùs accipiant, quàm oportet.* Idem inter milites ſeruari iubet Carolus M. in Capitul. *l. 2. c. 72. De non cogendo bibere in hoſte*, id eſt in exercitu *lib. 2. feudor. tit. 4.* & ſæpè in legib. Vuiſigothor, & aliorum: Similiter de cauſidicis, & teſtibus *eod. lib. c. 38.* Hanc bibendi licentiam Græci ἀλληλοχλητωσία vocant, Cedrenus in *Leone*: à quibus non diſtant ποδοσεφία, ſiue repotia, & conuiuia quæ poſt nuptias fiunt, Cuiac. *Obſeruat. 39. lib. 16.* Prauam hanc conſuetudinem & morum corruptelam plecti iubet Carolus M. ſuſpenſione Communionis, & pœnâ corporali *lib. 3. c. 155.* & maximè damnat Synodus Tridentina *ſeſſ. 22. de reformat. cap. 1.* Omnes pariter ludos theatrales, torneamenta, iocos turpes, & diabolica figmenta mimorum, denique ioculatorum & hiſtrionum nugas & cœtus, *d. cap. clerici.* Hecatontarchas, centuriones, vrſorum ductores, & nubium per-

Digitized by Google

ſequutores, *can. 6.* Concilij Conſtantinop. Ludi quoque omnes ab Eccleſia arceantur, *cap. Cùm decorem. hoc tit.* præſertim in quibus profanæ repræſentationes exhibentur; quæ enim ad compunctionem & pietatem inducunt, licitæ ſunt, *can. ſemel. diſt. 2. de conſecrat.* non conuiuia, & compotationes, *can. Nulla. diſt. 42.* quæ primis temporibus charitatis & miſericordiæ argumenta, in vitium & dedecus verti cœperunt, *can. 28. Synodi Laodicenæ,* & *can. 74.* Synod. *6.* in Trullo. Sed nec nuptias celebrare in Eccleſia licet, nec ergaſteria vlla facere, nec equos introducere, vt loquitur Imperator in *l. Baſilicam. C. de operib. publicis.* Reliqua quæ ad hunc titulum pertinent, cultum magis exteriorē reſpiciunt; videlicet ne confuſio clericorum & laïcorum in Eccleſijs diuini cultus confuſionem pariat: & ſicut clerici à laïcis numero & officio differunt; ità & loco ſunt diſtinguendi, quod Felicem IV. primùm ſtatuiſſe narrat Sabellicus, & confirmaſſe Leonem IV. in Concilio Romano *can. 32.* vt ſcribit Luitprandus, & eſt in *can. Sacerdotum. diſt. 1. de conſecrat.* Nec laïcis patere debet aditus ad altare intrà ſacra ſepta, quæ cancellis diſtinguuntur, & in quibus dum diuinum officium, & Miſſæ ſacrificium celebratur ſoli ſacerdotes conſiſtere debent, *cap. 1. hoc tit. can. Sacerdotes. diſt. 2. de conſecrat. d. can. 69.* Synodi *6. can. 44.* Synodi Laodicenæ: quæ lex ſeueriùs apud Græcos fuit obſeruata, vnde in *eo can.* conqueritur Balſamo aduersùs Latinos, quòd laïci, & mulieres ſanctum tribunal ingrediantur, & in eo ſedeant. Prauus certè mos, qui noſtris temporibus non ſinè infamia totius cleri, imò ipſius omnipotentis Dei contemptu inoleuit, tanta & tam temeraria eſt impudentia multorum, & maximè feminarum, quæ quantò propiùs altaribus adfiguntur, citiùs putant à Deo audiri. Quod damnat *d. can. 44.* illícque Balſamon Latinorum morem ſuggillat qui hæc patiuntur, & ad *d. can. 69.* Synodi 6. in Trullo. Non hìc adijciam ſtatum & ordinem antiquum Eccleſiæ, & quomodo tum clerus, cùm populus Chriſtianus manſiones ſuas, & ſtationes faceret, quod infrà ſuis locis dicetur, maximè ad *tit. de Baptiſmo,* & ad *tit. de penitentijs.*



Digitized by Google

## DE COHABITATIONE CLERICORVM, & mulierum.

### Tit. II.

HIC titulus pars eſt & ſequela ſuperioris, in quo etiam de vita & honeſtate clericorum agitur, quæ maximè conſiſtere debet in caſtitate & cõtinentia, *cap. vt clericorum. ſup. tit.* Interdicitur frequentia & cohabitatio mulierum, vtpote res maximè periculoſa, *can. oportet. diſt.* 81. & *can. definimus. 18. q. 2. cap. Mulieres. de iudicijs in 6.* femina enim conſcientiam ſecum pariter habitantis exurit, *can. hoſpitiolum. 32. diſt.* adeò vt non excipiantur eæ cum quibus aliquam fœdæ ſuſpicionis notam inuri fœdus naturale non patitur, *cap.* 1. *hoc tit.* & in eo derogatur antiquis canonibus qui coniunctas perſonas ſemper exceperunt, *can. interdixit. diſt. 32. l. eum qui. C. de Epiſc. & cleric. cap. penult. hoc tit.* Quod ità eſt intelligendum, quoties ratione conſanguinearum ſuſpicio aliqua naſcitur, putà ex ancillis, & earum comitibus & pediſſequis, nam alio ſenſu intelligi non debet, *d. cap. 1.* Omne aliud genus mulierum arcetur à domibus clericorum, quocumque pietatis & charitatis obtentu detineantur. Concubinas quidem omnino execratur ius canonicum in clericis, ſcilicet presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis, *cap.* 6. licèt laïcis quibuſdam conditionibus permitterentur, ſi vterque ſolutus eſſet, ſi fides interceſſiſſet, quòd alteri non iungerentur, neque à procreatione filiorum abſtinerent, & ſi vſque ad mortem in vitæ coniunctione manendum ſibi proponerent; eo enim modo D. Auguſt. aliquatenus eſſe nuptias dicebat, *can. Solet. 32. q. 2.* exemplo iuris ciuilis, *l. 3. de concubinis. can. Is qui,* & *ſeq. diſt. 34.* Nec ſolùm concubina prohibetur clericis, ſed & omnis focaria, *cap. Sicut. cap. Super,* & *ſeq. hoc tit.* quam quidam *ſubintroductam* mulierem dici voluerunt, in *d. can. interdixit*; ſed malè; nam ſubintroducta dicebatur omnis extranea perſona, quæ non vero & competenti affinitatis vinculo iungebatur: ſic intelligit *συνείσακτον γυναῖκα can. 3.* Syn. Nicænæ. Hæ ſubintroductæ ſæpiùs erant puellæ, quas clerici pietatis ſtudio, aut potiùs prętextu fouebant; à quibus tamen non aberat ſuſpicio ſordis, vt teſtatur D. Chryſoſtomus, & Gregorius Nazianzenus. Has & ſub ſororiæ appellationis conſortio habebant, *d. l. eum qui*; ſimili ferè ſenſu, quo apud Petronium illud genus mulierum ſorores dicuntur, & apud Martialem.

Digitized by Google

*Quare non habeat Fabulla quaris*
*Vxorem Themiſon, habet Sorores.*

Has & ἀγαπήτας dicebant, à charitate nomine accepto, quaſi ſpiritali amore coniunctæ eſſent. D. Hieron. *epiſt. ad Oceanum*, nec tantùm fuere ἀγαπῆται, ſed etiam viri ἀγαπητοὶ, qui cum diaconiſſis habitabant, quos eiecit Iuſtinianus *Nouellâ 6.* vt eſt apud Iulianum Anteceſſorem *conſtit. 3.* Omne illud genus fraudis abegerunt conſtitutiones Patrum, & maximè Trident. Synodus *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 14.* hæc eſt ſumma materiæ huius tit. Supereſt ratione huius culpæ vitium quod ineſt presbyteris, ne ad ſacroſanctum altaris myſterium accedant, & ne eis Miſſam celebrantibus aſſiſtant Chriſtiani, quod variè fuit intellectum. Certum quidem eſt conſtitutionibus Leonis & Nicolai interdici Miſſarum celebratione presbyteris concubinas, vel ſubintroductas habentibus, *can. Nullus*, & *can. presbyter. 32. diſt.* imò & omni Eccleſiaſtici gradus priuilegio & fructu carere debent, *can. erubeſcant. ead. can. ſi quis. 81. diſt.* ipſos etiam Chriſtianos prohiberi eorum ſacris intereſſe, quod eorum benedictio vertatur in maledictionem, *can. ſi qui ſunt presbyteri, diſt. 81.* cui tamen manifeſtò pugnat *can. vlt. 15. q. vlt.* & alij quamplures loci inuicem pugnantes qui conciliantur à Lucio in *cap. Veſtra. hoc tit.* diſtinguente, vtrùm crimen ſit notorium, aut occultum. Notorium intelligitur per ſententiam iudicis, confeſſionem in iure, & euidentiam rei, quæ nulla tergiuerſatione cælari poteſt, vt dicitur in *cap. 8. & vlt. hoc tit.* quod ità publicum eſt, vt nec opus fuerit teſtium depoſitionibus, *cap. Super eo. de teſtib. cog.* quod & manifeſtum vocat *d. canon, Erubeſcant. 32. diſt.* notorio crimine notatus clericus, vt publicus fornicarius ab omnibus eſt fugiendus; quia dum populus ab eo abſtinet, & ipſi, & alijs aufertur peccandi licentia, & faciliùs via penitentiæ aperitur: & interim nec ab eo diuina myſteria audienda, nec ſacramenta recipienda, niſi in extrema neceſſitate, *can. præter. §. ad hoc. 32. diſt.* Occultum crimen eſt, cuius nulla eſt condemnatio, vel accuſatio, licèt aliqua percrebuerit fama, & hoc non impedit populum quo minùs & ſacra audiat, & ſacramenta percipiat, licèt talis ſacerdos quantùm ad ſe ipſum, ſit re verâ ſuſpenſus & celebrando grauiter peccet; nec noceat ſacerdotis malitia & vitium quantùm ad ſacramenta quæ non ab homine, ſed à Deo ſanctificationem accipiunt, *can. Non liceat. & ſeq. 1. q. 1.* & ſic diuidenda eſt hæc materia & intelligenda, cui facit multùm *d. can. ſciſcitantibus, vlt. 15. q. vlt.*



Digitized by Google

## DE CLERICIS CONIVGATIS.

### Tit. III.

CLERICORVM nomē tam presbyteros, diaconos,& ſubdiaconos, quam inferiores cōplectitur; ità tamē vt illi ab his iura ſua diſtincta & ſeparata habeant. Siquidem clerici maiores qui in ſacris ordinibus ſunt conſtituti, continentiam profiteri, & maritale coniugium abnegare coguntur: qua in re varius vſus fuit præſertim inter Græcos & Latinos, licèt ab initio naſcentis Eccleſiæ eis par fuerit fibula impoſita, vt qui vxorem haberet, cogeretur in perpetuum ipſius conſortio renuntiare, ſi ad ſacros ordines promoueri vellet; à die enim adepti presbyterij coniugium ſpiritale aſſumendo, carnale relinquebatur, & reditus ad vxores ſub graui pœna præcludebatur: quod primum inuenio ſtatutum in *can. 19.* Rom. Syn. ſub Syluestro I. deinde Concilio Nicæno in *can. 3.* ne Epiſcopus, presbyter, aut Diaconus mulierem ſecum extraneam haberet, matre, ſorore, & amitâ relictis, cum quibus nulla turpis ſuſpicio naſci poterat: hoc decreto continentiam iam clericis iniunctam fuiſſe dicendum eſt. Hæc res non parui fuit momenti, quum non ſinè maximis difficultatibus ſacerdotes auelli à propoſito matrimonij, & vxores ſuas obliuiſci poſſent. Siricius I. circa annum *385.* maiorum ſuorum & decreta, & conſuetudines ſtrictiùs obſeruari cupiens, grauiter increpat ſacerdotes & leuitas, qui poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de coniugibus proprijs, quàm de turpi coïtu ſobolem procreabant, quos ab omni Eccleſiaſtico honore deijci præcipit in *epiſt. 1. ad Himerium cap. 7.* & *8.* quam legem nondum planè obſeruatam iterum recudit Innoc. I. circa annum *402.* in *epiſt. ad Exuperium, can. propoſuiſti.* & *can. Sacerdotes. 82. diſt.* Rationem reddit in *epiſt. ad Victricium, can. 9. Vt Sacerdos & leuita cum vxoribus ſuis non coëant, quia miniſterij quotidiani neceſſitatibus occupantur,* quod refertur in *can. Tenere. diſt. 31.* Ac demum ſucceſſu temporis clericis hanc legem contemnentibus, Synodo Africanâ ſub Cæleſtino, & Bonifacio *cap. 37.* & Syn. Agathenſi *can. 9.* idem ius fuit repetitum, & multis alijs tum conſtitutionibus, cùm Concilijs, adeò vt erroneum ſit & veritati impoſitum quibuſdam vltimorum temporum Pontificibus hoc tribuere, quod potiùs ipſi ſæpiùs decantatum, minùs tamen feliciter obſeruatum, edictis ſuis renouarunt, & ſeruari deinceps curarunt, vt Calixtus II. qui Galliam

adhuc fœtentem his ſordibus omnino purgauit, in Concilio Rom.*cap. 3.* cuius verba refert Ant. Auguſt. *lib. 7. tit.* 17. & *18. epit. Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus concubinarum & vxorum conſortia penitus interdicimus, can. Presbyteris 27. diſt.* & malè Cuiacius auctorem eum facit huius edicti, adducendo verſus leoninos à Cherillo quodam compoſitos. Quin multùm in cleri reformatione profecerit, libenter non negabo, ſed ante eum plures huic morbo remedium præbuerunt, vt Zacharias I. *epiſt. 7. ad Regem, & Epiſcopos Francorum, cap.* 11. qui ſecundùm ſupradicti Concilij Africani decretum vxores tantùm pro regionum conſuetudine conceſſit minoribus clericis. Iuo Carnot. ſuis temporibus adhuc à clericis matrimonia non omnino excluſa conqueritur *epiſt. 186.* 200. & *218.* In Anglia quoque vt indicat Anſelmus Cantuarienſis in *epiſt. ad Ernulphum Archidiaconum.* Similiter Cuiac. ex ſententia Lamberti Schafnaburg. *lib. 2. de rebus geſtis German.* auctorem facit in Germania Gregorium VII. quum tamen anteà & ipſemet Zacharias idem ius promulgarit in *epiſt. 2. ad Bonifacium Moguntiæ protopræſulem,* & idem decretum ſit in Concilio Vuormacienſi *can. 9.* Non eſt equidem ferendus tantus error eorum, qui primæuam ordinationem cælibatus vt olim incogniti, poſterioribus ſeculis dare conati ſunt, quam certè Eccleſiam Catholicam in ipſius ſuæ originis fundamentis accepiſſe certiſſimum eſt *can. 26. Apoſtolorum.* Quod potiſſimùm in Occidente ſeruatum fuit, nam Orientales paululùm deuiarunt vxores ſuas retinentes, licèt ad ſacros ordines admitterentur, *cap. Cum olim, hoc tit.* Qui verò ad eos innupti aſcenderant, non poterant deinde matrimonium contrahere, *d. can. 26* Huic cœlibatus legi promulgandæ in Concilio Nicæno Paphnutium obſtitiſſe narrant Zozomenus *lib. 1. cap. 22.* & Socrates *lib. 1. cap.* 8. *hiſt. Eccleſ.* ſed falsò commenti ſunt eius præualuiſſe ſententiam: Cedrenus verò aſſerit illum pro clericis tantùm cauſam dixiſſe, non pro Epiſcopis, quibus hoc iugum impoſitum fuiſſe dicit, ſed falſi omnes arguuntur ex ipſius Cōcilij *can. 3.* quo ſubintroductarum mulierum conſortium Epiſcopis, presbyteris, & diaconis prohibetur; matris verò, ſororis, amitæ, & aliarum in quas ſtupri ſuſpicio cadere non poteſt familiaritate conceſſâ, vxoris nullâ factâ mentione, quam ſi licuiſſet habere, non ſubticuiſſet. Id confirmatur optimè ex D. Baſilij *epiſt. 7. ad Gregorium presbyterum,* quem ſub pœna excommunicationis, licèt iam in extrema ſenectute conſtitutum, mulierculam dimittere iubet, adducto & citato in rationem Nicæno canone. Quod & Balſamon ad eos locos ſuâ ſententiâ confirmauit tam apertè, vt improbandi cælibatus legem latam in Con-

Digitized by Google

cilio Nicæno fuiſſe nullus ſanæ mentis audeat exiſtimare. Id confirmatur etiam ex *can. 6.* Synodi ſextæ: adeò vt Balſamon improbet *can.* 10. Synodi Ancyr. eò quòd Diaconis vxorem ducere permittat, qui dum ordinantur hoc nominatim cauerunt,vt vxorem ducere poſſent. Orientales igitur obſtinato animo vxores ſuas cum ſacerdotio retinuerunt, & hac in parte Catholicæ Eccleſiæ obſtiterunt. Nec ſolùm Orientales, ſed etiam Occidentalium ij qui Græcorum ditioni ſubiacebant, vt totum Apuliæ & Calabriæ regnum, quod Græcia magna dicebatur, & Orientalibus obſequebatur Imperatoribus, licèt Occidentis pars fuerit, eò quòd ſubdita & habitata fuerit à Græcis, vt refert Itinerarium Beniamini; & poſſeſſa vſque ad annum *1041.* quo Northmanni ſub auſpicijs Arduini Longobardorũ Ducis, ſuperato Ducliano Græcorum principe potiri cœperunt, vt teſtatur Leo Oſtienſis *lib. 2.cap. 68.*quam anno *1019.* Roberto Guiſcardo confirmauit Nicolaus II. vt idem Leo teſtatur *lib. 3. cap. 15.* ſub fide & homagio ſanctæ Sedi præſtandis, quæ ipſe Robertus Gregorio VII. fecit, vt eſt apud eundẽ Gregorium VII. *lib. 8. epiſt. 1.* His igitur regnis matrimonium ſeruatum fuit, vt probat *cap. 6. hoc tit.* quod ſcriptum eſt Acheruntino Archiepiſcopo regni Apuliæ, cui mandatur ab Innocentio III. vt approbet electionem factam à Canonicis Eccleſiæ Anglonenſis, qui in Epiſcopum elegerant Cantorem Tricarienſis Eccleſiæ, natum ex patre Græco presbytero, qui in minoribus ordinibus conſtitutus vxorem duxerat, ſecundùm ius primæuum, quo licuit tantùm in minoribus ordinibus vxores ducere, *d. can. 26. Apoſt.* non ſolùm apud Græcos, ſed etiam apud Latinos, *can. Si quis eorum, can. Lectores. 32. diſt.* Sed paulatim imminutum eſt, ac demum ità licuit minoribus vxores ducere, vt exteriùs ſtipendia ſua accipiant, *can. Si qui verò. ead. diſt. exteriùs*, id eſt ſeparatim à maioribus, & non communiter, ne videantur pares in honore, qui meritis longè diſpares ſunt. Quod & poſteà cautiùs eſt ordinatum à poſtremis Pontificibus, qui inhærentes veſtigijs antiquorum canonum, conceſſerunt quidem facultatem contrahendi matrimonij minoribus, ſub hac conditione,vt vxore ductâ beneficium amitterent, & omni ſtipendio Eccleſiaſtico priuarentur, *cap. 1. cap. diuerſis. hoc tit.* adeò vt nec tonſuram deferre, nec vllo clericali priuilegio frui poſſent, *cap. Ioannes*, & *cap. vlt. hoc tit.* Subdiaconatus quandiu inter minores habitus, eodem iure vſus eſt, *can. Decernimus. 28. diſt.* nec enim ei licebat vaſa ſacra contingere, *can. non oportet. 23. diſt.* Idem poſteà ſtatutum quod in presbyteratu & diaconatu. Nec tantùm vxorem ducere, ſed nec ductam retinere licuit, quod primùm ſtatuiſſe D. Gregorium in *can.*

*Nullum*

*Nullum 28. diſt.* refert Innocentius III. in *cap. Miramur. ſup. de ſeruis ordinand.* & confirmaſſe Vrbanum II. in *can. Eos qui. 32. diſt.* Quod tamen non omnino verum ipſemet Gregorius oſtendit, qui in *can. ante triennium. 31. diſt.* id anteà obſeruatum fuiſſe in Eccleſia Romana ſcribit, magis ex longo vſu & conſuetudine, quàm lege; ait enim *more Rom. Eccleſiæ*, ídque obſeruari præcipit ab Epiſcopis Siciliæ, ne in poſterum ſubdiaconos admittant qui continentiam non profiteantur. Et ſanè in Eccleſia Catholica id ius ex more & vſu laudabili ſinè lege receptum, cùm non fideliter obſeruaretur, Pelagius II. prædeceſſor Gregorij conſtitutione ſuâ firmauit, datâ optione ſubdiaconis aut vt vxores dimitterent, aut à gradu deijcerentur. Huius rei teſtis eſt ipſe Gregorius in *epiſt. 34. lib. 3.* relata in *can. Multorum.* 32. *diſt.* Inferioribus igitur clericis licuit olim tam apud Græcos, quàm Latinos maritari, quod citò Latini ſuſtulerunt, vt dixi, Græci ſeruarunt, & ſecundùm hæc tempora dicit *d. cap. 6.* Cantorem Tricarienſem natum ex clerico minorum ordinum, iure electum in Epiſcopum fuiſſe, & meritò, cùm natus eſſet ex legitimo matrimonio apud Græcos, qui in Apulia & Calabria more ſuæ gentis viuebant, *cap. ad hæc*, & *duobus ſeqq.* quæ ſcripta ſunt ad Epiſcopum Caſſanenſem, qui eſt in Calabria, vel ad Epiſcopum Caſſinenſem, qui eſt in regno Apuliæ, ſuffraganeus Archiepiſcopi Capuani, & ſic reperio: in quibuſdam editionibus vulgò legitur, *Epiſcopo Caſſell.* forſan Caſtellanenſi, qui eſt etiam in Apulia. Quicquid ſit, putem Epiſcopo ſcribi, qui erat regionis illius in qua Græci degebant confuſi & commixti Latinis. Summi Pontifices Græcis ſuos mores, Latinis etiam ſuos conceſſerunt, vt indicat Innoc. III. *d. cap. 6.* & Cæleſtinus III. in *cap. cùm ſecundùm, de temporib. ordinat.* Quod eſt ſcriptum ſinè dubio Archiepiſcopo Hidruntino: Hidruntum eſt oppidum Calabriæ: vult inquam Cæleſtinus in partibus Calabriæ, vbi tam Græci, quàm Latini morantur Græci ſuo more, Latini legibus Rom. Eccleſiæ in ordinationibus viuant, quod confirmat Innoc. III. in *cap. Quod tranſlationis, eod. tit.*



Digitized by Google

## DE CLERICIS NON RESIDENTIBVS IN *Eccleſia, vel Præbenda,*

### TIT. IV.

SVPERIORIBVS titulis actum eſt de vita & honeſtate clericorum circa veſtimenta, modum, & formam viuendi: hoc verò tit. damnatur auaritia, ambitio, inconſtantia eorum qui poſtquàm vni Eccleſiæ adſcripti fuerunt, & certo titulo mancipati, recedunt, & vel in aliam Eccleſiam ditiorem & digniorem tranſeunt, vel deſiderio vagandi propriam ſedem derelinquunt. Nemo olim ad ſacros ordines admittebatur ſinè titulo, ſinè Eccleſia, cui adſcribebatur ad miniſterium quotidianum exhibendum, & in ea perpetuò perſeuerandum, ſinè vlla diffugij ſpe, *can. Sanctorum. 70. diſt.* Quamobrem & hi promiſſionem ſtabilitatis illius loci facere cogebantur, *cap. 178. lib. 8.* Capitular. Primus Euariſtus titulos in vrbe Roma presbyteris diuiſit, vt eſt in Pontificali Damaſi, & appellantur Eccleſiæ Tituli, tum quòd titulo & vexillo crucis inſignirentur, & conſecrarentur, *l. vlt. C. Theod. de paganis*; cùm quòd nomen & memoriam alicuius Martyris præferrent, vt dicemus infrà, *tit. de conſecrat. Eccleſia, vel altaris.* In his Eccleſijs, ſeu memorijs conuentus ſuos & cœtus peragebant Chriſtiani, quorum numerus vbi creſcere & augeri cœpit, oportuit eos diuidi per parochias, & vnicuique titulo, ſeu parœciæ presbyterum vnum aſſignari, & quod in vrbe Roma fecerat Euariſtus, foris Dionyſius fecit, vt conſtat ex Anaſtaſio in eius vita; *Hic presbyteris*, inquit, *Eccleſias diuiſit, & cœmeteria, & parochias diœceſes inſtituit.*. Hi presbyteri dicebantur Cardinales, quòd cardini, ſiue curæ alicuius Eccleſiæ adſtringerentur; cardini vtique illi quo cetera mouentur viciniùs adhærentes, vt loquitur Leo IX. *ad Michaëlem Epiſcopum C P.* ad differentiam presbyterorum, qui in eiſdem titulis, ſeu parœcijs ſeruiebant, ſed non curam principaliter gerebant, non præerant cardini Eccleſiæ. Hoc videre licet apud D. Gregorium *lib. 1. epiſt. 15.* Scribit enim Balbino Epiſcopo, vt penitentia decedentibus, & Baptiſma infantibus poſſit præſtari, conſtituat Populonenſi Eccleſiæ vnum presbyterum Cardinalem, & duos diacones, & inſuper tres alios presbyteros, Videndus idem Gregorius *epiſt. 73. lib. 7.* Dicti etiam fuerunt Cardinales, presbyteri omnes Eccleſiarum Cathedralium & matricum, vt adhuc in Eccleſia Rauennatenſi, & Cõpoſtellana Canonici vocantur

Cardinales. Olim non omnes clerici & presbyteri, Canonici vocabantur, ſed tantùm qui in canone, ſeu matricula ſcribebantur, qui erant in catalogo, τοῦ καταλόγου ἱερατικοῦ, vt loquitur *can. 15. Apoſtolorum*, & *can. 16.* Nicænæ ſyn. ex ſacerdotali ordine, *can. 3.* ſyn. Antioch. Diaconi verò Cardinales erant, qui peculiariter Rom. Eccleſiæ adſtricti erant, vocati ſanctæ Sedis Apoſtolicæ diaconi, quos Fabianus primùm in ſeptẽ regiones ciuitatis diuiſit, vt ex eius *epiſt.* 1. cõſtat. De his Gregorius I. *lib.* 1. *epiſt.* 14. & *lib.* 5. *epiſt.* 2. Ad horum exemplum alijs in Eccleſijs diaconi, Cardinales dicebantur, apud eundem Gregorium *epiſt.* 14. *lib.* 3. Epiſcopi etiam ſæpè dicuntur Cardinales ſacerdotes, Greg. *epiſt.* 13. *lib.* 2. ad exemplum eorum qui potiſſimùm conſilio Pontificis deuouebantur, & qui eius promotioni & conſecrationi præerant, apud quos olim electio erat, Nicolaus II. *concil. Rom. cap.* 1. & Adrianus II. in *epiſt. ad Baſilium Imp. Donatum Eccleſiæ Oſtienſis*, *Stephanum Eccleſiæ Nepheſinæ Epiſcopos conſiliarios noſtros* vocat. Sed ad rem: his omnibus Cardinalibus euagandi & parochiam deſerendi licentia denegatur, ſub pœna depoſitionis, vt eſt in *cap.* 2. *cap. quia nonnulli. cap. Conquerente, hoc tit.* ſi ſcilicet moniti non redeant, *cap. vlt. hoc tit.* contumacia enim dat cauſam pœnæ, ſi trinâ citatione factâ vocatus intra ſex menſes non redeat, *cap. ex tua, hoc tit.* quod vt faciliùs obſeruetur, vetitum ne quis duabus parœcijs adſcribatur, vel duas dignitates habeat, *cap.* 3. *hoc tit.* Ab hac regula excipiuntur qui iuſtâ & neceſſariâ de cauſâ, probatâ ab Epiſcopo, abſunt, *cap. relatum*, & *cap. inter quatuor, hoc tit. can. non oportet, de conſecrat. diſt.* 5. vt qui eſt in ſeruitio Epiſcopi, *cap. de cetero. hoc tit.* quia is intelligitur ſeruire Eccleſiæ, *can. Similiter*, 16. *q.* 1. ideòque nihil debet ei ſubtrahi eorum quæ communiter omnibus debentur, *cap. ex parte, hoc tit.* ſimili priuilegio fruitur abſens ſtudiorum cauſâ, *cap. tuæ. hoc tit. cap. licet, tit. ſeq.* quod priuilegium euaneſcit, ſi per talem abſentiam Eccleſia graue diſpendium patiatur, *cap. Cùm ad hoc. hoc tit.* Ægritudine pariter laborantes eximũtur, *cap* 1. *de cler. ægrot. cap. Ad audientiam, hoc tit.* Qui quidem ſeruire Eccleſiæ intelliguntur cùm per eos non ſtat, ſicut ſeruus æger pendente morbo domino ſuo ſeruire dicitur, *l.* 3. §. *Stichus. de ſtatu liberis*, & interim nutriendus eſt, *l. In rebus.* §. *poſſunt. Commodati.* Hac de re Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 3. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. Abſentes ergo cenſentur qui ſine Epiſcopi licentia abſunt, vel peregrinantur, vel in alias Eccleſias ſe transferunt, quibus tunc commendatitiæ literæ neceſſariæ ſunt, vel ſyſtaticæ epiſtolæ, vt docet *can.* 12. *Apoſt.* de quibus *infrà, cap. Tuæ, de clericis peregrinantib. can. Primatus*, & *ſeqq.* 71. *diſt.* Tertullianus *lib. de præſcript.*

*aduerſus hæret. cap.* 20. vocat *conteſſerationes hoſpitalitatis.* Vocabantur etiam *formatæ, communicatoriæ, pacificæ, confeſſoriæ*, quas omnes idem eſſe ſub diuerſis nominibus aſſerit Cuiacius, cui non eſt aſſentiendum. Omnes quidem hæ literæ erant commendatitiæ, ſed aliæ ab alijs diſcrepabant, pro ratione & qualitate tum negotiorum, cùm perſonarum. Primum inter confeſſorias, & communicatorias diſcrimen fuiſſe indicat *can.* 23. Concil. Eliberit. ſub Marcello I. & *can.* 5. Cõcil. Arelat. I. tum D. Cypriani *epiſt.* 10. & 11. Putem ego confeſſorias dari ſolitas ijs qui prædicandi & docendi prouinciam ſuſcipiebant, & quia nonnulli hoc munus ambibant, ſtatuit Synodus vt reijciantur confeſſoriæ illæ literæ, & contenti ſint communicatorijs. Pacificæ literæ erant, quibus excommunicati, vel hæretici in Eccleſiæ conſortium admittebantur: Tertullianus *aduerſùs Praxeam*, in princ. Zozomenus *lib.* 5. *cap.* 10. Differentiam agnoſcit Balſamo in *can.* 11. Syn. Chalcedon. quòd, vt ait canon, pacificæ darentur humilioribus, commendatitiæ dignioribus & honeſtioribus, vel ijs potiùs qui ſuſpecti erant, & ob id ſegregati. Vt vt ſit, hæ omnes literæ formatæ etiam dicebantur, eò quòd certis notis inſcriberentur ne fraus fieret: in eis nomen Epiſcopi, & ciuitatis plumbo vel cerâ incidebantur, vel imprimebantur, vt ex Concilio Cabill. *cap.* 41. refert Burch. *cap.* 235. *lib.* 2. Dies etiam paſchalis apponebatur, *can.* 76. Cõcilij Carthag. & *can.* 20. Cõcil. Mileuit. Harum auctorem agnoſcere debemus Sixtum I. vt teſtantur Anaſtaſius & Luitprandus, qui ſuſcipiendas propoſuit omnibus clericis, Epiſcopis nempe, presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis. Imò & omnes alij minoris ordinis huic rei adſtringuntur, quamuis re verâ & propriè non cenſeantur clerici. Sic intelligendus eſt canon, *Extraneo.* 71. *diſt.* nempè vt lectores, & reliqui cogantur ad formatas accipiendas, cùm ſint clerici, vt eſt in *cap.* 20. Concil. Carthag. Cuiacius reprehendit Gratianum, qui *d. can. Extraneo*, ſumens ex Concilio Chalced. ſcripſit *extraneo clerico & lectori*, cùm loco verbi, *lectori*, legendum eſſet, *ignoto*; cur enim potiùs Concilium meminiſſet lectoris, quàm pſaltæ, oſtiarij, & reliquorum? probat ſuam ſententiam ex Zonara, qui in exemplari Græco legit ἀγνώςας, id eſt, *ignotos*, non verò ἀναγνώςας, id eſt *lectores*, quam lectionem confirmat Iuſtellus ex Mss. Bibliothecæ regiæ, & Matthæo Blaſtare. Ego, ſi quid liceat effari, auſim aſſerere non omnino malè ἀναγνώςας ſcribi; agnouit enim hanc lectionem Balſamo in *can.* 6. eiuſdem Synodi, in quo ait lectores, clericos etiam eſſe, contra ſententiam quorundam, qui aliter ſentiebant, & ideò dimiſſorias eis dandas. Sidon. Apoll. *epiſt.* 8. *lib.* 6. *Et quia*, inquit, *nomen eiuſdem, lectorum nuper*

Digitized by Google

*albus accepit, agnoſcetis profecturo ciui me epiſtolam, clerico debuiſſe formatam.* Idem *epiſt. 2. lib. 7. Literas meas ad formatæ vicem, ſcilicet vt lector elicuit*: quibus ex locis dubitatum fuiſſe detegimus, an Lectoribus formatæ dandæ eſſent. Ratio reddi poteſt, cur potius canon locutus ſit de Lectoribus, quia ſcilicet Lectoris officium erat multò nobilius & dignius ceteris minoribus; quippe cui docendi & legendi munus incumberet, *can. perlectis, 25. diſt.* ideóque dicitur ſacrarum literarum præco ſanctus, in vita S. Ignatij patriarchæ; ἱεροκήρυξ *præco ſacer* apud Græcos, cui munus erat iubendi fauere linguis, & Catechumenos è templo abire, dum ſacrificaretur; vnde & cùm ordinabatur ſolebat Epiſcopus de eius fide, vita, & ingenio tractare corã plebe, *can. Lector. diſt. 23.* quod in alijs non obſeruabatur; imò vt oſtendatur dignitas ſupra reliquos, Synodus VIII. Conſtant. ſub Adriano II. *can. 5.* ſtatuit *Ne quis laïcus in Epiſcopalẽ prouehatur dignitatem, niſi in ordine Lectoratus annum vnum, duos in ſubdiaconatu, tres in diaconatu, in presbyteratu quatuor annos exegerit,* apud Baronium anno 869.

## *DE PRÆBENDIS, ET DIGNITATIBVS,*

### Tit. V.

DE negligentia eorum qui præbendas tenent ſuprà actum eſt, nunc verò de ipſis præbendis & de dignitatibus. Quam materiam vt expendamus, ſciendum eſt in ipſis Eccleſiæ naſcentis cunabulis, quibus Chriſtianum nomen vix cognitum erat, clericos cùm adhuc ſortem ſuam non haberent, & portione tribui Leuiticæ à Deo promiſſâ non fruerentur, coactos vicatim & clanculum ſtipem colligere, & annonam congerere: ità vt quiſque populus pro facultatibus ſuis in alimenta ſuorum clericorum conferret; qui quidem prouentus, ſeu liberalitates dicebantur beneficia, *cap. ad hæc. §. in quadam ſuprà, de offic. Archid. cap. Olim. de verborum ſignif.* quæ ſcilicet ſecundùm ſeruitij & laboris meritum eis dabantur, *can. Clerici. 1. q. 2. can. Vulteranæ. 12. q. 1.* Vbi verò creſcente numero Chriſtianorum excreuit etiam ordo clericorum, ne mendicare cogerentur eis tutiùs proſpectum fuit; quin & paulatim efferueſcente zelo & religionis ardore, vt digniùs Deo famularentur, ipſi communem vitam elegerunt, vt ex Actis Apoſtolorum, ex Tertulliano, & Cypriano conſtat, & qui ſtrictiùs his regulis ſeſe deuouerunt, dicti ſunt *Canonici,* à regula quam ſibi dixerunt, vt ſcribit D. Auguſtinus *de vita clericorum,*



Digitized by Google

Proſper *de vita contemplat. cap.*2.& 9. quia diſtinguebantur ab alijs moribus, & normâ viuendi; alij enim ſua ſtipendia ſeparatim accipiebant quæ *ſportulæ* dicebantur,apud D. Cyprianum *epiſt. 34. vt & ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diuiſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur.* & ipſi dicebantur *fratres ſportulantes*, vt inquit idem *in bonore ſportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes.* Qui verò regulis adſtricti erant, in communem menſam aduocabantur, & ſub vna matricula, ſeu pictacio continebantur, & quotidiè ſuas portiones & ſportulas accipiebant, quæ dicebantur canonicæ portiones apud Iuonem *epiſt. 219. deliberaui,* inquit, *vt darem illis dimidiam præpoſituram, vt fieret inde quotidianus panis, quamuis eorum annua præbenda eis ſufficiens eſſe deberet.* Dicta etiam præbenda, quod ſcilicet, pro modo & menſura præberetur, Fulbertus *epiſt. 38.* & qui eam percipiebant, Canonici præbendarij dicebantur, *can. Sanctorum. 70. diſt.* Quod quidem *præbendæ* vocabulum vſurpatum primùm reperio temporibus Caroli Magni, vt ex eius Capitularibus conſtat *addit. 3. cap. 77.* in corpore verò iuris antiquiorem non habemus quàm Proſperum,in *can.illi* 12. *q. 1.* & Eugenium II. in *ſyn. Rom. can. Nulli. 12. q.* 1. Hæ præbendæ, ſiue reditus vnico etiam nomine,*canoniæ*, dictæ ſunt, apud Arnulphum *epiſt. ad Alexand. Papam*: non abs re, nec tam quod competant Canonicis ob regulam aſſumptam, quā ob canonem ſeruantibus regulam præberi ſolitum. Canon enim etiam cenſum ſeu penſitationem ſignificat, *pactionem*, vt loquitur Imp. *in l. etiam*, *C. de obſequijs*, Baſilica μισθώμα, id eſt, *ſuffragium.* De eo etiam titulus *C. de canone frumentario vrbis Romæ*, & Aſconius *4. in Verrem*, tria penſitationum genera eſſe dicit, *canonem, oblationem, & indictionem.* Quia verò primis ſeculis in Eccleſijs Cathedralibus & Collegijs viguit maximè ille honor, vt ſoli Canonici dicerentur ob regularis diſciplinæ obſeruantiam; etiam ob quotidianam diſtributionem *Præbendarij* ſoli dicti fuerunt: vnde & Eccleſiæ in quibus Capitula vel Collegia ſunt, dicuntur *Præbendales* à Petro Bleſ. *epiſt.* 78. Horum Canonicorum Præbendariorum ſportulantiū nomina in tabella, ſeu pictacio deſcripta erant, & quantam quiſque ſportulam & portionem eſſet percepturus, vnde effluxit vt à noſtris à pictacio illo, portio dicta ſit *pittance.* Dicebantur etiam ἀδελφᾶτα in *No.* Comneni, vt latiùs in Obſeruat. docui. Varia porrò genera diſtributionum illis pictacijs,ſeu matriculis continebantur, aliquandò pecunia numerata, aliàs oleum, vinum, frumentum,aliàs panes, vnde & olim inueſtiebantur canonici per panem,vt videre licet in quadam formula veteri Gelaſij Papæ relata à Iureto ad ep. Iuonis 185. *Frater in ne-*

Digitized by Google

*mine Domini ego te reueſtio per hunc librum, & per iſtum panem de hac præbenda, iuſſu noſtri prælatoris, & Canonicorum iſtius Eccleſiæ.* Hoc hodie in pleriſque locis obſeruari videmus, tum in inueſtitura & portionibus Canonicorum faciendis, cùm clericorum minoris ſubſellij, qui ſoli inde *præbendarij* dici cœperunt, alijs dignioribus ſibi ſolùm Canonici nomen arrogantibus, quorum famuli & ſeruitores ſint iſti præbendarij, vt quædam Bullæ referunt, quòd ſubeant vicem dominorum ad onus ferendum, non ad honorem, modico ſtipendio, & ſolo pane quotidiè diſtribui ſolito contenti, exemplo Romanorum apud quos infimi & humiles homines ad victum panes accipiebant. Prudentius aduersùs Symmachum,

*Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis.*

Iuſtinianus hos panes vocat *ciuiles* in *l. Cùm quidam.* 31. *§. præterea. C. de iure delib.* annonas ciuiles in *Auth. de non alienand.* §. *hac ergo.* & Leo in *l. Hâc edictali.* §. *his illud. C. de ſecund. nuptiis.* Serui potiſſimùm panes illos præbendarios, ſeu præbita accipiebant, Columella *lib. 1. cap. 8. tantóque curioſior inquiſitio patrisfamilias debet eſſe pro tali genere ſeruorum, ne ut in veſtiarijs, aut in ceteris præbitis iniurioſè tractentur.* Hæc, alimoniarum taxationem vocat Conſtantinus in *l. lex qua tutores. C. de adminiſt. tut.* cibaria Paulus in *l. ſeruis vrbanis, de legat. 3.* Videndus Cujacius ad *Nouel.* 6. militares copiæ etiam præbendas habebant, *l. ſi in aliquam. ff. de officio Proconſulis*, & *l.* 19. *ff de teſtibus.* De dignitatibus eſt altera rubricæ pars. Dignitas differt à præbenda, quòd præbenda ſit reditus, vt dixi, & commodum canonicum; Dignitas verò honor & prærogatiua præ ceteris Canonicis & clericis; adeò vt præbenda ſæpius ſit ſinè dignitate, dignitas raro ſinè præbenda. Primis quidem temporibus dignitas æſtimabatur ratione ordinis, ſcilicet Epiſcopalis, presbyteralis, & diaconalis, ad differentiam reliquorum miniſtrantium & laïcorum: ſed deinde dignitas haberi cœpit ratione poteſtatis, auctoritatis, & iuriſdictionis, certis peculiariter perſonis attributæ; vtpotè Epiſcopis, Archidiaconis, & alijs de quibus in *can. Perlectis.* 25. *diſt.* quibus etiam datæ ampliores & vberiores præbendæ. Quinimò & inter has dignitatum prærogatiuas cœpit aliqua diſcretio naſci; adeò vt dignitatum aliæ fuerint ſublimioris notæ, aliæ inferioris: hâc cautelâ adhibitâ, vt quæ iuriſdictionem haberent coniunctam cum adminiſtratione & officio rerum Eccleſiaſticarum, dignitates dicerentur; vt ſunt Archidiaconatus, Præcentoria, Decania, Præpoſitura: vbi verò abeſt iuriſdictio ab adminiſtratione & officio, dignitas non eſt, ſed Perſonatus, qualis eſt Theſaurarius, Penitentiarius, Sacriſta, Cuſtos,

Digitized by Google

Theologus, qui munus habent potiùs & officium, quàm dignitatem: Canonici verò dignitatē vel perſonatū non habent, imò à perſonis diſtinguuntur in *cap. Dudum.* 22. *de electione, cap. poſt electionem, inf. de conceſſ. præb.* Sunt tantùm clerici in numerum & catalogum redacti, vt ſup. tit. diximus, & Balſam. notat ad *can.* 6. *ep.* Baſilij: aliquando Perſonæ dicuntur, *cap. cùm olim. de ſent. & re iud. cap. ſtatutum.* 11. *de reſcript. in* 6. cum gloſ. Parœciarum quidem curæ ſunt perſonatus, & Rectores perſonæ, *cap. vlt. ſup. vt lit. pendente.* Hæc differentia licèt melior adferri non poſſit, incerta eſt plerunque; pro conſuetudine locorum & Eccleſiarum hæ ſuprà dictæ prærogatiuæ, modò dignitates, modò perſonatus ſunt, arg. *cap. Cùm olim. ſup. de conſuetud.* Porrò addenda ſunt quæ ad generalem huius materiæ cognitionem pertinent. Certum quidem eſt tam præbendas, quàm dignitates paſſim non omnibus dari, ſed his tantùm quorum merita id exigunt; indigni enim arcendi ſunt, *cap. Graue, hoc tit.* Indignitatem facit defectus ætatis, ſcientiæ, virtutis, & morum, *cap. Cùm in cunctis. ſup. de electione.* adeò vt Epiſcopus, vel alius qui talibus confert, priuetur pro prima vice facultate conferendi, quòd ſi pertinax ſit in conferendo incapacibus priuetur omnino iure collationis, *cap. Cùm Vintonienſis, & cap. Nihil. ſuprà, de elect.* Incapacitas etiam agnoſcitur ratione pluralitatis, vt qui titulum vnum, ſeu Eccleſiam habeat, aliam non appetat, *cap. Quia in tantùm, cap. Referente*, & *cap. de multa, hoc tit.* Quòd ius nouâ interpretatione traductum eſt ad beneficia curam animarum habentia, non ad ſimplicia, atque etiam ad dignitates & perſonatus, quòd nempe perſonalem reſidentiam requirant, *cap. ad hæc. cap. Præterea, hoc tit. can. Singula. diſt.* 89. Synod. Trid. *ſeſſ.* 7. *de reform. cap.* 3. Causâ tamen neceſſitatis cum diſpenſatione ſummi Pontificis vni duæ Eccleſiæ dari poſſunt, *cap. Eam te. ſup. de ætate & qualit. ord. cap. Expoſuiſti. hoc tit.* Quod exprimendum eſt, ità vt qui modicum aliquod beneficium ſubticuerit, literarum ſuarum fructu careat, *cap. non poteſt, &c. ſi motu. hoc tit. in* 6. Non poteſt quoque duobus conferri præbenda vel dignitas, quæ cùm in ſolidum ab vno poſſideri debeat, ſectionem pateretur, contra Concilium Turonenſe, *cap. Maioribus. hoc tit.* licèt aliquando ſectio permittatur, dummodò hoc fiat in perpetuum, vt ſi de pingui parœcia duæ fiant, & vtraque maneat parœcia, & proprios limites habeat, *can. vnio.* 10. *q.* 3. ſub vno enim limite & iiſdem finibus duæ conſiſtere non poſſunt, *can. Plures.* 16. *q.* 1. Quod ſi quæſtio inter duos de aliquo ſit beneficio, vni poteſt totum beneficium aſſignari, & ne alter nimis graue diſpendium patiatur, aliqua penſio in fructibus conſtitui poterit, quod ius

nouum

nouum eſt in *cap. Niſi eſſent. hoc tit.* Atque etiam pro expenſis ſumma quædam pecuniæ ſolui poteſt, vt eſt apud Arnulphum Epiſcopum Lexouienſem *epiſt. ad Alex. III.* 67. Aliquando vni beneficium iam vacans, alteri proximè vacaturum reſeruatur; quod improbauit Concil. Later. *cap. Nulla. infrà, de conceſſ. præb.* Sed tamen toleratur, *cap. Relatum, cap. Dilectus, hoc tit.* vel niſi talis conceſſio ex mera Papæ liberalitate, & proprio motu proficiſcatur, *cap. Gratia. de reſcript. in 6. cap. Si Romanus. Clement. de præbend.* Hæc dona, gratiæ exſpectatiuæ improbantur in Gallia; ſed tamen aliæ in earum locum ſucceſſerunt, quæ iure indultorum Senatoribus, & Libellorum Magiſtris debentur: ac etiam iure regio pro iucundo aduentu ad regnum, pro fidelitate ab Epiſcopis Regi præſtanda in ſuis promotionibus, & alijs denique modis, qui bono zelo primum introducti, poſtmodùm nefariam omnium malorum peſtem in clerum & Eccleſiam Dei inuexerunt; quin & libertatem conferendi veris legitimíſque collatoribus ademerunt, Epiſcopis ſcilicet & alijs, qui vel patroni ſunt, vel ius habent peculiare. Sed, proh dolor! hoc veneno multi etiam collatores vtuntur, dum talibus indultis clanculum emendicatis ſub nomine mediaſtinorum ſuorum, fraudes ſuas tegunt, & dignioribus viris graduum prærogatiuâ munitis, ad beneficia & dignitates aſpirantibus, viam præcludunt; abutentes poteſtate ſibi à Deo conceſsâ. Sed his omiſſis Epiſcopi, & alij collatores ordinarij ius conferendi primæuum habent ante Summum Pontificem, adeò vt intrà ſex menſes facultas illa penès eos ſit, poſtmodùm amittatur, *cap. de multa. hoc tit. cap. Quia infrà, de conceſſ. præb.* Poteſt quidem Summus Pontifex intrà idem illud tempus conferre, dummodò ordinarium ſuo reſcripto præuenerit: imò & addunt Interpretes quamuis reſcriptum Papæ ſit poſterius titulo ordinarij, dummodò Pontificius collatarius prior ſit in adipiſcenda poſſeſſione. Alio quoque modo amittunt ordinarij ius ſuum, ſi beneficia vacauerint Romæ, *cap. licet, hoc tit. in 6.* quod primus Clemens IV. ſtatuit & ratio petitur ex *cap. Ex debito. de electionib. in Extrauag. communib.* ſcilicet intrà menſem, poſt quem ius redit ad ordinarium, *cap. Statutum. hoc tit. in 6.* Ex his apparet duplicem eſſe viam obtinendorum beneficiorum vacantium, vel per obitum prædeceſſoris, vel incapacitatem occupantis vel reſignationem. Per reſignationem in fauorem tamen alicuius, & non aliter, confertur à ſolo Summo Pontifice, non ab ordinario, apud quem reſignatio pura eſſe debet, & ſinè perſonæ adiectione quæ propriè eſt dimiſſio. Per permutationem quoque poteſt ordinarius reſignationem admittere.

## DE CLERICO ÆGROTANTE, VEL DEBILITATO.

### Tit. VI.

Hic titulus ſequela eſt ſuperiorum, quo de ijs agitur qui à reſidentia excuſari poſſunt morbo, vel alio quouis legitimo impedimento; vt ſiquis luminibus captus, ſurdus, mutus, furioſus ſit, aut morbo ſontico laboret, vt eſt in *l. vnicâ. C. qui morbo ſe excuſ.* aut annos natus ſeptuaginta *l. vnicâ. C. qui ætate ſe excuſ.* argumentū enim à tutela, & cura pupillorum & minorum, ad curam & regimen Eccleſiarum rectè trahi poteſt, cum hac tamen cautela, vt ei qui hoc excuſationis beneficium meretur, & reſidere non valet, detur coadiutor qui partes eius gerat, *cap.* 3. & *ſeq. hoc tit.* quem non ipſe quidem ſibi eligat & aſſumat, quia hoc eſſet ius ſucceſſionis introducere, quod damnat Syn. Antiochena, *can.* 23. de quo in *can. Epiſcopo. 8. q. 1.* Coadiutor autem propriè eſt vicarius, cuius cura & officium defuncto Epiſcopo vacabat olim, adeò vt alius ſæpiùs in Epiſcopatum adſciſceretur, quod ſatìs demōſtrat *can. Petÿſti. 7. q. 1.* & hoc ideò ne contra antiquos canones in vna, eadémque ciuitate & Eccleſia duo eſſent ſimul & ſemel Epiſcopi. *can. 8.* Syn. Nicænæ, & ità diuiſio fieret quam vt Eccleſiæ exitioſam damnat Concil. Cabill. *can.* 4. Quæ tamen aliquo caſu permittebatur, ſi quando Epiſcopus hæreticus cum plebe ſua ad fidem redibat, is populum ſuum nouiter conuerſum regebat, & nihilominùs alter manebat, qui populo Catholico præerat, quamuis vterque eſſet eiuſdem diœceſis. Huic incommodo proſpexit *d. can.* 8. qui noluit hunc recèns conuerſum ampliùs Epiſcopum appellari, ſed presbyterum, vel chorepiſcopum: quo exemplo D. Cyprianus *epiſt. 4. lib. 1.* & *epiſt. 2. lib.* 4. Epiſcopum ad penitentiam reuerſum ordinatione & honore ſacerdotali priuari vult. Quod tamen nec poſteà obſeruatum, licèt Theodoſius Imp. in ciuitatibus in quibus hæreſis Arrianorum erat, duos Epiſcopos creari voluerit, vt ſeditio vitaretur. Igitur nec in ægrotantis Epiſcopi, vel presbyteri locum alius ſubrogandus, ſed dandus coadiutor. Olim vt plurimùm vicinus Epiſcopus in regimen diœceſeos aduocabatur, & Eccleſia ei commendabatur. Hinc partim commendarum & coadiutorum originem ſumere debemus; quum enim neceſſum eſſet dari coadiutorem Epiſcopum, ne tamen in vna, eadémque diœceſi duo eſſent Epiſcopi, vicinis hoc onus recu-

Digitized by Google

ſantibus fictitij Epiſcopi fieri cœperunt, titulis quibuſdam emendicatis aliarum prouinciarum, in quibus infideles imperium tenent. Quod ità ſenſim irrepſit, vt ex hoc bono ingens pernicies Eccleſiæ Dei facta fuerit. Quot enim Epiſcopi hodiè ſunt, non debiles, non ægri, non ætate confecti, tot & coadiutores, qui nihil præter ſpem Epiſcopatus ſibi vindicant: arcentur enim ab omni officio, adminiſtratione, & fructuum perceptione, contra mentem *cap. vnici, hoc tit. in 6.* quum è contrario fructus omnes percipere debeant ſeruatâ Epiſcopo infirmo aliquâ penſione, vt videre licet apud Clementem IV. in *epiſt.* 191. MS. in bibliotheca Fuxenſi Toloſæ, quâ iubet Archiepiſcopum Senonenſem Archiepiſcopatu cedere ob morbum ſonticum, eíque penſione adſignatâ Coadiutorem dari. Porrò hi Coadiutores dantur non tantùm Epiſcopis, ſed & omnibus aliis prælatis, & rectoribus Eccleſiarum morbo, vel ætate laborantibus, vt Archidiacono in *cap. Conſultationibus. hoc tit.* quod probatur ex *can.* 23. concil. Agathen. *Si officium Archidiaconatus propter ſimpliciorem naturam implere aut expedire nequiuerit, ille loci ſui nomen teneat, & ordinationi Eccleſiæ quem elegerit Epiſcopus præponatur*: qui quidem non ſit Coadiutor, ſed Vicarius temporaneus. Ità & in alijs dignitatibus, licèt eis ius parochiale ſit annexum, decreuit Congregatio ad *cap.* 18. *ſeſſ. 24. Conc. Trid.* Non ob eam potiſſimùm rationem quam adfert gloſſa, quòd Archidiaconus ſit vicarius Epiſcopi, ſed quòd ſæpè iuriſdictionem ſuam ſeparatam & diſtinctam ab Epiſcopali habeat, *cap. Significantibus. de oper. noui nunt.* & ius viſitationis in Eccleſijs ſui Archidiaconatus ei competat, *cap. Mandamus. ſuprà, de off. Archidiacon.* Similiter rectoribus datur coadiutor, *cap. 3. & 4. hoc tit.* vtriſque congruâ portione reſeruatâ. Hoc autem ius dandi coadiutores regulariter locum habet in omni genere morbi, quo impeditur quis negotium ſuum exſequi; adeò vt ob deformitatem alicuius membri, aut vulneris damnum, non ſtatim coadiutor detur, cùm poſſit oneri ſuo ſatisfacere, licèt à Miſſarum ſolennibus abſtinere debeat, *cap. 2. hoc tit.* quod quidem Capitulum peregrinum eſt huic titulo, & remittendum ad *tit. de corpore vitiatis*, vbi latiùs hæc morborum impedimenta examinabimus.



Digitized by Google

## *DE INSTITVTIONIBVS,*

### TIT. VII.

POST tractatum de præbendis & dignitatibus conſequenter de earum collationibus agendum videtur. Inſtitutionis enim verbo collatio continetur quod perſpicuum ſatis eſt ex eo quòd in toto iure nullus eſt titulus de collationibus. Inſtitutionis enim vocabulum eſt generale, non, vt voluit Cuiac. quòd contineat tantùm miſſionem in poſſeſſionem, vt loquuntur Iuriſconſulti: certum eſt id plurimas habere ſignificationes, in primis facultatem ordinariam & communem conferendi, tam iure proprio, quàm priuilegio, *cap. ex tua, de filijs presbyt. cap. ad decorem. hoc tit.* & tunc non transfert corporalem poſſeſſionem, ſed ius tantùm adipiſcendæ poſſeſſionis, ſicut facit inueſtitura, *§. ſi verò. qui ſucceſſ. feudum dare teneant. lib. 1. feud. tit. 3. §. fin. de noua forma fidelitatit. lib. 2. tit. 7.* quamuis propriè inueſtitura dici videatur, quæ omne ius & poſſeſſionem ſimul transfert, imò ſit ipſa poſſeſſio, *tit. 2. lib. 2. feud.* apprehenſio corporalis ſeu traditio rei. Hoc tamen iure, inueſtitura ius tantùm ſignificat adipiſcendæ poſſeſſionis; poſſeſſio verò eſt quę fit per rei apprehenſionem, per præbendæ vel portionis canonicæ aſſumptionem, inſtallationem, altaris oſculum, campanarum pulſationem, & ianuæ contactum, per librum, apud Godefridũ Vindoc. & Innocent. III. in Epiſtolis. Et propriè dicitur inſtitutio corporalis, *cap. Ad hæc. de offi. Archidiac.* & collocatio, ſeu poſitio in ſede, *cap. vt noſtrum. eod.* Alias inueſtitura non eſt propriè miſſio in poſſeſſionem, non eſt vera collocatio, quia ſcilicet tradit ius poſſeſſionis, non poſſeſſionẽ; vt quæ per annulum, per baculum, vel haſtam fit *d. tit. 2.* Innocent. III. *lib. 1. regiſtri, epiſt. ad Abbatem S. Eucarij. Ipſo verò die,* inquit, *inueſtitura, poſſeſſionem præbendæ habuit, ità quòd recepit ſtipendia, & in officio miniſtrauit.* Talis inueſtitura non mittit in poſſeſſionem, niſi in re præſenti, vt in *l. clauibus. de contrah. empt.* non cenſetur poſſeſſio aſſumpta, niſi clauium traditio apud horreum facta fuerit, *l. 2. C. de periculo, & commodo rei vendit.* vel etiam ſinè traditione per apprehenſionem, & contactum, per oculorum inſpectionem, *l. 1. §. penult. de acq. poſſeſſ.* ſimiliter inſtitutio quæ fit ijſdem modis, re non præſente, non acquirit ipſam poſſeſſionem, *cap. Cùm olim. & cap. ex literis, ſuprà de conſuetud. cap. Ex ore. de his quæ fiunt, à maiori parte Capit. cap. Cùm olim. de ſentent. & re iudic.*

Digitized by Google

Quemadmodum enim inueſtitura tam pro iure adipiſcendæ poſſeſſionis, quàm pro ipſa poſſeſſione, ſeu miſſione in poſſeſſionem ſumitur, ità & inſtitutio, *can. viſis, 16. q. 2.* Sed tunc illa ius, hæc verò poſſeſſionem tradit. Eſt prætereà alia inſtitutionis ſignificatio, quæ tandem apud nos inualuit; quæ quidem non eſt collatio, nec etiam miſſio in poſſeſſionem, ſed potiùs confirmatio collationis iam factæ, vel electionis approbatio, ità neceſſaria, vt tamen Epiſcopus collationem iam factam, electionem, vel nominationem repellere non poſſit, *cap. vnico. de inſtitut. in 6.* Hoc ius nominandi patronis maximè competit, *cap. Significaſti. de iure patronat.* vt potè Archidiacono in *cap. Cùm veniſſent. hoc tit.* Abbati, *cap. fin.* & alijs perſonis, *cap. Quamquam. de electione, in 6.* Hi ſæpiùs ſimplicem habent inſtitutionem, id eſt præſentationem, aliquando plenam, hoc eſt tam præſentationem, quàm inſtitutionem, ſeu inueſtituram. Iure igitur communi non aliter diſtinguitur inſtitutionis vocabulum, quàm ſi Epiſcopus iure ſuo conferat beneficia; talis enim prouiſio dicitur collatio; ſi conferat ad patroni præſentationem, dicatur inſtitutio *d. cap. vnico, hoc tit. in 6.* Ceſſantibus priuilegijs & iuribus eorum qui præſentationem habent, ius vniuerſum Epiſcopo competit, *can. omnes, 16. q.* 7. & omnium beneficiorum quoquo modo vacantium collatio, ſeu inſtitutio eſt Epiſcopi, vel eius Officialis, *cap. ex frequentibus. hoc tit.* Capitulum verò ſede vacante nec collationis, nec inſtitutionis ius ſpectare poteſt: omnes enim fructus futuro ſucceſſori reſeruantur, *cap. Cùm vos. de officio ordinarij,* Præſentatos quidem inſtituere poteſt, quia fructus tunc non minuuntur, *cap. vnico. hoc tit. in 6. cap. Cum olim. de maior. & obedient.* Iuriſdictio quidem ad Capitulum in his quæ præiudicium Epiſcopo non faciunt, ſpectat, *cap. his quæ. de maior. & obedient.* Poſtremò notandum eſt ex *cap. vlt.* licèt libera ſit collatio, vel inſtitutio, tamen in eo libertatem minui, vt nullus ſe ipſum præſentare, vel inſtituere poſſit, nec Epiſcopus ſibi conferre queat, nec patronus ſeipsũ præſentare, cùm in his alia debeat eſſe perſona dantis, alia recipientis; ideóque cùm inter dantem & recipientem diſcrimen ſit, ſecundùm naturam correlatiuorum, vt vnum idem non ſit, *l. 1. de rerum permut.* alia perſona debet eſſe interrogantis, alia reſpondentis, *l.* 1. *de verborum obligationib.* Aliquando tamen poteſt patronus ſeipſum præſentare, ſi pauper & inops ſit; tunc enim emittit potiùs preces quàm ſeipſum commendat, maximè cùm beneficium eſt ſimplex; tunc enim ambitionis ſuſpicione caret, vt ſentiunt Interpretes in *cap. Cùm ſecundùm. de prœbend.* & *cap. Tuam. de ætate & qualitate ordin.* Abbas in *cap. per noſtras. infrà, de iure patronatus.*

## DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET *Eccleſiæ non vacantis,*

## Tit. VIII.

Hic titulus circa eandem materiam in qua ſuperior verſatur: vterque de inſtitutionibus & collationibus, quas & conceſſiones vocamus, ſed in eo differunt, quòd ille potiſſimùm ad quos ius iſtud conferendi pertineat docuerit; hic verò quando beneficia ſint conferenda demonſtret. Quod vt dilucidè videamus, duas regulas ſtatuemus ex Concil. Later. ſub Alexand. III. in *cap. 2. hoc tit.* Prima eſt, ne cui beneficium non vacans concedatur, vel promittatur. Habet hæc regula duo membra, vnum ne in viuentis locum alius ſubſtituatur; alterum ne viuentium beneficia poſt eorum obitum conferenda promittantur. Primum membrum ſumptum eſt ex antiquis Patrum traditionibus, quibus mutationes, tranſlationes, ſuffectiones, exoſæ erant: ex quo enim quis vni Eccleſiæ adſcriptus erat, non poterat ſponte reſilire, *can. Sanctorum. 70. diſt.* vt ſuprà attigimus; multò minùs coactus, *cap. 1. hoc tit.* Epiſcopo enim ſemel facto, & collegarum, ac plebis teſtimonio, & iudicio comprobato, alium conſtitui nullo modo poſſe ait D. Cyprianus *ep. 11. lib. 2.* agens de Cornelio Papa contra ordinationem Nouatiani. Hinc fit, vt qui in alterius locum conſtituitur, fur & latro dicatur, *can. Non furem. 7. q. 1.* & adulter, *can. ſicut. ead.* excommunicationem incurrat, *can. eum qui. ead.* vnitatis Eccleſiæ ſit deſtructor; nec enim duo vni Eccleſiæ præfici poſſunt, nec vnus primus dici, alter ſecundus, adeò vt qui ſecundus dici velit nullus ſit, *can. factus. ead.* niſi is in cuius ſedem alius ſufficitur, criminis vitio, vel hæreſis labe notetur, *can. 17. ſyn.* Ancyr. Exempla tamen quædam adduci poſſent, quibus oſtendatur in locum viuentium alios ſuffectos, vt D. Auguſtinum: ſed hi non inuitis, ſed potiùs onus ferre non valentibus, ætate, vel morbo impeditis, vt *tit. de clerico ægrot.* diximus. Alterum membrum huius primæ regulæ, quod ſumptum eſt ex Concil. Lateranenſi, omnem improbat conceſſionem beneficij nondum vacantis, tunc demum cùm vacauerit; ſpem enim futuræ ſucceſſionis, & votum captandæ mortis alienæ inducit; ſi enim in foro ciuili talia pacta improbantur, *l. ſtipulatio. hoc modo, de verb. obligat. l. quidam. de donat. l. vlt. C. de pactis*, quantò magis in foro Eccleſiaſtico; adeò vt hæc facultas conferēdi beneficium proximè vacatu-

rum, vel poteſtas ius hoc alteri tribuendi improbetur, *cap. Conſtitutus. hoc tit.* Patronus etiam ſicut non poteſt polliceri ſe præſentaturum, ità nec poteſtatem præſentandi dare, *cap. Cùm dilecta. hoc tit.* Quæ tamen lex ab Innocent. I I I. temperata fuit, vt cùm promiſſio conferendi facta fuerit ab Epiſcopo, vel alio, qui ius hoc habet, tunc demum cùm ei ſe facultas obtulerit, talis promiſſio valeat & obliget promiſſorem. *cap. Accedens. hoc tit.* Præter mortem alicuius poteſt naſci occaſio prouidendi per reſignationem, renunciationem, *cap. poſt electionem. hoc tit.* priuationem, monaſticæ regulæ votum, vel præbendæ ſectionem, *cap. Relatum. ſup. de præbend.* Vel etiam in Eccleſijs in quibus non eſt certus numerus præbendarum, quarum numerus augeri & minui poteſt, *cap. Ex parte. hoc tit.* tunc enim mors alicuius exſpectanda non eſt. Sæpè cum perſona extinguitur præbenda, aliquando de nouo erigitur, *cap. dilecto. §. præterea. ſup. de præbend.* ideóque Concilium Lateranenſe ad tales præbendas non reſpicit. Bonifacius videns innumeras fraudes quæ ſub verborum inuolucro texebantur omnem omnino pollicitationem, non ſolùm proximi vacaturi beneficij; ſed etiam cùm ſe facultas obtulerit abiecit, & ſtrictim ſeruari voluit Concilium, reiectâ quâuis clauſulâ, ſeu prætextu, *cap. deteſtanda. hoc tit. in 6.* & confirmauit Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 19.* quo omnes gratiæ exſpectatiuæ ſub nomine indultorum Vniuerſitatibus, Collegijs, Senatibus, & aliis ſingularibus perſonis conceſſæ abrogantur: quod vtinam ſeruaretur in Gallia noſtra, in qua tale venenum latè diffuſum eſt, magno totius Eccleſiæ detrimento & ruinâ. Aliquandiu quidem tempore Bonifacij, & poſt Bonifacium vſque ad Concil. Triden. ſummi Pontifices, apud quos iura omnia conſiſtunt, hanc facultatem ſibi reſeruarunt, datis executoribus qui conferre compellerent Ordinarios collatores, vel ipſimet conferrent, *cap. executor. & ſequent. hoc tit. in 6.*

Altera regula quæ proponitur ex Concil. Lateran. in *d. cap.* 2. eſt, ne diu beneficia poſſeſſore careant, & ità Eccleſiæ per diutinam vacationem diſpendium patiantur, vt intrà ſex menſes, à tempore vacationis numerandos conferantur, *cap. De multa. ſup. de præbend.* Epiſcopatus verò & Eccleſiarum præfecturæ intrà tres menſes propter maius periculum, *cap. ne pro defectu. ſup. de elect.* Quod ex antiquis Patrum ſanctionibus proceſſiſſe teſtatur D. Gregorius in *can. poſtquàm. 50. diſt. can. obeuntibus. 63. diſt.* & intrà alios tres menſes ſequi debet conſecratio: quod ſtatutum primum fuit in Concil. Chalced. *can. 25.* relato in *can. quoniam. 75. diſt.* Vbi illud obiter nota, niſi neceſſitas aliqua ſit impedimẽto: quod ideò dico, quia anno 1618. de facto euenit in Archiepiſco-

Digitized by Google

patu Toloſano, vt non conſecrato electo Archiepiſcopo intrà tres menſes ſecundùm Concil. Trident. diu diſputatum fuerit, an ſedes vacauerit. Sed ad rem: intrà ſex menſes beneficia vacantia conferenda ſunt, aliter ius conferendi negligente Epiſcopo ad Capitulum deuoluitur, & è contrario, *cap. Ea noſcitur. de iis quæ fiunt à præl.* & *cap. requiſiti. de teſtament.* Quod intellige quando collatio beneficiorum ad Epiſcopum & Capitulum ſimul pertinet, *cap. Poſtulaſtis. hoc tit.* Quibus ceſſantibus ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Summum Pontificem fit deuolutio, *cap. Cùm noſtris. hoc tit.* Semeſtre autem tempus ſumitur non ſemper à die vacationis, ſed à die notitiæ, quo collator ſcire potuit beneficium vacaſſe, *cap. Quia diuerſitatem. hoc tit.* ad exemplum cretionis hereditatis intrà 100. dies *quibus ſcieris, poteriſue*, vt loquitur Vlpian. *tit. reg.* 22. Is qui neſcit, facultatem non habet, nec poteſtatem, *cap. licèt, de ſupp. neglig. præl. l. annus de calumniatorib.* & hæc habent locum in vacatione facti, non iuris; ſi enim beneficium de iure vacet, vt quòd iniuſtè detinetur, libera eſt quandocumque collatio, & hoc caſu in viuentis locum alius ſufficitur. Sed narrari debet collatori ordinario, vel ſummo Pontifici poſſeſſionem occupantis eſſe iniuſtam, *cap. Quamuis. de præbend. in 6.* quod operatur hæc clauſula, *quouis modo vacet beneficium.*

## *NE SEDE VACANTE ALIQVID INNOVETVR,*

### TIT. IX.

NON malè titulus hic præcedenti ſubnectitur, ideò maximè, quia de collationibus agit beneficiorum vacantium, vt ſuprà diximus, ſi intrà ſex menſes vacauerint collationem deuolui vel ad Capitulum, vel ad ſuperiorem. Iam proponitur exceptio, cùm nempe ſedes vacat; defuncto enim Epiſcopo nihil innouandum & omnes reditus, fructus, & iura Epiſcopatus futuro ſucceſſori debent fideliter reſeruari, arg. *cap. Cùm vos. de offic. ordin. can. hæc huius. can. non liceat. 12. q. 2.* quod ius traxit originem ab Apoſtolis *in can. 40. Apoſtolorum, & can. 22. Concil. Chalced.* abuſus primùm cœpit Romæ; obeunte enim ſummo Pontifice patriarchium eius deprædationi expoſitum erat, qui abuſus in alios Epiſcopatus irrepſit, quòd Ioannes XII. graui cenſurà prohibuit *in Concil. Rauennat. c.* 11. ſed interim Oeconomus adhiberi debuit, *cap. cùm ſuos. de off. & pot. iud. deleg. & in prima compil.* quod ex dicto Concilio Chalced. proceſſit, & id

Oeconomus

Oeconomus ex clero, vel Capitulo deſumi debuit, *can. hæc huius. 12. q. 2.* vel etiam Metropolitanus procurare cuſtodiam, *can. non liceat. ead.* vel vicinior Epiſcopus ad Metropolitanum τὴν διατύπωσιν, id eſt *deſcriptionem & recenſionem rerum omnium* deferebat, *can. 5. & 6. Rhegienſis ſynodi*; euocatis etiam presbyteris. & *Aurelianenſ. ſynodo 2. can. 6. cauetur, & Tolet. IX. can. 9.* Et ſi qui cuſtodiam habebant παραλαμβάνοντες, id eſt *adſumentes vocari ait Balſam. ad d. can.* Per negligentiã verò collatio non poteſt deuolui, cùm non fuerit ſuperior qui poſſet de facto, vel de iure conferre, *cap. vnico, in 6.* adeò vt iudicia & ſententiæ prolatæ præiudicium non faciant, *cap. fin.* alienatio nulla ſit, *cap. 1. hoc tit.* cuius ſpecies pertinet ad materiã; cùm enim vnio facta eſſet à Cæleſtino III. Innocent. III. prædeceſſore, Glaſtonenſis monaſterij cum Bathonienſi Epiſcopatu, petentibus monachis vnionem reſcindi, ſinè dubio alienatio & præiudicium fiebat futuro Epiſcopo Bathonienſi, quòd vacante ſede noluit tribuere Innoc. III. quamuis cauſa legitima videretur; religionis enim eſſet ruina, & non ampliùs fierent piæ erogationes in pauperum alimenta pendi ſolitæ: denique poſcentibus Rege, & regni primatibus, Epiſcopis, & Abbatibus Angliæ, Sauarico Bathonienſi Epiſcopo Richardus I. Rex Angliæ hanc Abbatiam dederat, & Cœleſtinus Bathoniæ vniuerat; ſed deinde ſuaſu, & conſilio Huberti Cantuarienſis Archiepiſcopi ablatam Vvillelmo la Pie dederat, qui quandiu vixit Richardus, Abbas fuit; ſed eo mortuo, Sauaricus conqueſtus eſt coram Innocent. III. & Cardinalibus, allegans ſibi datam à Richardo, & anteà in ea ſedem Epiſcopalem fuiſſe: ad cuius inſtantiam confirmauit hanc vnionem Abbatiæ, & Sauarico reſtituit Innocent. III. vt videre licet in antiqua compilat. & apud Rogerum *part. poſteriori Annal.* Sed iterùm defuncto Sauarico lis moueri cœpit, Rege & magnatibus petentibus, quibus Innocent. non ſatisfecit, ne ſede Bathonienſi vacante damnum fieret futuro ſucceſſori. Cur autem tam propenſo animo Ioannes Rex, frater Richardi, non Richardus, vt voluit Cuiac. iam enim obierat, vnionem frangi, & ſeparationem fieri optauit? quia ſcilicet Glaſtonenſis Abbatia antiquiſſima erat, & inter nobiliſſimas regni habita, ab Hina Occidentalium Saxonum Rege, qui vixit circa annum 688. vt eſt apud Polyd. Vergil. in honorem B. Mariæ Virginis fundata, in quodam paluſtri receſſu, vt eò tenaciùs monachi ſupernis inhiarent, quo caſtigatiùs terrena haurirent; quam poſteà Edgarus Anglorum Rex præ omnibus dilexit, & magnis poſſeſſionibus auxit, & ſucceſſiuè reges omnes ſingulari affectu proſecuti ſunt, vt narrat Vvillelmus Malmesb. *lib. 2. de geſtis regum Angliæ*, qui etiam pri-



Digitized by Google

uilegia refert. Sed hæc vltra metam noſtri propoſiti: redeamus vnde diuertimus. Epiſcopo toties fit præiudicium in collationibus, quoties collatio ad eum ſolum pertinet, licèt teneatur requirere conſilium Capituli, *cap. 2. hoc tit.* Damnum enim fieret Epiſcopo, ſi verbi gratiâ, inhabilis ſit ob defectum qui citò poteſt reparari,& Capitulum ſe intromitteret, *can. Presbyteri. 24. diſt.* Aliud eſt cùm collatio communiter ad Epiſcopũ,& Capitulum pertinet, vno enim deficiente, ius omne ad alterum deuoluitur, *cap. vnico. in* 6. Quod ſi vnum ab altero teneatur conſilium exſpectare, toties poteſt qui ius conferendi habet conferre, quoties alterius abſentiâ, vel morte damnum poſſet emergere, *d. cap. vnico. §. vbi.* Similiter obſeruandum non tantùm de collationibus, ſed de omnibus alijs iuribus, quorum deuolutio toties fit, quoties vel ex mora damnum, vel aliquod periculum naſcitur: quod Ioannes XXII. trahere voluit ad ſedem Imperij vacantem, in *cap. vnico. Extrauag.* quo inhibetur ſub pœna excommunicationis, ne vllus vacante Imperio audeat ſibi Vicarij nomen arrogare, nec vllum regimen ſuſcipere, ſed recurrendum ſit ad Summum Pontificem, ad quem terreni ſimul & cœleſtis Imperij diſpoſitionem deuolui ait *cap. vnam Sanctam. de maioritate & obed. in Extrauag. Com.* Ratio autem huius Conſtitutionis quam edidit Ioannes ſub tit. *Ne ſede vacante,* petenda eſt ex hiſtoria: Poſt Clementis V. obitum vacauit Romana Sedes annis duobus, menſibus tribus, diebus 17. quo tempore mortuo Henrico Imperatore, deſignati ſunt Imperatores varij à varijs; Ludouicus nempe Dux Bauariæ, & Fridericus, inter quos annis octo bellum grauiſſimum geſtum eſt, ſed Ludouicus ſuperior euaſit citra mentem Ioannis XXII. non impetratâ ipſius confirmatione, vt moris anteà ſemper fuerat, à quo ideò anathemate percuſſus fuit: ex veteri enim eligendorum Imperatorum iure, ab Henrico II. in hunc vſque diem ſeruato, Imperatorem ſex electores deſignant, Treuerenſis, Colonienſis, & Moguntinus Archiepiſcopi; Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgenſis: ſeptimus quaſi arbiter & contentionis iudex adhibetur Rex Bohemiæ, & octonarium numerum faciens Rom. Pontifex, apud quem ius approbationis & confirmationis erat. Hunc morem ſuâ Conſtitutione firmauit Gregorius V. vt referunt Egnatius *lib. 8.* & Blondus *lib. 3. dec. 2.*

Digitized by Google

## *DE IIS QVÆ FIVNT A PRÆLATIS ſinè conſenſu Capituli,*

TIT. X.

OSTENDIMVS ſuprà collationem eſſe in fructu *cap.fin.de offic. Vicarij in 6.* & idcircò eius deuolutionẽ non fieri confusè, & abſque ordine, ne alienatio fieret iurium optimorum, quibus Epiſcopi & Capitula gaudent. Hinc latiùs euagari contigit, & ad materiam omnium alienationum tranſire, adeò vt hoc tit. non tantum collationum, ſed etiam aliorum iurium materia expendatur. Cùm enim Epiſcopus & Capitulum vnum corpus efficiant, Epiſcopus ſit caput, Canonici membra, *cap. Nouit. hoc tit.* & Epiſcopus ſit ſpiritali coniugio copulatus Eccleſiæ Cathedrali, *cap. Requiſiſti. infrà, de teſtamentis,* non poteſt Epiſcopus ſolus inſcio Capitulo res Eccleſiæ alienare: adeò vt quod itàgeſtum fuerit nullius ſit momenti, *cap. 3. hoc tit.* Quod vt pleniùs oſtendatur, aduertendum eſt hanc rubricam agere tantùm de conſenſu, non de conſilio Capituli: ſiquidem magna eſt differentia inter conſenſum, & conſilium: conſenſus pendet à voluntate, quam quis interponit in negotijs, & ex imperio, ex autoritate, & iuriſdictione ſua habet: ideóque quoties requiritur conſenſus, eo omiſſo res non agitur, *cap. vlt. de Iudicijs in 6.* In quibuſdam tamen caſibus nec ſilentium facit conſenſum, vt ſi iudex citet extra territorium ſuum, & partes non contradicant, tunc conſenſus expreſſus neceſſarius eſt; quemadmodum in alienationibus, donationibus, & negotijs Eccleſiæ, quæ ſunt magni momenti, *cap. 2. hoc tit. abſque collaudatione & ſubſcriptione,* inquit *cap. 1.* & optimè gloſ. diſtinguit quando ſubſcriptio ſeu ratihabitio valet, quando non; veluti ſi fiat per eos qui ius habere non poſſunt, vt ſi quis per alium ſententiam vel teſtimonium dicat. Eſt autem collaudatio, confirmatio ſeu approbatio apud Iuriſconſultos, vt annotat Budæus, & ſumitur *in l. 1. §. ſed vtrùm. ff. de ſeru. corrupt.* apud Iuonem *ep. 13. Teſtatus eſt pleniter definitam eſſe cauſam Apoſtolicâ autoritate, & veſtrâ, veſtrorúmque Coëpiſcoporũ laudatione: & ep. 16. Coniugium quod antè factum non laudaſtis, poſt factum, nec facto, nec dicto inconſultè approbetis*: inde laudimium, in Conſtitut. feudorum. Aliud eſt de conſilio, quod petere quidem oportet, ſed non ſequi, *cap. cùm olim. de arbitris,* vbi glo. optimè contendit non eſſe *ſuperfluum,* vel vt loquitur P. Beneuentanus, *proluſorium,* ad *cap. vlt. de arbi-*

*tris in 3. comp. petere quod non tenentur ſequi*, vt de adſeſſoribus dicitur in *l. 2. C. de adſeſſorib.* qui nec poſſũt libellos ſubſcribere *Nou. 6.* συγκαθέδρες vocant Baſilica, *participes, l. 1. C. ſi rector prouinciæ.* & *l. 2. C. de adſeſſoribus,* ἀρχόντων συμπόνοι apud Græcos, conſiliantes apud Pliniũ in epiſtolis. Non debemus tamen clerum, vel Capitulum ijs aſſeſſoribus comparare, habent enim magiſtratum & imperium cum Epiſcopo coniunctim, ad exemplum Senatorum, qui à Patricijs & Conſulibus deſcendebant, & ſoli ſententiam dicere poterant, *l. vlt. ff. de Senatorib.* ideóque & Canonici vulgò ab Epiſcopis, fratres, appellantur, *cap. 2. hoc tit.* eādē ratione quâ Epiſcopi à ſummo Pontifice, *cap. fin. hoc tit.* Papa caput eſt Eccleſiæ orthodoxæ, Epiſcopi ſunt capita ſuarum Eccleſiarum προεδρεύοντες, id eſt, *præſides* ità, dicti ab exhedris, periſtylijs, vel clauſtris Eccleſiarum; qui quidem ſuos habent conſiliarios, ſicut princeps olim negotia cum conſulibus & primoribus iudicabat, vt eſt apud Dionem in Auguſto, & Zonaram in Adriano, καὶ ἐδίκαζε μετὰ τῶν πρώτων. Hi proceres tantæ dignitatis erant, vt à Getis θεοὶ dicerentur. Hunc honorem, quo Canonici fulciuntur vocat Innoc. Canonicum honorem, *ep. 127. lib. 1. cap. propoſuit. de conceſſ. præb.* Quando verò concilium, quando conſenſus requiratur, non eſt pleniùs inquirendum; ſiquidem in omnibus negotijs & cōcilium & conſenſus requiruntur, *cap. quanto. de his quæ fiunt à prælatis.* Nomine Eccleſiæ hîc intelligimus non tantùm Cathedralem cũ Capitulo, *cap. cùm clerici, de verborum ſig.* ſed etiam diœceſim, aut prouinciam, *cap. cùm ſuper. de autoritate, & vſu pallij, cap. Radulphus. de reſcriptis.* Quandoque verò ſignificat Epiſcopũ tantùm, vt *in can. ſcire. 7. q. 1.* vel Capitulum tantùm, *can. antiquos. 10. q. 1.* ſi de iure peculiari vnius agitur, ſinè dubio alter nîl quidquam agere poteſt citra conſenſum alterius, *cap. ea noſcitur. hoc tit.* Semper verò concilium eſt adhibendũ, ità intelligendum *cap. primum, in quinta compil.* ex quo malè detraxit Raimundus hanc vocem, *concilio*; nam quamuis neceſſariò non requiratur, exſpectari tamē debet, *cap. cùm in veteri, ſup. de elect.* vt & rectè annotauit gloſ. in *c. cùm olim, ſup. de conſuetud.* & quoties permittitur aliquid inconſulto Capitulo, hoc dicendum, dummodò non ſit enorme damnum Eccleſiæ, vt docet Bernardus *ad cap. 1. de conſuetud.* in prima compilat. quæ omnia intelligenda veniunt, tam de bonis ſpiritalibus, quā tēporalibus, *cap. tua. hoc tit.* Cùm enim quæſtio eſſet an Epiſcopus poſſet concedere in perpetuum vni monaſterio Eccleſias baptiſmales, quarum ius patronatus ad ipſum monaſterium pertinebat citra Capituli conſenſum, Innocentius fieri non poſſe ait: ratio in hac hypotheſi ſumebatur, ex eo, quòd Capitulũ non multũ diſpendij pate-

retur ex cõceſſione Eccleſiarũ, in quibus iam monaſteriũ iure patronatus fruebatur; ſed omninò id negat Pontifex, ſumens regulam generalem ex epiſtola Leonis in *can. Sinè exceptione. 12. q. 2.* tranſlatio ſiquidem illa perpetua eſt, viuit enim ſemper monaſterium, & ità præiudicium fieret clero, & ſucceſſori Epiſcopo, quod non debet, etiam quâuis conſuetudine obſtante, *cap. vlt. Clement. de reb. Eccleſ. alien.* conceſſiones quæ fiunt perſonis, quia non ſunt perpetuæ valent, *can. Bonæ. 12. q. 2. can. poſſeſſiones 16. q. 1.* Eſt & alia ratio quæ magis vrget in Eccleſijs Baptiſmalibus, quia tunc videntur carere paſtoribus, quibus magis indigent ad ſalutem animarum, *d. Clement. fin.* Per baptiſmales Eccleſias intellige parœciales, vt in *can. Plures. 16. q. 1.* quæ ideò ità appellantur, quia Baptiſmus eſt primum ſacramentum, & ianua aliorum ſacramentorum *can. Cùm itaque. de conſecrat. diſt. 4. can. Si quis per ignorantiam 1. q. 1.* Similiter de bonis temporalibus eſt ſtatuendum, ne Epiſcopo liceat ea minuere, tollere, vel perdere, negotia tractare citra Capituli aſſenſum, *cap. Nouit. cap. Quanto. hoc tit.* fructus, & obuentiones vnius Eccleſiæ quibuſdam pijs locis aſſignare, præter quinquageſimam portionem, quod ius hauſtum eſt ex Concil. Toletan IX. in *d. can. Bonæ.* Cauſa enim iuſta videtur templum ædificare, & rei bonæ ſtatuendũ Concilium dare aſſenſum, *can. Si quis Epiſcopus. ead.* qui eſt ex Concil. Tolet. III. *cap. 34.* in quo adhibetur hæc cautela, vt id Epiſcopus de conſenſu Concilij ſui faciat; & ſic intelligendus *d. can. Bonæ*, licèt contra Interpretes, ſed peſſimè: vt etenim citra Capituli aſſenſum id poſſit Epiſcopus, ius nouum eſt ab Innocentio III. introductum, vt ſatìs colligere licet ex ipſius verbis in *d. cap. Paſtoralis. hoc tit.* & in *cap. Apoſtolicæ. inf. de donat.* ſtatim enim initio profitetur ſe *d. canoni Bonæ rei,* velle derogare. Exceptioẽ huius iuris vnã aduertere licet, in *cap. Cùm Apoſtolica. hoc tit.* vt ſcilicet non requiratur cleri aſſenſus, quando ſcilicet propriè non fit alienatio, ſed potius reuocatio bonorum Eccleſiaſticorum; vt cùm decimæ quæ ab Eccleſia cuidam laico donatæ erant feudi iure, iterum ad Eccleſiam redeunt, & monaſterio alicui applicantur; vel cùm alienationem factam Capitulum ratam habet, *cap. Cùm nos. hoc tit.* ratihabitio ſiquidem mandato comparatur: vel cùm ſciente, & non contradicente Capitulo facta eſt, *cap. 2. hoc tit.* Scientia enim & patientia pro expreſſa voluntate ſumitur, non quidem ſemper, ſed potiſſimùm in alienatione temporali, aliàs expreſſus cleri conſenſus neceſſarius eſt, *can. Si ſeruus, 54. diſt.* conſenſus, inquã ſanioris partis, vt dicetur *infrà, tit. ſeq.* & ità intelligẽdus vulgatus *canon, terrulas, 12. q. 2. ſinè conſilio fratrũ,* Per fratres, intelligit clerũ, vt eod.



Digitized by Google

cã. præcedẽti, *abſque ſubſcriptione clericorũ.* ἀγνοούσης τῆς συνόδου ἢ τῶν ἰδίων πρεσβυτέρων : id eſt, *inſciente Synodo, vel proprijs presbyteris*, ait *can. placuit, ead.* Scio quidem per fratres, aliquando intelligi Epiſcopos, vt in *can. prætereà. diſt.* 51. ſed etiam eo nomine presbyteri intelliguntur, *can. fratres, de penitent. diſt. 5. fratres noſtros Epiſcopos & presbyteros admonemus.* Denique in omnibus negotijs, conuentibus, concilijs interuenire debet clerus, vel Capitulum, vtpotè ſenatus Eccleſiæ, teſte D. Hieronymo; nec poſſunt celebrari inuocatis Capitulis: cùm enim Concilia pro exceſſibus corrigendis, prauis moribus reformandis omnium clericorum conuocentur, *cap. fin. hoc tit. cap. Sicut olim, de accuſat.* bis in anno ex præcepto Apoſtolorum, quartâ nempe hebdomadâ Pentecoſtes, & duodecimâ die hyperberætei, id eſt, Octobris, vt eſt in *can.* 37. Apoſtolorum, ſaltem ſemel in anno *can. 6.* Syn. Nicænæ; ideò Capitula vocanda ſunt, *can. de eulogijs, diſt. 18.* quod & expreſſit Syn. Trident. *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 2.*

## *DE IIS QVÆ FIVNT A MAIORI parte Capituli,*

### Tit. XI.

IN rebus Eccleſiæ Epiſcopum cum Capitulo conſentire debere dictum eſt. Iam quid nomine Capituli intelligatur videndum. Capitulum, eſt vniuerſitas clericorum, quorum caput eſt prælatus, & ipſi membra ſimul corpus efficientia, *cap. Nouit. ſup. tit.* Sodales, ſeu ſocij eiuſdem collegij, & congregationis, quam Græci ἑταιρείαν vocãt, quales depingit Caius in *l. vlt. de collegijs.* quibus vel victus communis eſt, vel aliqua viuendi forma circa cultum Dei: nec enim omnes clerici vnius Eccleſiæ faciunt corpus, Collegium, ſeu Capitulum, *cap. dilecta. de exceſſib. prælat.* ſed ij tantùm quibus Pontificum conſtitutionibus id conceſſum eſt, ad exemplum collegiorum paganorum, ſeu laïcorum, quibus id conſtitutionibus & reſcriptis principum conceditur; qui communem habent actorem ſeu ſyndicum, ſigillum, & arcam, *l. quod cuiuſque vniuerſit. cap. Significauit. ſup. de appellat.* Actorem ſeu ſyndicum, qui conſtituitur ad omnes cauſas vniuerſitatis, ſeu Capituli, quouis nomine donetur ſiue actoris, ſiue procuratoris, *cap. petitio, & cap. Quia in cauſis, de procurat.* Siue Oeconomi, Præpoſiti, Defenſores, Caſtaldi, in *can, Saluator. 1. q. 3.* Sigillum eſt etiam argumen-

Digitized by Google

tum vniuerſitatis, *cap. dilecta. de exceſſ. prælat.* χαρακτῆρα impreſſum habens, & notam ſeu ſignum commune: quod fuit vel annulus, vt apud Tacitum 1. *Annal.* vel etiam ante vſum annulorũ, lignũ à vermibus exeſum, apud Heſychiũ: inde dicta ea ſignacula, θριπήδεστα, θριπηδέστατα apud Suidam, & Euſtathium *Odyſſ. α.* Etymologici auctorem, & alios. Vocatur & hoc ſigillum, Bulla, ab Innocentio III. quod quidem ſub cuſtodia erat Cancellarij, *cap. vnico. infr. tit. ſeq.* & vocatur ſigillum, ſeu annulus Eccleſiæ, *can. 1. 73. diſt.* fidem totius Collegij faciens, *cap. 2. de fide inſtrum.* cuius ſigilli vſus præcipuè autoratus in Anglia, ob penuriam tabellionũ, Concilio Londinenſi habito ſub Othone Cardinali, Sedis Apoſtolicæ in eo regno legato, anno M. CC. XXXVII. vt narrat Matthæus Paris. Arca poſtremò ſignum communitatis eſt, in qua obuentiones, & redditus in nummos redacti reconduntur, quaſi in gazophylacium, ſeu ταμεῖον, *l. 15. C. de ſuſceptorib.* in qua etiam inſtrumenta, tituli, & veſtes pretioſæ aſſeruantur: vnde tituli arcales *l. 6. C. de exactorib. tribut.* & qui cuſtodes ſunt, arcarij, *cap. vlt. ad Rom.* Eſther *cap. 3.* hic locus vulgò, *Arcibum*, ſeu, *Arcipum* in formulis Marculphi *lib. 2. cap. 38.* & in *formula 8. Ingenuitatis*, quæ ſub incerto Auctore edita eſt. Arca illa vulgò etiam dicta eſt in Gallia, Burſa; & qui victum ex ea capiunt, Burſarij. His tribus potiſſimùm Cõmunitas, ſeu Capitulum deſignatur, accedente numero clericorum competenti, quibus collegium componatur. Hoc autem titulo id præcipuè tractatur, quando Capitulum aliquid ſtatuiſſe, & ordinaſſe cenſeatur, quod toties efficitur quoties τὸ πλέον μέρος, id eſt maior pars accedit, & concurrit in vnam ſententiam, *cap. 1. & vlt. hoc tit.* exemplo decurionum, *l. quod maiori. ad municip. l. Nominationum. C. de decurionib. lib. X. l. Aliud. de reg. iur.* & *cap. Quia ſicut. ſup. de election.* Quæ ſit autem maior pars ſæpiùs quæſitum, & argumentum ſumunt multi ex *hoc cap. 1.* maiorem partem non ſemper eſſe quæ pluribus abundat ſuffragijs; ſæpè enim peior, vt ritè demonſtrat Quintilianus *declamat. 365.* & Seneca *lib. de vita beata, cap. 2.* ſed quæ ſanior & rectior; ſicut in *l. Majorem. de pactis*, maior pars creditorũ eſt pro modo debiti, non pro modo perſonarum, & in *can. Multi. 40. diſt.* Qui eſt major in honore, iuſtior non eſt; ſed qui iuſtior eſt, major eſt. Quod tamen ità eſt intelligendum, vt ſanior pars, licèt numero minor intelligatur, & accipiatur, non quidem ab ijs qui ſuffragium dant, ſed à ſuperioribus cauſæ cognitionem habentibus, vt in *cap. Eccleſia. ſup. de elect. cap. Concertationi. de appellat. in 6.* Ratione enim, an ſententiâ pauciorum ſuſtineatur, relinquendum eſt iudicio ſuperiorum; aliàs nuſquam concordia naſcetur, cùm om-

Digitized by Google

nes ſuo ſenſu abundare, & in ſaniorem ire ſententiam exiſtiment: ità eſt ſumendum *d. caput* 1. Verùm generaliter ſtatuendum eſt maiorem dici partem, quæ pluribus abundat ſuffragijs; numerantur ſententiæ non ponderantur, vt ait Plin. & hæc eſt lex, & regula, quam ſequi oportet, *cap. fin. hoc tit.* Prudent. *1. contra Symmachum,*

*Seruemus leges patrias, infirma minoris*
*Vox cedat numeri, paruâque in parte ſileſcat,*

Vt maior pars dicatur, eſt præterea aduertendum, hoc ius locum habere de præſentibus in Capitulo, in quo ad minus duæ partes adeſſe debent, *l. Multi*, & *l. Planè. Quod cuiuſque vniuerſit.* non exigitur vt duæ partes idem decernant, ſed vt in decernendo adſint duæ partes, quæ faciunt Capitulum, & Concilium publicum in *l. Nominationes. C. de appellat.* Exquiruntur verò voces ſingulorum, ità vt nullus, quamuis dignitate præditus, duplicem vocem prætendere valeat, prætextu cuiuſlibet conſuetudinis, quæ contra ius commune eſt, & corruptela dicitur ab Innocent. III. in *cap. cùm olim. de ſent. & re iudic.* niſi aliquis de numero eligentiū abſens, & adeſſe impeditus vices ſuas vni de Capitulo commiſerit *cap. quia propter, ſup. de elect.* quod tamen vix hodie locum habet, & gloſſ. optimè, Capitulum vices abſentis recipere non teneri concludit.

## *VT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE diminutione conferantur,*

### Tit. XII.

Cvm ſuperioribus titulis collationes à quibus fiant demonſtratum ſit, hoc pro corona addendum fuit, eos qui ius conferendi habent, pro parte conferre, & pro parte retinere non poſſe, exemplo ſeruitutum in *l. pro parte. de ſeruitutib.* eſt etenim ſectio præbendarum, quæ aduerſatur Concilio Turonenſi in *cap. Maiorib. infrà, de iure patronat.* adeò vt collator non poſſit conferendo partem fructuum vnius, vel plurium annorum ſibi reſeruare, quin ſimoniæ crimen incurrat, *cap. prohibemus. infrà, de cenſib.* niſi id ex ſumma neceſſitate obtinuerit à ſummo Pontifice, *cap. tua, pen. infr. de verb. ſignif.* Ipſemet ſummus Pontifex in ſubſidium belli aduerſùs fidei hoſtes fructus vnius anni beneficiorum exigere ſolebat, vt refert Panormit. *cap. 1. inf. de Simonia*, quæ tributa barbaro quodam nomine dicta, Annatæ, quòd anni vnius reditus exhaurirent

Digitized by Google

rent: quas & pro alijs quibuſque Rom. Eccleſiæ neceſſitatibus exigi ſæpiùs voluerunt Ioannes XXII. & Benedictus XI. & poſteà ſub Bonifacio IX. in ordinarium munus & vectigal tranſierunt. Poſteà paulatim ſub ſanctiſſimo Ludouico IX. & Carolo VI. Regibus Francorum imminutæ, & tandẽ Concilio Baſilienſi reprobatæ euanuerunt. Simile eſt ius quoddam Deportus, quod Epiſcopi, & Archidiaconi ſibi arrogabant, ante dictum Concilium, quaſi heluones & mediaſtini, qui iniquis quibuſdam conditionibus beneficiorum fructus rapiebant, quod Innocentius maximè damnat in Concilio Lateran. *cap. Exſtirpandæ. ſup. de præbend.* & multis ante eum ſeculis D. Hieronymus in *can. Diaconi. 23. diſt.* 93. *Hoc tantùm*, inquit, *ſibi vendicet Epiſcopus quod ſui iuris eſſe cognoſcat, aliena non rapiat*; quæ enim ſua non ſunt, ad alios pertinere ſcire debet, *l. Cùm quærebatur. C. vnde vi.* & eos qui talibus reſeruationibus vtuntur homicidas vocat idem Hieronymus, *d. can. diaconi.* His malis ſumma Dei prouidentia Galliam penè proſtratam erexit libertate redditâ, & integro vſufructu beneficia adeuntibus reſeruato ſecundùm iuris regulas in *can. Nullus Abbas. 1. q. 1. can. vlt. 1. q. 3.* & *can. Eccleſias, 13. q. 1.* excommunicatione contra aliter agentes inflictâ, *cap. Præſenti. de off. Ord. in 6.* Innocent. III. *epiſt. 204.* de eo grauiter increpat Epiſcopum Syluanectenſem. Cum diminutione quoque beneficia cõferuntur, quando ex vna duæ fiunt præbendæ, *d. cap. Maioribus.* vel fit permutatio dignitatum, id eſt inuerſio & immutatio nominis, & prærogatiuæ. Denique quoties imminuitur ſplendor & ſtatus Eccleſiæ & beneficiorum, *cap. Ex parte. de conſtitutionib.* Sola ſummi Pontificis auctoritas poteſt derogare, *cap. Cùm acceſſiſſent. de offic. Archid.* Aliquandò ſi diminutio illa leuis ſit & parui momenti, quæ tamen ad cultum Dei maiorem vergat, id facere poteſt Epiſcopus cum Capitulo; vt ſi vacanti beneficio aliquod onus imponatur Miſſas celebrandi, aut ſimilia agendi; tunc non eſt propriè onus, vbi honor Dei augetur, *cap. Significatum. ſuprà, de præbend.* Quæ cauſa mouit Iuonem Carnotenſem, vt præpoſituram quandam diuideret, & dimidiam partem communitati Canonicorum conferret, ex qua fieret quotidianus panis quem acciperent aſſidui, amitterent tardi, vt ipſe loquitur in *epiſt.* 219.



Digitized by Google

## *DE REBVS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON.*

### Tit. XIII.

Dictvm de diuiſione & diminutione præbendarum, quæ ſpecies eſt alienationis. Hic titulus omnem materiam alienationum tractat: quo quidem non hoc ſolùm intenditur, ne rerum Eccleſiæ fiat alienatio, ſed quando ritè fiat, quãdo malè; ne omnino tollat commercium rerum, quas certis de cauſis poſſe diſtrahi ſatìs compertum ex *can. Placuit,* & *ſequentibus 12. q. 2.* vt ſi minùs vtiles ſint, *cap. 8. §. fin. hoc tit.* vel ſi terræ ſteriles ſint, quæ in emphyteuſim dari poſſunt, *cap. 7. hoc tit.* exemplo fundi pupillaris, ſi ſaxoſus, ſterilis, vel peſtilens ſit, *l. ſi fundus. de rebus eorum qui ſub tut. l. fin. §. vlt. de legat. 2.* vel ob redemptionem captiuorum, & tempore famis, *l. Sancimus. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Nunquam tamen inconſulto Concilio, vel cuncto presbyterio, id eſt clero, vt loquitur *d. can. Placuit.* Præter hos modos, & alios quos neceſſitas ſumma ad ius ciuile reuocat, alienatio prorſus eſt interdicta, in *cap. Nulli. hoc tit.* quo conſtitutio Leonis Imperatoris in *l. Iubemus. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* obſeruari præcipitur, ne quouis modo Eccleſiæ res amittantur. Alienationis verbum continet venditionem, donationẽ, permutationem, & emphyteuſim, quæ ſunt præcipui modi in *d. cap.* quibus adiungere licet vſucapionem, & præſcriptionem ex *vulgata l. alienationis. de verbor. ſignif.* pignoris conſtitutionem, ſeu nexum & hypothecam, vt loquitur *l. Sancimus. C. de reb. alienis*: vſufructus dationem, *can. non liceat. 12. q. 2.* ceſſionem, *d. l. Iubemus*: denique conditionem omnem, quâ deterior fit res Eccleſiæ; ſic enim poſſumus accipere *conditionem in d. cap. Nulli,* quam ſpuriam & ſuppoſititiam damnat Ant. Auguſtinus; ſed tamen conditionem rectè ſcribi debere dicendum eſt, cùm conditio ſumi poſſit pro pacto, vt in *l. ſocietatem, pro ſocio,* quo quidem præiudicium rei Eccleſiæ fieri poteſt, *cap. Plerique. ſup. de pactis*, inde *ſtare conditionibus,* pro ſeruare pacta apud Iuriſconſultos, & M. Tullium ad Tironem lib. 16. *ſin ille ſuis conditionibus ſtare noluerit, bellum paratum eſt.* Pariter ac tranſactio quæ ſi damnoſa ſit, nullius eſt momenti, *cap. veniens. ſup. de tranſact.* tales enim conditiones, ſiue pacta ſint, ſiue tranſactiones ſub nomine alienationis continentur, *l. non ſolùm. C. de præd. min.* quæ maximè facit ad hunc intellectum. Quidam loco huius verbi *conditionem*, legunt, *condictionem*; ſed malè: alij, *conductionem*, non omnino malè,

alij *conceſſionem*, multò meliùs quia & alienationis ſpecies eſt, *cap. Cùm nos. de his quæ fiunt à præl. cap. 2. hoc tit. in 5. compil.* Hos enim omnes modos ſuâ conſtitutione contineri voluit Leo, quam fauore ſolius Cõſtantinopolitanæ Eccleſiæ edidit, & *Nouella* Iuſtiniani *7.* & *120.* ad omnia pia & religioſa loca traduxit, relata in *can. hoc ius.* 10. *q. 2.* Manumiſſio quoque inter alienationis ſpecies adnumeranda eſt, nec poteſt à quoquam fieri, niſi ab eo qui facultates quaſdam Eccleſiæ reliquerit, *cap. Conſenſus*, & *ſeq. hoc tit.* vel ſeruorum qui bene meriti ſunt, *can. ſi. quos. 12. q.* 2. Ità tamen vt hi liberti ſint, & obſequium Eccleſiæ præſtent, quæ ſemper manet patrona, & nunquam moritur, vt ait Concil. Toletan. IV. *can. 69.* Habuit antiquitus ſuos ſeruos Eccleſia, etiam temporibus D. Benedicti, vt videre licet in eius vita, maximè apud Adreualdum Floriacenſem *lib.* 1. *cap.* 25. Anonymum de miraculis eiuſdem, *lib.* 4. *cap.* 11. & Iuonem Carnotenſem, hoc triuium eſt. Ius illud vſque ad noſtra tempora peruenit; nam licèt ſeruitus illa durior exoleuerit, remanſit tamen ſpecies non exigua: ſunt enim hodiè in pleriſque Eccleſijs Galliæ homines ad exemplum colonorum adſcriptitiorũ, qui fundis Eccleſiæ ità ſunt addicti, vt in plenam libertatem proclamare non poſſint, liberi quidem viuant, ſed moriantur ſerui, nec de bonis ſuis diſponere queant, ſicut Latini ex l. Iunia Norbana, *l. vnicâ. C. de Latina libert. toll.* & hos vocant conſuetudines Campaniæ, Aquitaniæ, Britanniæ, *Quæſtales*, hos etiam mancipia ruſtica, & quidem inalienabilia vocat Iuſtinian. *Nouel.* 7. Denique alienationis verbo continentur omnes actus per quos non tantùm dominium transfertur, ſed etiam contrahitur aliqua obligatio, vel aliquatenus onus imponitur, vt notatum eſt in *l. 1. C. de fund. dotal.* & in *tit. de alienat. feudi pater.* Hæc alienatio conſtitutionibus Leonis & Iuſtiniani omnino prohibetur, conſentientibus, vel non conſentientibus clero & Epiſcopo; abrogatâ Anaſtaſij conſtitutione, quæ cum decreto id permittebat; niſi in caſu neceſſitatis, & non in perpetuum, cùm rerum Eccleſiæ domini non ſint, ſed tantùm adminiſtratores, *can. expedit 12. q. 1.* Neceſſitas intelligitur pro debitis Eccleſiæ ſoluendis, *cap.* 1. *de pignoribus*, causâ pietatis, pro redemptione captiuorum, alimentis pauperum, & Eccleſiarum reparationibus, *can. Aurum. 12. q. 2.* & ob periculum damni imminentis, *can. Terrulas.* 12. *q. 2. l. fin. C. quando decreto opus non eſt.* His & ſimilibus caſibus exceptis, alienantes duplici pœnâ mulctantur, anathemate, & reſtitutionis onere, *cap. Si quis. hoc tit.* & Eccleſia habet beneficium repetitionis, *cap. ad noſtram. hoc tit.* Imò tam accuratè hoc ius ſeruatur, vt commutatio rerum Eccleſiæ vnius in aliam vix fieri poſſit,



Digitized by Google

*cap. 1.* nec Eccleſiæ quæ à regularibus gubernantur, in ius & vſum laicorum poſſunt conuerti, *cap. poſſeſsiones. hoc tit.* Quod mirum videri debet in eo cap. clericos & laicos aſſimilari, ſed hæc non eſt mens Innocentij III. imò potiùs ne ſtatus Eccleſiæ immutetur, *cap. ad hæc. de religioſ. domib. cap. Quod Dei. de ſtatu monach.* nam etiam è conuerſo Eccleſiæ ſeculares, monachorum adminiſtrationi tradi non poſſunt, niſi cùm cauſæ cognitione, licèt cauſa videatur fauorabilior, *cap. Ad audientiam. de Eccleſijs ædif.* quandiu enim Eccleſia regi poteſt ſecundùm primæuam inſtitutionem, nihil eſt immutandum, ſed tunc cùm defectus aliquis eſt vel perſonarum, vel rerum, *cap. Relatum. Ne clerici, vel monach.* Et ſic intelligendum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 10.* Hic porrò titulus non eſt de rebus Eccleſiaſticis, & merè ſpiritualibus capiendus, imò & de religioſis, & ijs quæ annexa ſpiritualibus ſunt, vt eſt ius patronatus, *cap. Quanto. de iudicijs,* vt ſunt mortuaria, *cap. fin.* legata quæ pro animarum ſalute ſunt relicta, præſtimonia, & ſimilia.

## *DE PRECARIIS,*

### TIT. XIV.

DE alienationibus in genere dictum eſt; hoc verò, & ſequẽtibus de ſingulis alienationum modis; & primum de Precarijs. Quæ quidem precaria aliud ſunt, quàm Precarium; ſiquidem Precarium, de quo vel minimùm hoc iure agitur, eſt quædam donationis ſpecies, ſeu potiùs patientia, quâ quis rem ſuam vtendam fruendam concedit, cuius reuocatio pendet ex mero arbitrio concedentis, nullis terminis concluſa, ſed cum libuerit, ad differentiam commodati, & donationis in *l. 1.* & *2. de precario*, & *cap. fin hoc tit.* Precaria verò naturam longè diſſimilem habet, quæ non poteſt ad nutum reuocari, ſed ſapit naturam emphyteuſeos, vel libellariæ, & eſt propriè ceſſio vſusfructus, *ἐπ' ἀντιδώρῳ* in remunerationem facta ei, qui bona ſua donauit Eccleſiæ. Quæ ceſſio fieri ſolebat tam clericis, quàm laicis ad certum tempus, vel ad vitam, *cap. 5.* Concil. Tolet. VI. cedẽtes enim bonis ſuis in fauorem & vtilitatem Eccleſiæ rogabant, & preces emittebant, vt eis vti frui liceret quandiu viuerent ſub aliquo annuo cenſu & penſione quotannis exſoluenda, vt eſt in legibus Alamannorum *tit. 2.* & in formula precariæ ſecundùm legem Romanam, vel luſtris ſingulis, vt in *cap. 1. hoc tit.* quod quinquennij

Digitized by Google

tempus erat olim frequentius, vt ſcribit Siculus Flaccus, adeò vt ſi quis locaret feudum in plures annos, non intelligeretur locaſſe in plures quàm quinque, *l. Si in lege. locati.* & in formula *5. lib.* 2. apud Marculphum, & in formulis incerti Auctoris quas edi curauit Bignonius, *cap. 41. vt aliæ precariæ*, inquit, *de quinquennio in quinquennium renouentur, iſtam non ſit neceſſe renouandi.* Aliquando cenſus aliquis pro renouatione perſoluebatur, quem *Nouel.* Leonis 13. εἰσδεκτικὸν vocat; quia ſi cenſus non exigeretur, periculum erat ne longo ſilentio ab Eccleſiæ ditione poſſeſſiones ſubtraherentur. Flodoardus *lib. 3. Cupiens*, inquit, *euadere periculum ne ſilentio ſuo cenſus ipſe depereat, & villa in alodem vertatur.* Aliquando nullus perſoluebatur cenſus, ſed tantùm ſub conditione melioris culturæ, & *ad beneficium vſufructuario ordine excolendũ*, vt loquuntur formulæ, tenere permittebatur; quod videre licet apud eundem Flodoardum *lib. 2. cap. 1.* vbi Suauegotta regina partem villę donatam Eccleſiæ Rhemenſi impetrat à Mapinio præſule, vt precariæ nomine Tendechildis filia ſua poſſideat. Et licèt precariarum natura circa res immobiles verſetur, tamen & in pecunia numerata locum habuiſſe conſtat, ex Concil. Leptinenſi ſub Zacharia I. & ex Concil. Ratisbonenſi ſub eodem Zacharia, in quo Carolomannus in belli ſubſidium pecuniam Eccleſialem precariæ titulo ſub annuo cenſu accipit; licèt enim eſſet mutuum, tamen benigniori nomine precaria dicebatur. Apud Iuriſconſultos dicitur *præſtitum*, à verbo, *præſtare* quod eſt commodare, quod vocabulum licèt barbarum in ea ſignificatione retinuit Tribonianus, & poſuit in *l. vlt. C. quod cum eo*; eo etiam vſus eſt Optatus Mileuit. *lib. 3. ne conuenirentur*, ait, *pro præſtitis ſuis*, & Gregorius *lib. 2. epiſt.* 10. & Marculphus *lib. 2. preſtus equorum* vocitat. Sed vt precarium apud Iuriſconſultos, maximè differt à precarijs iſtis, ſeu precaturijs, ſic enim dicebantur etiam in formulis, & in ſynodo Epaunenſi *cap.* 18. ità & hoc præſtitum, ſiue mutuum à præſtaria. Propriè Precaria erat libellus, quo quis poſt donationem à ſe factam vſumfructum petebat: Præſtaria verò erat charta, ſeu inſtrumentum quo poſſeſſiones illæ vel ſub cenſu annuo, vel à quinquennio in quinquennium renouandæ tradebantur: ſatìs fidem facit propria præſtariæ formula apud Marculphum *lib. 2. cap. 40*. Præſtare poſſeſſionem, eſt tradere in Capitular. Caroli Calui *cap. 20.* in Sparnaco, & in *l.* 8. & *33. Locati.* reddere vel remittere ſignificat. Has autem precarias, ſeu præſtarias non multùm antiquas eſſe conſtat, cùm mentio nulla earum reperiatur ante Concilium Beluacenſe; cui Ludouicus Imp. interfuit, *cap.* 13. in *can. precariæ.* 10. *q. 2.* Nam quod in *cap. 2. hoc tit.* & *can. de precarijs* ex Con-

cil. Carthagiu. à Palea refertur, nugæ ſunt & paleæ, nulla enim mentio de his in eo, ſed eſt conſtitutio Lotharij, quæ refertur in legibus Longobard. *tit. 8. lib. 3.* Quomodocunque ſit, precariæ illæ, ſeu poſſeſſiones precariò datæ reuocabantur, & renouabantur, vt & conſtitutiones Caroli M. ſtrictè imperant, & ſi temerè conceſſæ fuerant ab anteceſſoribus, nîl oberat, quin poſſent facilè reuocari, vt ait *d. cap. 2.* eodem ferè ſenſu, quo Flodoardus in hiſtoria Remenſi; *Recepit,* inquit, *villas Eccleſiæ, quas anteceſſor ſuus per precarias, ſeu præſtarias conceſſerat.* Anteceſſor, vt hoc obiter moneam, eſt prædeceſſor apud eundem Flodoard. *lib. 3. hiſt. Rem. quoniã ſui anteceſſores hoc facere non ſunt auſi.* V. Meurſ. in Lexico: Græci πρεπάτωρες vocant, Mauricius *lib. 11. cap. 12. V. l. 1. C. de ſentent. & interlocut.* Et quia ſinè ratione & modo concedebantur precariæ, tandem euanuerũt: id enixè poſtulauit Iuo à Paſchali II. in *epiſt. 271.* & in Martyrol. Eccleſiæ Carnotenſis, tandémque obtinuiſſe, & ad effectum perduxiſſe refert: *minoratas,* inquit, *omnes huius Eccleſiæ & precarias in cõmunes redegit vſus. Minoratas* vocat res & poſſeſſiones Eccleſiarum ab alijs detentas & diminutas, Carolus M. *lib. 7. cap. 104. Quòd honores ſacerdotum, & res Eccleſiarum auferre, vel minorare noluiſſemus.* Minorare idem eſt, quod minuere, *can. Tota. 12. q. 2. can. Quicunque. 12. q. 4.* Gregorius III. *epiſt. 124.* quæ eſt inter Epiſtolas Bonifacij: hinc & minutiæ poſſeſſionum in *cap. ex literis, inf. de pignoribus.* abuſus enim ille percrebuerat, vt vniuerſæ poſſeſſiones Eccleſiæ harum precariarum nomine tum à clericis, cùm à laicis detinerentur, ſinè vllo fructu & prouentu, quo Eccleſiæ fruerentur, vt idem Iuo demonſtrat.

## *DE COMMODATO,*

### Tit. XV.

Recte poſt titulum de precario, agendum de commodato: quia vterque contractus gratuitus eſt, & fit ex mera liberalitate concedentis, voluntatis enim & officij magis eſt, quàm neceſſitatis, *l. in commodato. ff. Commodat.* & vterque propriè fit de rebus immobilibus, vel quæ vſu non conſumuntur, quamuis impropriè & de pecunia, vt apud Plautum *in Aſinaria,* & de aqua apud eundem *in Rudente,* & in *l. 3. §. fin. ff. Commodati.* Sed in eo differentia eſt, quòd precarium eſt & ab initio, & ex poſtfacto liberum; non item commodatum, cuius conditio expleri debet quæ initio conſtituta fuit; omnes enim contractus ab ini-

tio ſunt voluntarij; teſte Ariſtotele *5. Ethicorum*, ſolum precariū ſemper. Commodato geritur negotium inter dantem & recipientem, & quod initio ex nutu & arbitrio pendebat, conuertitur in mutuas præſtationes, actionéſque ciuiles; ideò ante vſum non reuocatur, *cap. 2. in fine. hoc tit.* oportet enim nos iuuari, non decipi, *l. Quod ob gratiam. de reg. iur.* hoc ius eſt in gratiam recipientis, quia & è contrario ob beneficium tenetur de dolo & lata culpa: in his enim quæ gratiâ fiunt accipientis, præter dolum & latam culpam, ſolet leuis, ac leuiſſima culpa reputari, *l. Si vt certo. ff. eod.* non tamen caſus fortuitus, niſi culpa acciderit; tunc enim ei imputatur, *l. 1. C. eod.* vt ſi in alios vſus conuerterit, quàm quibus res data erat, *l. Eum qui. ff. eod.* vel ſi pactum interuenerit, conuentiones legem faciunt, *cap. Contractus. de reg. iuris in 6.* pactum tamen vt dolus non præſtetur, non valet, quia deſtruit bonā fidem, *l. In commodato. ff. eod.* & ſi moram fecerit commodatarius, *cap. Mora. eod. l. in rebus. ff. eod.* Quæ omnia & plura alia quæ adduci in hanc materiam poſſent, hauſit penitus Gregorius ex iure ciuili, ſecundùm tamen legem diuinam, *cap. 22. Exodi*, quod refertur *in cap.* 1. *&* *2. in* 1. *compil. hoc tit.* & de induſtria omiſſa ſunt à Raymundo, quòd non ſint ad amuſſim obſeruanda.

## *DE DEPOSITO.*

TIT. XVI.

DEPOSITVM ſimile eſt commodato & precario, niſi quòd depoſitum gratiâ tantū dantis fiat, *l.* 1. §. *penult. ff. eod.* & depoſitario nec vſus, nec abuſus conceditur, *l. Lucius. eod.* adeò vt ſi inuito, vel ignorante domino apud ſe depoſitum ſacculum, vel argentum quis contrectauerit, depoſiti & furti teneatur actione, vt eſt *in cap. 232. lib. 7.* Capitular. & *cap.* 30. *lib.* 6. Congruit cum precario, quòd quandocumque voluerit deponens repetere poſſit, *l. 1. §. penult. l. ſi in Aſiā. ff. eod.* Differt ab vtroque, quòd propriè dicatur de pecunia, impropriè de alijs rebus, *can. ius naturale. diſt. 1.* quòd in eo nulla admittatur compenſatio, ſicut in alijs contractibus, ſi cauſa ſit liquida, *l. fin. C. eod.* vel liquere poſſit intrà duos menſes, *l. 1. l. aufertur. §. qui compenſationem, ff. de iure fiſci.* in hoc pręſtatur tantùm dolus, & lata culpa, μεγάλη ἀμέλεια, vt loquitur Balſ. *ad can. 92.* Synodi VI. non verò leuis: quæ omnia iudex ex qualitate perſonarum & rerum debet arbitrari, & expendere, *l. dolum. C. de*

Digitized by Google

*dolo. cap. 2. de renunciat. in 6.* contractus omnino eſt bonæ fidei, & quodammodo religioſus, quod religioni alterius & fidei committatur: Iuuenal. Satyrâ 13.

*------ Sacrum quod non reddat amicus*
*Depoſitum.*

Et eleganter Syneſius epiſt. 4. in naui conſtitutus naufragium imminens deploraſſe ſe ait, quòd Thrax ſuus hoſpes, pecuniâ depoſitâ ſi periret fraudaretur, qui eum etiam mortuum pudore ac rubore affeciſſet, εἰ Θρᾷξ ἀποστερήσοιτο χρημάτων ἕνεκεν ὅν ϛ ἀποθανὼν ἂν ᾐσχυνόμην. Aliquando & de leui & leuiſſima tenetur culpa depoſitarius, ſi ſeipſum depoſito obtulerit, *l. Si quis, & l. rogaſti. ff. ſi certum petatur*; *ſi ſe periculo depoſiti illigauerit*, vt loquitur Iulianus *in l. 1. §. Sæpe, eod.* vel ſi aliquid pro cuſtodia acceperit, *cap. 2. hoc tit.* tunc enim gratia vtriuſque verſatur, vel ſi culpa, vel mora interuenerit, *cap. Mora. de reg. iur. in 6.* hæc & alia adduci poſſent, quæ cùm omnino proficiſcantur ex iure ciuili, non ſunt vltra diſquirenda.

## DE EMPTIONE, ET VENDITIONE,

### Tit. XVII.

A Contractibus qui vnius maximè intuitu fiunt, ad eos qui vtriuſque commodum ſpectant veniendum eſt. In contractu emptionis, venditionis tria potiſſimùm requiruntur, conſenſus, res, & pretium: conſenſus quia, eſt iuris gentium; res, vt appareat quis ſit venditor; pretium, quis ſit emptor, *l. 1. ff. eod.* his enim diſtinguitur & dignoſcitur à contractu permutationis, ex ſententia Proculianorum contra Sabinianos, qui inter hos contractus diſcrimen non admittebant, ex Homeri auctoritate, *§. item pretium. hoc tit. apud Iuſtinian.* cuius ſententiæ ratio hæc erat, quia olim nummorum ſignatorum vſus penè incognitus erat, vt Euſtathius *in Homerum* refert; licèt Saturnum æs primùm ſignaſſe & imagine notaſſe dicatur apud Tertullianum *in Apologet.* & Ianum apud Macrobium *lib. 1. cap. 7.* ſupradicta Paulus confirmat *in l. 1. ff. de rerum permut.* & *in d. l. 1. eod.* ait enim electam eſſe materiam, cuius publica & perpetua æſtimatio, difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubueniret; publica erat ob formam, ſeu characterem publicum, vt fraudibus occurreretur: & hæc eſt natura huius contractus, vt nummos puros, probos, publicos ſoluat emptor, & eos faciat venditoris,

alioquin

Digitized by Google

alioquin ſubeſt in eum actio venditi, *l. ex empto. ff. de actionib. empt.* Sicutè contrario debet venditor merces de quibus actum eſt dare, ſeu potiùs vacuam poſſeſſionem, quam Accurſius aſininam vocat tradere, dummodo caueat quodammodo de euictione, & ſe ab omni dolo & fraude eximat, *d. l. ex empto.* vnde & alienam rem vendere licet, *l. Rem alienam. ff. de contrah. empt.* & licèt res emptori auferri poſſit, tamen euictione ei ſubuenitur, niſi emptor inſtitutum contra ſe iudicium venditori denuntiare neglexerit, vt eſt *in cap. fin. hoc tit.* fortiùs enim & accuratiùs rem venditam defendiſſet, vt pote magis de iure ſuo certus, *cap. Cùm quis. de reg. iur. in 6.* vel ſi pertinaciter venditor non comparuerit, aut vadimonium deſeruerit, *cap. 2. ſup. de dolo & contumacia, ſed per iniuriam,* vt Gregorius ait *in cap. fin. hoc tit.* quod totum deſumpſit ex *l. Emptor. C. de euictionib.* ex qua debuerat non ſimpliciter decerpſiſſe hæc verba, *per iniuriam,* ſed etiam cum verbo ſequenti *iudicis*; tunc enim iudex litem ſuam facit, & litis periculum ſubit, cùm dolo malo, vel imprudenter perperam iudicat, *l. 2. & 16. C. Theod. Quorum appellat. non recipiantur.* Sunt & alij caſus quibus euictio non præſtatur, quos hìc Gregorius recenſet: ſi emptor ſciuerit rem alienam, vel de euictione non cauerit, *l. ſi fundum. C. de euict.* ſi res perierit vitio ſuo, *l. Herennius. ff. eod.* denique alios quamplures, quos hìc recenſere ſuperuacaneum eſſet, & vltra metam laboris. Non ſolùm autem in euictionem venit reſtitutio pretij, ſed etiam quanti intereſt emptoris rem habuiſſe, *l. venditor. de euictionib.* ſicut etiam quandocunque ceſſante euictione deceptus fuerit in qualitate rei emptor; ſiquidem venditor ignorans vitium rei, tenetur actione quanti minoris, ſciens, quanti intereſt *l. 13. de actionib. empt. quæ pœna reticentiæ vocatur* apud M. Tullium *3. Offic.* & diſtinguitur à ſimplici mendacio ex quo venditor tenetur tantùm quanti minoris, *l. Si minor. C. de act. emp.* Aliæ ſunt cauſæ quibus ſubuenitur venditori, quæ non ratione rei, ſed pretij eueniunt, quando deceptus eſt vltra dimidiam iuſti pretij; tunc enim optionem habet vẽditor vel rem recuperandi, vel hyperocham, ſiue reſiduum æſtimationis accipiendi, *cap. Cùm dilecti, & cap. Cùm cauſa. hoc tit.* in quo quæſtio eſt de caſamentis vili pretio venditis, *Caſamenta* intelligit, vt & Iuo *epiſt. 105.* & *197.* domos ruſticas cum terris & agris dependentibus Gallicè, *ferme,* quibus etiam feuda intelliguntur apud Fulbert. *epiſt. 6.* vocantur etiam *caſa,* & *caſata*, apud Carolum M. *in Capitul.* vocabulum eſt barbarum, Latini, *coloniam*; Seneca *in præfatione declamationum*: *Infrà coloniam meam me continui.* Reliqua quæ in hoc tit. ſunt, non tam ob vtilitatem priuatorum proponuntur, quàm ob

D d

publicum exemplum, & vt fraudes detegantur; quamuis enim iure ciuili contrahentes ſe inuicem decipere poſſint, hoc tamen non ad fraudes alias, quàm quæ in æſtimatione concurrunt, extenditur. Puniunt leges ciuiles etiam cariùs vendentes, quàm edicta in foro permiſerint, vt de coëmptione Sitoniæ Græca conſtitutio habetur *in l. vlt. C. vt nemini liceat in coëmpt. C. lib.* 10. lege Iuliâ pæna viginti aureorum ſtatuitur *in l. 2. ad l. Iuliam, de annona*: pœna etiam *in cap.* 1. *hoc tit.* decernitur, quo cura presbyteris, id eſt Epiſcopis demandatur, ſicut & *in d. conſtit. Græca*, & *in l.* 1. *C. de epiſc. audiēt.* His artibus vtentes à Plinio, *annonam flagellare* dicuntur, ab Vlpiano, *vexare*, & *onerare, in l. annonam, de extraord. criminib.* à Varrone, *incendere*, & *excandeſacere*, à Lampridio, *vaſtare*. Similiter damnantur & puniuntur qui falſis ponderibus & menſuris vtuntur *in cap. 2. hoc tit.* quod ius ſumptum eſt ex lege diuina, *cap. 25. Deuteron.* & tenentur lege Corneliâ de falſis, *d. l. annonam.* Hi homines à Græcis σιτοκαπήλοι & τιμοκαπήλαι, καὶ θαλαντωκλέπται dicuntur. Talis fuit Barſpames legionum præfectus ſub Iuſtiniano, trapezita callidus, & adeò ſolers, vt cum eo contrahentes celeritate digitorum deciperet, vt narrat Suidas. Tam ob pondera quàm menſuras iniuſtas pœna quoque ſtatuitur *in cap. 2. hoc tit.* & *cap. 1. infrà. ne clerici vel monachi. ob pondera doloſa*, vt loquitur *can. non adferamus. 24. q.* 1. & Michæas propheta *cap. 6.* exemplo Hebræorum qui pondus iniuſtum vocabant *lapidem doli*, eò quòd pondera erant ex lapidibus, vnde dicebant *Satzal*, lapidare, deducentes à *Scatzal* quod eſt ponderare. Iudæi in his artibus maximè excelluerunt: vnde Amos Propheta *cap. 8.* ait eos, *minuere epham*, id eſt menſurâ minutâ, ſeu macilentâ vendere ſolitos.

## *DE LOCATO, ET CONDVCTO,*

### TIT. XVIII.

LOCATIO, conductio, quaſi emptio eſt; & locator, conductor, emptor & redemptor dicitur apud Feſtũ: emptionis enim verbum promiſcuum fuit, *l. veteres. ff. locati*, ideò ſuperiori tit. hic rectè connectitur. Eſt autem locatio, cõuentio nuda fruendi vel vtendi ſub certa mercede; vnde res quæ vſu conſumuntur non veniunt in hunc contractum. Merces eſt vel pretium, vel penſio, vel reditus, vel vectigal, ſiue ἐνοίκιον, quod ſingulis annis, vel de quinquennio in quinquennium, vel alijs termi-

nis prout conuentum eſt ſolet præſtari, *l. Si in lege. ff. locati*: Ouidius de Ponto,

*Nunc longi reditus haſtæ ſupponere luſtri*
*Cernet, & exactâ cuncta locare fide.*

Et hoc quidem genus locationis ἔκδοσις apud Balſam. *can. 12. ſyn. ſeptima* conceſſum & permiſſum eſt hoc iure; nec enim alienationis verbo continetur ſola locatio, quæ fit in perpetuum, id eſt vltra decem annos, vel vt eſt in *Nouella* Iuſtin. 120. vltra 30. annos; tunc enim venditio eſt, teſte Hygeno *lib. 2. de limitib. conſtit.* & dicitur alienatio, vt notat Gloſſ. *in cap. vnico. Clement. de reb. Eccleſiæ alienand.* Iuſta ſanè & æqua debet eſſe merces, nam qui res Eccleſiæ vili pretio locaret, nihil ageret, velut ſi vno nummo; tunc enim fieret precarium, *l. ſi quis. 10. de acquir. poſſeſ. l. Si quis. 49. ff. locati*: *quis enim dubitat quòd ſub viliſſima duorum denarionum penſione perpetuò concedatur vtendum, alienatum in fraudem eſſe*, vt dicit *cap. 9. lib. 2.* Feudorum: hoc ſemper intenditur, vt ſi non melior, ſaltem deterior non fiat conditio Eccleſiæ, & ſupplendum eſt ex antiqua compil. *in cap. 2. hoc tit.* in quo locatio, ſeu datio ad firmam, firmatio, vt alij dicunt, decimarum rectè contrahitur cum his qui meliorem faciunt conditionem. *Firma* vocabulum ſumpſit originem ex conſtit. Zenonis *in l. 34. hoc tit.* quâ intrà annum licebat reſilire à contractu & expellere conductorem; ſed quia fides firma dabatur non recedendi, locatio dicta eſt *firma, cap. vlt. inf. ne prælati vices ſuas*; vel, vt alij volunt, à mercede certa & firma quæ promittebatur, contractus dictus eſt *firma*; ſicùt & *fixum*, ſeu *infixum*, & *fictum*, ſeu *infictum* & *affictum, in cap. fin. de reſtitut. ſpoliat.* vulgari Italorum vocabulo *fictare, infictare*, & *affictare*, quod eſt locare: *fictum* etiam, ſeu *affictum* ſumitur pro ipſa penſione, ſeu mercede, ſicut *habitatio* ſumitur pro mercede habitationis, ſiue pro penſione quæ pendi ſolet apud Sueton. in Iulio; Græcis τὸ ἐνοίκιον, ſignificat propriè penſionem habitationis, apud Iulium Poll. *lib. 1. cap. 8.* & σεγονόμιον apud Iuſtinianum, Nouel. 43. *c. 3.* 88. *c.* 2. & 120. & Conſtant. Harmenop. *lib. 3. tit. 8.* hâc penſione ſolutâ nihil iuris in re habet locator, *l. Quæro. §. inter. ff. locati,* Ouid.

*Omnia conductor ſoluit, mercede ſolutâ*
*Non erit officio debitor ille tuo.*

Quatuor tantùm caſibus expelli poſſe conductorem adijcit ex iure ciuili ante tempus conductionis expletum, *cap. propter. hoc tit.* quorum vnus eſt, ſi non ſoluerit canonem, ſeu penſionem per biennium, *l. Julianus. §. offerri. de act. empt. cap. vlt. hoc tit.* Secundus, ſi ma-



Digitized by Google

litioſè & peruersè verſatus fuerit, *l. Æde. C. de locato.* tertius, ſi domus indiget refectione, *l. ſi duo.* §. *hoc interdictum. ff. vti poſſidet.* Quartus ſi in domo velit habitare, *d. l. ade*: vel aliqua neceſſitas interueniat, quæ præuiſa non fuerat, cauſa illa eſt reciproca, & vtrique tam locatori, quàm conductori fauet, *d. l. ſi in lege.* §. *ſi domus. ff. locati* Aliquando cõtractùs non eſt reciprocus, vt cùm ſterilitas aliqua, vel caſus acciderit, propter quæ ſolet remitti penſio, ſed non infringi contractus, niſi compenſetur illa ſterilitas cum vbertate præcedentis anni, *d. cap. Propter.* Sterilitas autem eſt exempli gratiâ, *lues tempeſtatis*, vt loquitur Imp. *in l. licet. C. eod.* quæ eſt grando, edacitas quoque gracculorum, & locuſtarum, quam Plinius *lib. 11. cap. 19.* vocat *iram deorum*, θεῶ βίαν, & Cic. *3. de Nat. Deorum*: *Vredo*, inquit, *aut grando ſi quippiam nocuit, id Ioui animaduertendum fuit.* His & ſimilibus caſibus exceptis, ſtandum eſt contractui; adeò vt nec conductor, ſeu inquilinus expelli, nec locator expellere poſſit, *cap. 1. hoc tit.* in quo vetat Clemens III. ne ante finitum tempus locationis, alij ædes, vel cœnacula conducant; quæ conſtitutio licèt iure ſubnixa, tamen ſub pœna excommunicationis de nouo refigitur in gratiam Vniuerſitatis ciuitatis Bononienſis; ne ſi fas eſſet hoſpitia præuiâ quâdam pactione in anteceſſum conducere, lites & contentiones orirentur inter ſcholaſticos: id verendum erat propter magnos ſtudioſorum concurſus, qui in eam celebrem Academiam cõfluebant, quæ olim fundata fuit à Theodoſio, qui & ciuitatem ipſam dirutam iuſſu S. Ambroſij reſtaurauit, vt narrat Volaterranus, & refertur in vita ipſius. Tanta erat multitudo ſtudentium, vt non niſi ſummo pretio ædes conducerentur, ſicut Romæ aliquando refert Sueton. *loco citato*; *annuam etiam habitationem vſque ad bina millia nummûm*: hoc erat in ſumma rerum perturbatione propter Cæſaris abſentiam; Harpocration 12. drachmas pendi ſolitas ait, quas in ærarium inferebant μέτοικοι ἀνὰ δραχμὰς δύο καὶ δέκα τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰς τὸ δημόσιον ἐτέλουν, inquilini vocabantur μέτοικοι & merces μετοίκιον apud Dionem Caſſ. Ius autem edendæ conſtitutionis huius non ſolùm Epiſcopo Bononienſi, vtpotè ſtudiorum principi & moderatori competebat; ſed etiam legato Pontificio, quòd Bononia ſub ditione eſſet ſummorum Pontificum, vt videre licet apud Baronium.

Digitized by Google

## *DE RERVM PERMVTATIONE,*

### Tit. XIX.

PERMVTATIONEM rerum Eccleſiaſticarum ſub titulo & nomine alienationis contineri iam ſatis dictum, adeò vt illicitè factam reſcindi debere conſtitutum ſit, *cap. 7. hoc tit.* illicitè, ſcilicet cum facto proprio, non attento conſenſu, Epiſcopi, vel eius qui habet ius inſtitutionis, *cap. Ex frequentibus, ſuprà, de inſtitut.* Aliquando non Epiſcopi ſolùm, ſed regis auctoritas fuit quæſita, vt apud Burch. *lib. 3. cap. 172.* Flodoardum *hiſt. Rhem. lib. 2. cap.* 19. qui conſenſus vocabatur *præceptum concambij* in Traditionibus Fuldenſibus, & apud Marculphum: rationem non aliam quærere debemus, niſi quòd Reges patroni & largitores bonorum Eccleſiæ fuerunt, quorum intereſt dotes Eccleſiæ ſaluas manere. Interuenientibus verò neceſſarijs ſolennitatibus ſinè dubio permutationes valebunt, *can. precariæ. 12. q. 2.* vt ſi res ſpiritalis cum ſpiritali, temporalis cum temporali commutetur, *can. Nemini. 16. q. 7.* adeò vt ſi inæqualitas pretij interueniat, poſſit pretio quod minus eſt ſuppleri, *cap. ad quæſtiones. hoc tit.* dummodò pecunia rerum ſpiritalium compenſatione non erogetur, *cap. fin. hoc tit.* quod ius & ad omnia beneficia detortum eſt, quorum permutationes licitæ ſunt, & fiunt, compenſatis & ad æqualitatem redactis fructibus, refusâ etiam hinc & inde pecuniâ, quaſi ſcilicet non ratione tituli & Eccleſiæ, ſed redituum, qui merè temporales & profani ſunt interueniat pretium, quod an ſapiat ſimoniam videant qui his artibus negotiantur. Certum eſt pretium non tam efficere permutationem, quàm emptionis contractum, vt *tit. de emptione* diximus; ideò vt eluatur ſimoniæ labes, duo ſeparatim fiunt permutationis contractus, vnus ratione ſpiritalium; nullâ inæqualitatis habitâ ratione; alter ratione poſſeſſionum & fructuum in quo æqualitas admittitur, *d. cap. Ad quæſtiones. hoc tit.* quo velo tegitur ſimonia. Si ſpiritalis pro temporali poſſeſſione detur, ſinè dubio ſimonia eſt, *cap. Querelam. de ſimonia.* vna tantùm exceptio proponitur in *cap. 1. hoc tit.* ſi permutatio rerum Eccleſiæ fiat cum rebus Imperatoris, vel Reip. ita enim permutationem factam inter Richardum Angliæ regem, & Vualterum Archiepiſcopum Rhotomagen, videmus apud Innocent. III. *lib. 1. epiſt.* & in ſynodo Siluanectenſi, principi commutationes cum Eccleſia facere licet: quod ius ſumptum eſt ex Nouella



Digitized by Google

Iuſtiniani 7. & *120.* hâc adiectâ cautelâ, vt Imperator non poſſit acceptam rem Eccleſiæ in alium deinde transferre, ne videatur ſequeſter & procurator illicitæ venditionis, *Nouel. 55.* anteà non licebat agros, vel alia bona in principem quouis titulo transferre, *can. 12. Syn. VII. Conſtantinop.* Eſt & aliud permutationis genus, de quo vel minimùm in hoc tit. permutatio ſcilicet illa, quæ ſtatum & conditionem rei vertit & turbat, mutat & imminuit, vt ſi dignitas ſuo ſplendore priuetur, & in perſonatum conuertatur; tunc enim permutari dicitur in *cap. Ex parte, ſuprà, de conſtitutionib.* Diuiſio quoque præbendarum eſt permutatio, ſeu ſtatus mutatio, *can. lege. d.* 10. ideóque prohibetur in *can. præcipimus. 16. q.* 1. Tranſlatio quoque Epiſcoporum & prælatorum mutatio eſt, *can. mutationes. 7. q. 1.* nam, vt ait Feſtus, permutari propriè dicitur, quod ex vno loco in alium transfertur, cùm aliud pro alio ſubſtituitur. Vnio quoque beneficiorum, eſt permutatio, illicita niſi accedente conſenſu & auctoritate Epiſcopi, vel ſummi Pontificis *d. can. Mutationes. can. & temporis.* 16. *q. 1.* in quo ob neceſſitatem fit vnio Cumanæ Eccleſiæ cum Muſitana (vbi non eſt legendum Muſitanam, ſed Miſenatem, vt eſt apud Gregorium *epiſt. 31. lib. 2.*) Fit etiam permutatio, cùm Eccleſia de loco ſuo in alium transfertur, *can. Nemini,* & *can. Si quis.* 16. *q. 7.* Porrò hic titulus conceptus eſt de rerum permutatione, rei nomen multa complectitur, & primùm quidem res tam corporales quàm incorporales, *l.* 1. *de rerum diuiſion.* res corporales hoc iure intelliguntur tam mobiles quàm immobiles, vt ſunt patrimonia, & poſſeſſiones Eccleſiæ, vaſa, ornamenta, *τὰ ἱερὰ κειμήλια*, & aliæ quæ reculæ, reſculæ, ſiue reiculæ vocitantur in Capitularib. *cap. 192. lib. 7.* & apud Iuonem *epiſt. 91.* Incorporeæ res ſunt iura, tituli Eccleſiarum, beneficia, patronatus, dignitates, ſtatus & conditio, quæ dicitur etiam res apud Virgilium, 6. Æneid.

*Hic rem Romanam multo turbante tumultu*
*Siſtet eques.*

## *DE FEVDIS.*

### TIT. XX.

CVM de modis alienationum actum ſit, de feudo iure agendum, quod eſt ſpecies alienationis; conceſſio enim in feudum facta reuocari non poteſt, *cap. penult. ſuprà, de reb. Eccleſiæ al.* Nec ſolùm res Eccleſiæ in feudum dari poſſunt, ſed in feudum datæ reuocantur, *cap. vlt. eod.* Quid autem ſit feudum,

Digitized by Google

princeps Iuriſconſultorum latè docuit; ſed non eſt prætermittendum, originem ſumpſiſſe primis temporibus, quibus Romani victrices aquilas vbique gentium prætulerunt; agri enim capti ex hoſtibus diuidebantur per centurias & aſſignabantur militibus, vt refert Hygenus, *lib. de limitib. agr.* & Siculus Flaccus *lib. de conditionib. agr.* qui agri, quia ex beneficentia & liberalitate principis accipiebantur, dicebantur beneficia: & commentarij in quos agrorum forma, diuiſiones, & fines referebantur, libri beneficiorum, qui olim lintei erant apud eundem Hygenum *lib. 1.* milites quoque vocabantur beneficiarij. Inde Tertullian. aduersùs Hermogenem ait, *tribus modis aliena ſumi, iure, beneficio, impetu.* Agri eâ conditione dabantur, vt eos poſſiderent, colerent, tuerentur, *l. vlt.* §. *pro limitaneis. C. de off. præf. Africæ.* & principi fidē, & militiæ munus, aut aliud ſeruitium exhiberent, vt videre licet apud Lamprid. in *Alexandro,* & Vopiſcum in *Probo: Veteranis,* inquit, *Iſauriæ loca donauit, addēs, vt eorū filij ab anno octauodecimo, mares dumtaxat, ad militiā mitterentur:* & ſic liberalitates illæ dici cœperunt beneficia; nondū verò feuda, ſed munera regia dicebantur, apud Marculphum *lib. 1. cap.* 12. & beneficia regalia in Capitularib. *lib. 1. cap.* 132. quæ quidem primis temporibus, vt plurimum vitâ accipientium finiebantur, *cap. Ex parte. 2. hoc tit.* & ſatìs liquet ex *tit.* 48. *lib. 2. Feud. Si quis,* inquit, *eâ lege dederit, vt ipſe, & ſui heredes habeant, non eſſe propriè feudum:* propria natura feudi erat inſtar precariarum, ſed tandem effectum, vt talis conceſſio iure feudi cenſeretur, vt ibi nominatim dicitur. Ideò ſæpiùs in beneficiorum conſtitutionibus clauſula perpetuæ donationi adhibebatur apud Marculph. *lib. 1. cap.* 17. primùm enim effectum eſt, vt ad libitum non poſſet auferri, niſi poſt annum, poſteà ad vitam, ſubinde ad filios, tum ex lege Conradi ad nepotes, fratres, & patrueles tranſiret *tit.* 1. §. *& quia vidimus. lib.* 1. *feud.* Irrepente cum ſeculis barbarie beneficia dici cœperunt feuda, quaſi *leuda*; leudum enim ſignificat fidelitatē apud Saxones, & *leudes* fideles apud Greg. Tur. & Ammoniū *lib. 3. cap.* 80. & 91. eâdem ratione; *Vaſſos,* Saxones dicunt *laſſos,* vt probat Pithœus in *Gloſſario Capitularium,* in verbo, *Vuaſsi,* & Nithardus *hiſt. lib.* 4. de Saxonib. loquens: *Sunt qui Laſsi illorum linguâ dicuntur,* hi pro varietate dialectorum *laiti, lidi, liti,* & *litones* vocitantur. Feudum igitur idem fuiſſe cum beneficio nemo negare poteſt; id ſatìs teſtatur Radeuicus *lib. 1. cap.* 22. Cùm enim Hadrianus pōtifex Friderico Ænobarbo ſe multa beneficia contuliſſe exprobraſſet, excuſat ſe beneficium eo ſenſu non accepiſſe pro feudo, ſed pro bono facto: dici pariter cœperunt beneficiarij, leudes, feudatarij, vaſſi, vaſſalli, & *antruſtiones,*

Digitized by Google

id eſt fideles à vocabulo *truſtis* dicta fidelitas in legib. Salicis apud Marculphum *lib. 1. cap. 18.* & alibi. Exemplo regum & imperatorum beneficia fieri & dari cœperunt ab Eccleſia, & qui accipiebant leudes, beneficiarij, & feudatarij erant Eccleſiæ, vt ſatis cõſtat ex Capitularibus Caroli M. & legibus Alamannorum homines, vulgò dicebantur, Fulbert. *epiſt. 14. Noſtris hominibus nouam engariam induxit.* Non quidem apertè licuit res Eccleſiæ in feudum dare; nam & rerum quarum alienatio prohibetur, nec feudi conſtitutio poteſt valere, *tit.* 3. §. 1. *lib.* 3. *feud.* vnde & ſi Epiſcopus, vel quiuis alius res Eccleſiæ in feudum dederit, titulus ille, ſeu conſtitutio nullum habet vigorem, vt eſt in *tit.* 6. *Epiſcopum vel Abbatem*, &c. *lib.* 1. *feud.* hæc autem feuda, quæ ſecum trahunt fidelitatis & obedientiæ iuramentum, quod noſtri *homagium, hominium, hominiſcum* dixerunt, nunquam contemplatione perſonarum, ſed rerum & poſſeſſionum detentione introducta fuerunt, ideóque in eiuſmodi feudis quis ſit detentor, ſiue laicus, ſiue clericus non inſpicitur. Principes, Duces, & alij rectè Eccleſijs quæ ius dominij habent, obſequium præſtant; ſicut è conuerſo Eccleſiaſtici regibus & principibus: & ſumma illa contentio inueſtiturarum in Epiſcopatibus, quas reges ſibi vindicabant res & poſſeſſiones Eccleſiæ reſpiciebat, quarum occaſione ſibi plenam diſpoſitionem & collationem arrogabant, vt diſertè ſcribit Iuo Carnot. *epiſt.* 63. cùm tamen nimis hoc arduum, imò & periculoſum eſſet; quod & ideò reprobarunt Gregorius VII. in *Synodo Rom.* in *can. Siquis deinceps & ſequentib.* 16. *q.* 7. & Vrbanus II. in *Concilio Claromontenſi*, vt legitur apud Vuillelmum Malmesburien. *lib. 4. cap. 2. in vita Vuillelmi II.* prætextu enim rerum temporalium, ius ſacrum & ſpiritatale ſibi vindicabant, beneuolentiâ ſæpè ſummorum Pontificum, qui primis temporibus cùm propter acerbos Eccleſiæ hoſtes caput erigere non poſſent, id ius principibus deferebant; tum quòd etiam principes electionibus ità præerant, vt omnis diſpoſitio Epiſcopatuum & prælaturarum penès eos eſſet, *can. Reatina*, & *ſequentib. diſt.* 63. vnde Iuo ſui temporis calamitates videns, grauiter arguit dictorum Pontificum conſtantiam in damnandis inueſtituris, quæ manu regum fiebant, non quòd improbaret eorum querelam, ſed quòd huic morbo mederi eos non poſſe videret, ideò æquius putabat & tutius ſi ſiluiſſent; *Iſtarum*, inquit, *inſtitutionum tranſgreſſiones aut diſtrictiùs eſſent, aut interim ſilentio premendæ.* Et ſanè in hoc impietatis genus deducebant inueſtituræ Eccleſiarum, vt inueſtiti nullo alio conſecrationis beneficio opus habere crederent, quod ſchiſmaticum iudicat Iuo *epiſt.* 233. & hæreticum, *epiſt.* 237. inueſtitura enim cùm ſit ſacramentum & ſacrum ſignum non potuit

tuit niſi ab Eccleſia ſacramentorū matre impertiri. Horum Pontificum temporibus euaneſcere cœperunt abuſus illi, reſeruato tamen iure principibus quod eis ratione poſſeſſionum competere debuit, *cap. Nimis. ſup. de iureiur.* Fulbert. *epiſt.* 14. ad Principem Normannorum: *Multa bona feciſtis Eccleſiæ S. Mariæ, nos quoque pro illis animæ veſtræ, corporique veſtro fideles ſumus*, vnde & hodiè fidelitatis iuramentum ante conſecrationem Regi Galliæ præſtant noſtri Epiſcopi, reſeruato etiam fidelitatis & obedientiæ iuramento Summo Pontifici, ratione ſpiritualis adminiſtrationis *cap. 2. ſup. de iureiur. cap. Antiqua. infrà, de priuilegiis.* Soli Pontifices qui munus conſecrationis accipiunt, fidelitatem vouent ſummo Pontifici, pro fide, pro obedientia, pro vnitate, *cap. Significaſti. ſup. de elect.* ceteri clerici & presbyteri obedientiam, in *cap. Quod ſuper. de maiorit. & obedient.* & ſic eſt intelligenda regula illa Lucij III. in *cap. vlt. de reg. iur.* ſumpta ex *cap. 2.* in *2. compil.* à conſuetudine Eccleſiæ eſſe alienum pro ſpiritalibus facere homagium, quod & Alexander III. in *cap. Ex diligenti. infrà, de ſimonia* damnat. Fiebat autem hoc iuramentum tam fidelitatis, quàm obedientiæ datâ dexterâ, apud Iuonem *epiſt.* 90. & 182. quæ & apud antiquos erat fidei ſedes, vt refert Xenophon, & Tacitus *2. Annal.* vel etiam manu poſitâ ſuper altare, vt conſtat ex *epiſt. 227. lib. 15. Reg.* Innocentij III. ad Capitulum B. Martini Turonen. ex Bibliotheca Fuxenſi Toloſæ, in qua Abbatiſſa Bellimontis obedientiam, reuerentiam, & ſubjectionem manu poſitâ ſuper altare Archiepiſcopo præſtat. Feudum ergo, vt ad materiam noſtram redeamus, non poteſt conſtitui in rebus Eccleſiæ, niſi ex ſumma neceſſitate, id eſt; res Eccleſiæ non poteſt dari in feudum, niſi ſeruatis ſolennibus, & ex cauſis quibus alienationes poſſe conſiſtere ſuprà diximus. Et quod in *cap. vlt. huius tit.* proponitur, non ſtatuit huius regulæ exceptiones alias, ſed loquitur de feudo Eccleſiæ iam conſtituto, quod Epiſcopus nouo vaſſallo dare poteſt, nihil enim noui facit, *cap. vt ſuper. de reb. Eccleſiæ alien.* ſic etiam quando feudum reuertitur ad Eccleſiam, non morte feudatarij, ſed propter alienationem factam inconſulto clero. Quibus caſibus Epiſcopus conſanguineos & conſortes inueſtire poteſt, ſicut etiam licentiam alteri dare qui feudum alienatum ſuis impenſis recuperet, dummodò id ab Eccleſia tenere recognoſcat, *cap. per tuas. de donationib.* quæ eſt ſententia *capitis vlt. huius tit.*

## DE PIGNORIBVS, ET ALIIS CAVTIONIBVS,

### TIT. XXI.

PIGNORIS datio licèt non ſit re verâ alienatio, eſt tamen cauſa & materia quâ peruenitur ad alienationem ; licèt teneat creditor pignus, id ſibi non poſſidet, ſed debitori, & debitor quaſi per eum poſſidet, cùm dominus remaneat, *l. cùm notiſſimi. §. cùm illud. C. de præſcript.* 30. *annor. l. Cùm & ſortis. §. fin. de pignorat. act.* tamen eſt conditionalis venditio, ſi non ſoluatur intrà tempus debitum, vt ait Martianus in *l. Si fundus. §. fin. de pignorib.* inutile enim eſſet pignus quod aliquando diſtrahi non poſſet; quin & pignus domino fructus adimit, & creditoris facit, vnde rectè alienationis nomine continetur, *cap. Nulli. ſuprà. de reb. Eccleſ.* ideò res Eccleſiæ temerè & inconſulto Epiſcopo, & clero in pignus dari non debet, niſi ex neceſſitate *cap.* 1. *hoc tit.* in quo *vadium* dicitur pro pignore, ſicut *vas* dicitur ſponſor apud Noniũ; nec enim fidei datæ tutior vas eſt, quã res ipſa, vnde apud Græcos vocatur ἐνέχυρον, ab ἔχυρον, quod eſt tutum, firmũ præſidium: Innocentius III. barbaro vocabulo dixit *gageriam* in *cap.* 1. *ſuperioris tit.* & mentio ſæpè in Capitularibus vadij, vnde & *vadiare*, quod eſt oppignorari in legibus Ripuariorum: *vuadiare per ſtipitem* dixit Innocent. III. *lib. 2. regiſt. epiſt. ad Mag. & Fratres Militiæ Templi*, quod eſt per ſtipulationem. Vadium ſignificat etiam multam pecuniariam, in Concilio Cabillon. *II. cap.* 18. *& 4. Capitular. cap. 70.* & *vadiare*, multam exſoluere in eiſdem Capitularibus. Ergo in pignus, ſeu vadium res Eccleſiæ dari non poſſunt, & qui facto proprio id fecerit, tenetur ſuis ſumptibus recuperare, *cap. 3. hoc tit. can. Sacerdotes.* 12. *q.* 4. ideò in *cap.* 1, *hoc tit.* veſtimenta, vaſa, libros, & ſupellectilem omnem Eccleſiæ oppignorari non licet, *l. Sancimus. C. de ſacroſ. Eccleſijs*, ratione potiſſimùm ductâ ex conſtitutione cùm Clementis I. in *epiſt. 2. ad Iacobum*, quâ ea quæ in ſanctuario fuerint malè tractare vetat; tum Sixti I. qui ab alijs quàm ſacratis hominibus res ſacras contrectari noluit, ne pro talibus præſumptionibus iratus Dominus plagam populo imponat: ob id tot decreta edita à Sanctis Patribus habemus *diſt. 23. & de conſecrat. totâ diſt.* 1. Cùm enim tanta cum obſeruantia in ſacris vaſis Iudæorum ſtatutum eſſet, vt non niſi tecta filijs Caath portare, nec quæ in ſanctuario erant videre liceret, niſi hyacinthino operta velamine, *Numeror.* 4. multò magis in noua lege. Alia ratio quâ talis impigne-

Digitized by Google

ratio reprobatur, eſt, ne diuinum officium intermittatur, minuatur, vel labefactetur, defectu eorum, quæ ad ſacrum miniſterium, & ornatum requiruntur; exemplo conſtitutionum Imperatorum, quæ vetant arma militum oppignerari, vt Athenis conſtitutum refert Suidas. Similiter libri qui ſunt *arma literaria*, apud Petrum de Vineis, *lib.* 3. *epiſtolarum*, & in *cap.* 1. *&* 3. *hoc tit.* in quo Breuiarij pignus interdicitur, quod an ſit liber adhuc mihi non liquet: an verò per Breuiarium intelligat Alex. III. chartulas, ſeu libellos, *Breuia, breuicula*, quibus nomina & rationes Eccleſiæ inſerebantur, de quibus in *l. 5. C. de conueniendis fiſci debit. lib.* 10. ἐγγυοπρακτικὰ βρέβια in Baſil. *ecloga 7.* an verò enchiridion precum, quod in gloſſis dicitur βρέβιον, *oratrix*, vel *officium quotidianum*, videnda Obſeruatio *12.* lib. *2.* Sed ad rem, arma quoque ruſtica quæ excolendorum agrorum causâ deſiderantur, perſonæ, & boues aratorij pignori dari non debent, *l. Pignorum, C. quæ res pignori oblig.* *Nouellâ* Iuſtiniani 7. quæ ratio fuit cur Romæ pœna capitis in boum occiſores decreta fuerit, apud Varronem *lib. 2. cap.* 5. *de re ruſt.* tum etiam quòd boues olim curſui publico & ſacrificijs deſtinati eſſent, *l. 1. C. Theod. de curſu publico.* Hos, & mulos, & aſinos hâc neceſſitate exemit Iulianus *d. l. 1.* & *53. C. Theod.* Socrates *lib. 3. cap. 1.* Hæc enim omnia quamuis non ſint ſacra, tamen religioſa ſunt, ſicut monumentum, quod obligari vetatur in *l. ſi monumento. C. quæ res pign. oblig.* ſepulchrum eſt extra cauſam bonorum *l. pro herede.* §. *& ideò. de acquirend. heredit.* nec liberis tam iure ſucceſſionis, quàm memoriâ humanæ conditionis accedit, *l. penult. ff. de conditionib. inſtit.* Liber homo ſimiliter pignori dari non poteſt, *cap. 2. hoc tit.* niſi ſit redemptus ab hoſtibus, qui quoad perſoluerit *vuere* ſuum, λύτρον, id eſt, *pretium redemptionis ſuæ*, vt eſt apud Rogerum, in *legibus Vuillelmi Normanni, Angliæ regis*, eſt in poteſtate redemptoris, & ei vinculo pignoris naturalis non ciuilis obligatur, *l. 2. de capt. & poſtl.* nec tantùm viui hominis, ſed nec mortui pignus locum habet; ſublata eſt enim hæc impietas creditorum, qui corpora defunctorum iure pignoris detinebant. S. Ambroſ. *lib. de Tobia, cap. 10. Vidi ego à fæneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum fænus expoſcitur.* Deſiccabant etenim cadauera, & domi aſſeruabant, vt ex Homero refert Stobæus, quæ immanitas ab Ægyptiorum inſtitutis emanauit, apud quos lex erat, vt qui pecuniam mutuam acciperet, cadauer patris obligaret, quod vt impium & irreligioſum damnauit Iuſtinianus, Nouella *60. cap.* 1. ſeruos verò pignori dari poſſe ait Iuriſconſultus in *l. generaliter. ff. qui & à quib. manumiſſ. lib. l. 3. C. de ſeruo pignori dato*, quod non habet locum iure noſtro;



Digitized by Google

mancipia etenim Eccleſiaſtica non poſſunt in vſus profanos per pignoris dationem conuerti, *cap. Mancipia. ſuprà, de rerum permut. can.* 14. *Concil. Chalcedon.* niſi talibus dentur perſonis, quæ Eccleſiaſticæ vtilitati inſeruiant, *can. Eccleſiaſticis.* 12. *q.* 2. Hæc ſunt quæ pignori obſtringi iure non poſſunt; quòd ſi obſtringantur, id fit cogente Eccleſiæ neceſſitate, pro qua & vendi, & diſtrahi omnia debent, & poſſunt, multò magis pignori obligari. In hoc tamen contractu præter ius ciuile ſtatuitur, vt fructus ſorti accedant, id eſt imputentur in ſortem, *cap. Cùm contra. hoc tit.* adeò vt accedentibus ad ſortem fructibus, pignoris ſit facienda reſtitutio, *cap.* 2. *de vſuris.* vſura hoc iure improbatur, *cap. Conqueſtus. eod.* ſicut & pactum legis commiſſoriæ, *cap. Significante. hoc tit.* exemplo iuris ciuilis in *l. fin. C. de pactis pign.* hoc etiam addito, vt iuramento firmari non poſſit, *cap.* 1. *de iureiur. in* 6. Hæc ad partem primam rubricæ: quæ ſunt in cap. vlt. alteram attingunt, *& alijs cautionibus*: quibus verbis intelligitur cautio fructuaria, de qua in *l.* 4. *§. vlt. de verb. obligat.* vſufructuarius enim cauet arbitratu boni viri vſurum ſe ſaluâ rerum ſubſtantiâ, & finito vſufructu reſtituturum, *l. vſufructu. C. de vſufr.* & hæc cautio ἀσφαλεία fit nudâ promiſſione, *l. Sancimus. C. de verb. ſignif.* ſinè fideiuſſoribus, ſinè pignore, ſinè iureiurando, fide datâ, apud Harmenop. & Theophilum: aliquando datâ fide cum iuramento, dum in caput & ſalutem propriam iuratur, quæ cautio vocatur ἐξωμωσία à Balſamone in *cap. vlt. Concil. Chalcedon.* id eſt cautio iuratoria; ſi res ſit quæ vſu conſumatur ſuperuacanea eſſet illa cautio de re reſtituenda, quæ ideò adſtringit ad pretij reſtitutionem: quæ omnia ex iure ciuili congeſſit hoc loco Gregorius.

## *DE FIDEIVSSORIBVS,*

### TIT. XXII.

RECTE ſubſequitur tit. de fideiuſſoribus, qui eſt de ſatiſdando, titulum de pignoribus & cautionibus; quid enim aliud eſt ſatiſdare, quàm cauere, fideiuſſoribus datis, vadibus datis, ſponſoribus, expromiſſoribus? *l.* 10. *de in rem verſo, l. vlt. quod cum eo*: nec ſatìs fuit *ſuperiori tit.* vetare ne res Eccleſiæ temerè nexu obligentur, & quaſi deuoueantur; ſed etiam viſum fuit clericos fideiuſſionum vinculis adſtringi non debere, *cap.* 1. *hoc tit.* propoſitâ regulâ ſumptâ ex canone Apoſt. 20. vel ex *Concilio Cantuarienſi*, vt vulgò habetur, vel *ex concilio Carthag.* vt in *antiqua*

Digitized by Google

*collatione*: damnatur depoſitione clericus non quidem fideiubens, ſed Κληρικὸς ἐγκύας διδοὺς, fideiuſſioni deditus, frequens in fideiubendo, vt Gloſſa etiam aduertit: tantùm enim abeſt, vt is qui rarò fideiubet, qui non negotiari ſolitus, pietate & rationabili causâ ductus id agit, peccet, quinimò meritoriè agit. Dãnantur igitur qui quaſi meretrices, & proſtibula pro ſponſionibus huiuſmodi causâ lucri, vel aliâ turpi de causâ frequenter huic negotiationi inſeruiunt, quos arguit Salomon *cap.* 20. Prouerb. *Noli eſſe cum his qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis*, quod refertur in *cap. 2. primæ compilationis*, rationem reddit Ioan. Zonaras, ne implicentur litibus, & negotijs ſecularibus, & nimiùm lucri ſint cupidi: addam ego aliam rationem propter frequens iuramentum, quo fideiuſſoribus adſtringuntur debitores, vt ſuprà dixi, ideò rectè ait Salomon, eos defigere manus, & animas ſuas: *defigere* dixit, pro *deuouere*: ſicut Plinius *lib. 14. cap. 2. defigi diris deprecationibus* dixit, quod proprium eſt ſortilegorum, Virgil.

*Io Colchiacis animam defigere votis.*

Tales defixiones & comprecationes frequenter periuria ſequuntur, quæ vitanda maximè clericis, *cap. Querelam, ſuprà, de iureiur.* vnde D. Hieronym. in *cap. 1. in prima cõpil.* non dixit fideiuſſores manus ſuas defigere, ſed animas, quòd talibus curis præpediti vacare verbo Dei impediantur, *can. Te quidem. 11. q. 1.* ſola charitatis contemplatio laudatur, *can. Quoniam. 16. q. 1. can. videntes. 12. q.* 1. tunc enim remedia iuris fideiuſſori dantur; Primò vt indemnitati eius conſulatur ſi ſoluerit pro reo, *cap. 2. hoc tit. §. Si quid. Inſtit. eod.* Secundò vt per canonicam diſtrictionem, ſeu cenſuram à fideiuſſione abſoluatur, ſi à creditoribus moleſtiam patiatur, *cap. Cõſtitutus.* & *cap. vlt. hoc tit.* id eſt, ſi appelletur ante tempus ſolutioni præſtitutũ, ſi debitum creſcat, ſi diu in ſolutione ceſſauerit reus; & ſteterit per eum quominùs creditori ſatisfaciat, ſi vergere incipiat ad egeſtatem, & ſi ipſe fideiuſſor condemnatus ſit, qui caſus hauſti ſunt ex iure ciuili in *l. Lucius. Mandati.* debet debitor ſuum fideiuſſorem ſeruare indemnem, vnde in *cap. 2. hoc tit.* ait inſtrumenta debiti eſſe ſigillo Epiſcopi munienda, vt fides maior eis habeatur; in quo nota fidem & auctoritatem ſigilli Epiſcopi, cuius ſola etiam verba magni eſſe ponderis ait Petrus Bleſenſis, *epiſt. 51. Verba Epiſcoporum vim iuratoriam in ſe habent, vt in eis iuſiurandum ſit, quod eſt verbum ſimplex in alijs.* Abbates olim creditoribus ad ſecuritatem fideiuſſores quidem non dabant, ſed monachos obſides, *cap. 9. de iure iurando.*



Digitized by Google

## DE SOLVTIONIBVS,

### Tit. XXIII.

OBLIGATIONEM ſequi debet ſolutio; ideò poſt contractus ſuperiores iure agendum fuit de ſolutionibus, qui modus præcipuus eſt tollendæ obligationis, *§. 1. quib. mod. tollitur oblig. apud Juſtinian.* & diffunditur ad omnes alios caſus quibus ſatisfactio fieri poteſt, *l. ſolutionis. de verb. ſignif.* veluti acceptilationem, nouationem, ceſſationem, tranſactionem, & alios caſus plures, ſinè quibus nec ſolui, nec tolli obligatio poteſt: addit hîc Gregorius alium, ſi egeſtate & inopiâ laboret debitor clericus, in *cap. Odoardus. hoc tit.* qui modus non tollit obligationem propriè, ſed ſuſpendit, cùm venerit ad pinguiorem fortunam, quod etiam iuri ciuili conſonum eſt in §. *fin. Inſtit. de actionib.* quia tamen durum & aſperum nimis videbatur, vt in debitorem clericum canonicâ diſtrictione ſæuiretur, noluit excommunicationem in eum ferri poſſe, niſi propter contumaciam, *can. Epiſcopi. 11. q. 3.* at debitor inops contumax dici nequit, cuius inopiâ creditoris actionem excludit, *l. Nam is, de dolo.* Et in eo notanda eſt prærogatiua Eccleſiæ, quæ non patitur clericum cedere bonis, militis exemplo in *l. Miles. l. Item. ff. de re iudic.* clericus enim miles eſt Chriſti, qui pugnat aduersùs principes mundi, nempe malos ſpiritus, D. Auguſt. *epiſt.* 70. *ad Bonifatium Comitem: In ſilentio,* inquit, *pugnant milites Chriſti, non vt occidant homines, ſed vt expugnent principes & poteſtates, & ſpiritalia nequitiæ, id eſt diabolum, & angelos eius.* & *epiſt.* 38. ad Lætum, quam quidam Paulino tribuunt: *Jeſus Chriſtus cùm ſit rex noſter, reges appellat milites ſuos:* & hæc militia cæleſtis liberat etiam à patria poteſtate, *Nouella 81.* ſicut facit militia togata, *l. vlt. C. de conſulib.* ſatisfacere igitur creditoribus tenetur clericus quatenus poteſt, ità vt in ordinis clericalis opprobrium mendicare non cogatur, *can. diaconi. 93. diſt.* Porrò ne ipſi fraudes attexant in perniciem creditorum, quibus ſubueniendum pariter eſt, dum plerumque ſinè heredibus moriuntur, ideò ſicut filius patri agnaſcitur heres, & eius debita exſoluere debet, ità & clericus clerici, Epiſcopus Epiſcopi onera creditorum ſuſtinere debet, *arg. Can. quia Ioannes. 12. q. 5.* & *can. conuenior. 23. q. 8.* is enim qui in locum defuncti ſucceſſit, omnes tam vtilitates, quàm onera ſuſcepiſſe videtur, quod Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus diſertè ſcribit *ad Abbatem S. Ebrulfi.*

Digitized by Google

ratio generalis eſt, quia omnes Epiſcopi & clerici, fratres ſunt, & Apoſtolorum filij & heredes, vt ait P. Bleſenſis *epiſt. 51.* ſunt inuicem ſibi ſuccedentes, nec enim propriè dici poſſunt filij ſuorum prædeceſſorum, ſed fratres potiùs, cùm non à defuncto, ſed à ſuperiori, qui eſt *Pontifex Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum,* vt ait Tertullianus *lib. de pudicitia,* accipiat inſtitutionem, & à quo vniuerſarum Eccleſiarum pendet ordinatio, vt ſcribit P. Bleſenſis *epiſt. 165.* hoc autem quod diximus intelligendum eſt de oneribus, quæ pro Eccleſiæ neceſſitate contracta ſunt, nam ad alia ſucceſſor non tenetur, *can. hoc ius.* §. *de ijs.* 10. *q. 2.* quia tunc non vt prælatus, ſed vt priuatus quis contraxit, *cap. Ex præſentium. ſuprà, tit. proximo.*

## *DE DONATIONIBVS,*

### TIT. XXIV.

TOTVS hic titulus, excepto capite primo, tractat de donationibus, quæ non fiunt Eccleſiæ, ſed ex rebus Eccleſiæ, quæ ſunt ſpecies alienationis, *cap. Nulli. de reb. al.* & *cap. 1. de ijs quæ fiunt à prælat.* ideò rectè adtexitur ſuperioribus titulis. Rerum Eccleſiaſticarum rectè prohibetur donatio, quia eſt alienatio: donare perdere eſt, *l. filiusfam. de donat.* & vt ait Tertullianus, *lib. de patientia; non piget donare, ei qui non timet perdere;* quamuis enim qui donat non perdat omninò, quia beneficij debitorem iure gentium acquirit, *l. Si pignore. §. 1. de furtis,* tamen in perniciem & diſpendium Eccleſiæ iura non permittunt dônare; imò pro non donatis habentur, quæ ab eis dantur, qui ius donandi non habent, *cap. Quòd autem. infrà, de iure patron.* Vt valeat donatio & rei quantitas, & qualitas inſpici debet, quæ ſi minima ſit parui ponderis, adſtipulante loci conſuetudine, talis donatio facta ab Epiſcopo valebit, *cap. Ceterùm, hoc tit. cap. Cùm nobis, de electione.* Sicuti quinquageſimam partem fructuum Eccleſiæ ſuæ poteſt Epiſcopus donare pro monaſterij conſtructione, vel centeſimam pro amplificatione cuiuſdam Eccleſiæ in ſua parœcia ſita, in qua ſepulturam ſuam elegerit, *cap. Apoſtolicæ, hoc tit.* quod ius ſumptum eſt ex Concilio Tolet. IX. in *can. penult.* 12. *q. 2.* In his monaſterijs conſtructis ius patronatus acquiritur ipſi Epiſcopo, & per eum Eccleſiæ, de cuius bonis liberalitatem illam exercuit, *can. Apoſtolicos. 12. q. 2.* quin & in ea donatione cleri conſenſum adhiberi debere confirmat *can. Si Epiſcopus. eâd.* quem de-

ſumptum eſſe ex eodem Tolet. Concilio notat vulgaris inſcriptio, cum tamen in eo non reperiatur: quo fit vt exiſtimem Gratianum hanc clauſulam de ſuo addidiſſe, propter nouum ius ab Innoc. III. in Concilio Lateran. editum, quo tales donationes quinquageſimæ citra conſenſum Capituli, aut Sedis Apoſtolicæ auctoritatem improbantur, *cap. Paſtoralis. ſuprà, de ijs quæ fiunt à præl.* Datio in feudum, eſt etiam donatio, quæ & ideò prohibetur, vt dixi, niſi ſit potiùs redintegratio feudi; aliud eſt de nouo in feudum dare, aliud feudum antiquum concedere, *cap. Conſuluit. de Iudæis*, quæ conceſſio non eſt tunc donatio, cùm fiat ex prioris actus conſequentia, *cap. per tuas. hoc tit.* Similiter non poteſt Epiſcopus Eccleſiam alicuius viuentis alteri donare, imò nec Collegio, vel Monaſterio, ſinè aſſenſu plebani, *cap. Conſultationibus. hoc tit.* vel Capituli, ad quem Eccleſia ſpectat, *cap. Paſtoralis, eod.* ſed nec hodiè vllo modo licet id Epiſcopo, etiam cum conſenſu plebani: Eccleſiam curatam vniuerſitati alicui vnire, vel adiungere vetat Concilium Trident. *ſeſſ. 24.* De alio quoque genere donationis agitur *hoc tit.* in *cap. 1.* quæ non continetur ſub nomine alienationis, imò pòtiùs eſt modus acquirendi, & commodum Eccleſiæ reſpicit. Olim multis modis fiebat, & multis nominibus ornabatur, vt in *cap. 2. ſupra, de conſuetud.* vocatur *Scotatio.* Vide Obſeruationes: erat quidem donatio rerum immobilium, quæ per gramen, vel herbam, vel glebam fiebat, quam donans altari imponebat, ſic Otherium Aquitaniæ Ducem feciſſe refert Aimoinus *cap. 4. lib. de miraculis S. Benedicti*; ſic donatio Mathildis, Eccleſiæ Rom. facta fuit per cultellum, feſtucam nodatam, quantonem, guarraſcionem terræ, atque ramum arboris. Et quod notandum, is qui res ſuas, & ſe dabat monaſterio coronam in capite ferebat ad exemplum Monachorum: locus celebris eſt in *cap. 1. de ſucceſsionib. ab int.* in *tertia compil. Cùm Archipresbyter de Alerio ſe, & ſua ad participationem orationum Monaſterio de Bruxeria obtuliſſet, de manu cuiuſdam fratris eiuſdem cœnobij augmentationem coronæ in ſignum oblationis accepit.* Dicebatur etiam donatio, *roga*, ab erogando apud Anaſtaſium, in vita Deusdedit, Bonificij, & aliorum, quam quidem rogam magis fuiſſe rerum mobilium facilè crediderim, vtpote ſupellectilis, vel nummorum ſtipendium ſeu donatiuum, vnde ῥογάτορες ſtipendiarij dicuntur apud Codinum *de officijs aulæ Conſt.* & apud Nicetam ῥογεύειν ſignificat *erogare.* His nominibus tales donationes appellabantur, quia maximè à principibus & nobilibus perſonis fiebant; vnde eſt quòd Gregorius I. in *dicto cap. 1.* laudat mirum in modum nobilitatem generis, quòd vltrò liberalitatem exerceat, & hoc nobilibus innatum ſit, vt vinci in eo genere à nemine

nemine patiantur; in has laudes perſpicuè diffunditur Gregorius *epiſt.* 17. *lib.* 12. vnde ſumptum hoc caput, in qua enixè precatur nobiles Galliæ, vt patrimonium Eccleſiæ, & pauperum tueantur. Id argumentum nobilitatis ex liberalitate erga Eccleſias pulchrè adducit etiam Berengoſus Abbas *lib. 3. de laude & inuentione S. Crucis, cap. 2. Tom. 2. Bibl.* SS. *Patrum*, extollens nobilitatem Helenæ Imperatricis: *Inſuper*, inquit, *prædiorum eius copiæ Eccleſiæ Dei olim vndique collatæ bene declarant quàm nobiliſſimâ polleret generis antiquitate.* Poſtremum huius tituli reſpicit reuocationem donationis iam factæ ob cauſas ingratitudinis, ſed an ingratitudo locum habeat in rebus Eccleſiæ donatis? Gregorius animum conuerterat hac in parte ad ius ciuile: dubitem quidem an ex ſuperuenientia liberorum donatio facta Eccleſiæ reſcindatur, & ad hoc ius canonicum, *lex, Si vnquam. C. de reuocand. donat.* accommodetur, quod in foro conſcientiæ ità ſeruandum docet D. Auguſt. *ſermone 49. de diuerſ. Quidam*, inquit, *cùm filios non haberet, nec ſperaret, res ſuas omnes, retento ſibi vſufructu, donauit Eccleſiæ: nati ſunt illi filij, & reddit Epiſcopus; in poteſtate habebat non reddere, ſed iure fori, non iure poli.*

## *DE PECVLIO CLERICORVM,*

### Tit. XXV.

Materiam alienationis rerum Eccleſiæ reſpicit adhuc iſte titulus, & ſequentes; cùm enim modi acquirendi inſpiciantur; quibus clerici ſuum faciant quod acquirunt, & de peculio diſponere poſſint, id fit in præiudicium Eccleſiæ, & tale peculium quo quid abeſt & ſubtrahitur Eccleſiæ, eſt quoddam genus alienationis. Peculium igitur eſſe quidquid alicuius labore & induſtriâ comparatur, & velut proprium patrimonium reſeruatur, notum eſt ex Feſto, & Iuriſconſulto in *l. Peculium. ff. de peculio.* Clerici ſimiles ſunt filijsfamilias; ſicut enim hi paternis ſacris, ità illi diuinis addicuntur, & quicquid acquirunt id totum Eccleſiæ acquirunt, ſicut filij patri, excepto caſtrenſi peculio, quod filijs reſeruatur (& quaſi caſtrenſi) adiecit Tribonianus in *l. Filiusfamilias, de donat*, clerici ſunt milites Chriſti, vt dixi *ſuprà, tit. de ſolutionib.* quibus iure acquiritur quaſi caſtrenſe peculium, & de eo liberè diſponere poſſunt, Conſtitutione Leonis, in *l. Sacroſancta. C. de Epiſc. & cler.* & *can. Epiſcopi*, & *ſequentib.* 12. *q.* 1. Quod maximè effectum ſumpſit beneficio Conſtantini Magni, ante quem clerici nihil poſſide-



Digitized by Google

bant, ſed omnia, ſiue mobilia, ſiue immobilia ad pauperum vſus conuertebantur, *can. futuram. eâd.* ſed poſtquàm illis facultas acquirendi libera relicta fuit, quæ & tyrannide eis anteà adimebatur, quamuis eſſent in poteſtate parentum, tamen exemplo militum de rebus ſuis diſponebant, ad inſtar peculij militaris, vt notat Balſamon in *Photij Nomoc. tit.* 1. *de fide*, *cap.* 31. vbi nominatim excipit bona aduentitia, quorum diſpoſitio clericis interdicta, quæ clericalis militiæ peculio adſcribi non debeat. Epiſcopi quidem, quia per conſecrationem liberantur à patria poteſtate, liberum ius in omnibus tam aduentitijs, quàm caſtrenſibus bonis habent, quod effectum fuiſſe Nouel. Iuſtiniani 81. vulgò dicitur etiam à Cuiacio, quod non lubenter admitto; nam ipſa Nouella indicat anteà ſolitum Epiſcopum liberari à patria poteſtate; ait enim, palàm eſſe, & ignotum nulli, ipsâ ordinatione ſolitum Epiſcopum liberari à patria poteſtate; quomodo id notum, ſi nondum promulgatum? hoc ſubolet Balſ. ad eundem *tit. cap.* 36. & ait ideò Iuſtinianum hanc conſtitutionem edidiſſe, quia cùm plerique Epiſcopi ordinarentur à Metropolitanis, putabant quidam eos tunc non liberari à patria poteſtate, ſicut quando ordinabantur à Patriarchis. Porrò caſtrenſi peculio, ſeu quaſi caſtrenſi non adnumerantur bona, quæ ex reditibus Eccleſiæ Epiſcopi & clerici comparauerunt, quia eorum non aliter diſpoſitio illis conceſſa fuit, quàm in fauorem Eccleſiæ, ex Concil. Carthag. in *can. Placuit.* 12. *q.* 4. ideò *can.* 40. *Apoſtolorum*, cogebantur Epiſcopi tempore ordinationis ſuæ res ſuas deſcribere, ne poſteà cum quæſitis miſcerentur; ſed vt ea quæ Eccleſiæ ſunt ipſi ſeruentur, nec aliundè quæſita ijs adimantur, quibus Epiſcopus reliquerit, *can.* 24. Synodi Antiochenæ, quæ eſt mens *cap.* 1. 2. *& 3. hoc tit.* Vt verò hæc bona ex reditibus Eccleſiæ parta faciliùs diſcernantur, debet Epiſcopus, vel clericus nomine Eccleſiæ emere, hoc eſt, quod ait *d. cap.* 2. *ad ipſius Eccleſiæ ſcripturam faciat*: quòd ſi in fraudem Eccleſiæ nomine ſuo, vel alieno emerit, ſemper ea Eccleſiæ acquiruntur, *cap. inquirendum. hoc tit.* Licèt verò clerici olim multas opes & poſſeſſiones comparaſſent, non eas tamen ſibi priuatim & peculiari iure adrogabant, ſed communiter his vtebantur: omnia Eccleſiæ bona primis temporibus communi clericorum vſui deſtinabantur, ſiue ob victum, ſiue ob veſtitum, vt iam ſuprà dixi, *tit. de præbendis*: iuxta id quod eſt in *cap.* 2. *&* 3. *Actuum*; *Nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia.* & cùm clerici ad clericatum aſſumebantur, *communiter viuendi normam profiteri ſolebant*, vt ſcribit D. Auguſt. *ſerm.* 49. *de diuerſis*; adeò vt nefas eſſet aliquem proprium quidpiam ha-

Digitized by Google

bere, & ſeparatim à turba & conſortio victitare : quæ cauſa fuit maximè odij aduersùs Ioannem Chryſoſtomum Conſtantinopolitanæ ſedis antiſtitem, qui auſterioris vitæ amore, victum ſeorſim à clero ſumebat, quod illi qui bonæ famæ tanti viri infenſi erant, & ſeueritatem, correctionémque vitiorum ferre non valebant, crimini vertere nitebantur, vt refert Socrates *lib. 8. cap. 9.* Hunc primum à communi regula receſſiſſe comperimus, inde paulatim clerus diuidi cœpit, & quiſque ſtipendia ſua ſibi vindicare iure proprio, ex quo deinde ſequior ætas conflauit præbendas, reditibus & bonis in portiones diuiſis, quod damnat Proſper Aquitanicus in *can. illi autem. 12. q.* 1. quia ex hac diuiſione peculium emerſit. D. Auguſtinus hoc malum irrepſiſſe cernens, ſuæ ditionis clericos ad communem vitam redigere conatus eſt, *cap.* 4. in *prima compil.* & *ſermone 49. Enthecam*, inquit, *habere non licet*; ideò grauiter excandeſcens clericatus ius adimere malebat, quàm vitæ communis ſocietatem infringere, *nullum ordinarem clericum, niſi qui mecum vellet manere, vt ſi vellet diſcedere à propoſito, rectè illi tollerem clericatum,* Peculij nomen non tantùm hâc ſignificatione quâ & Iuriſconſulti, ſed etiam ampliori & latiori accipere poſſumus, pro omni ſcilicet patrimonio Eccleſiæ, ex ſententia Serui; in *primam Eclogam*, quod conſtabat pecoribus; vnde Proculus pecuniam ſinè peculio fragilem eſſe dicit in *l. Si chorus*, §. 1 *de legat. 3.* ſic ſumebatur in antiquis formulis Marculphi *lib.* 2. *cap.*3. & 4. *peculio*, inquit, *vtriuſque ſexus maiore vel minore* : in legibus Longob. *tit.* 105. *cap.* 19. & in Capitul. Caroli Magni : dicebatur etiam præſidium, quaſi ſemotũ & ſegregatum ad ſummæ neceſſitatis ſubſidium in *d. l. Si chorus* : quod nomen paſſim apud Formularum autores frequens erat : Marculphus, *lib.* 1. *cap. 12. Cum terris, ſeu præſidijs eorum*, & *cap.* 10. *lib.* 2. *Si ampliùs de præſidio noſtro obuenerit*, & alijs locis innumeris.

## DE TESTAMENTIS,

### TIT. XXVI.

HIc titulus cum ſuperiori mirè connectitur; quippe in hoc quæritur, an & quando teſtari Epiſcopus, vel alius ex clero poſſit de peculio, quod comparauerat : ſemper enim tam Epiſcopo, quàm cuiuis clerico teſtari licuit de eo quod iure proprio, non Eccleſiæ contemplatione, vel ex reditibus ipſius comparauit, quod innuit Concil. Carthag. *can. 35.*

Sidonius ſcribens Fauſto Papæ, *epiſt. 9. lib. 9. vtráque laudabili actione decedas te relicturus externis, tua proximis*: quinimò & hæc facultas teſtandi de rebus proprijs, Epiſcopis concedebatur; ſi filios, aut nepotes haberent, quibus exceptis eas Eccleſiæ relinquere tenebantur, *can. 1. Concil. Hiſpal. can. 33.* Concil. Agath. *can. 4.* Synodi Rom. ſub Syluestro: imò quod magis innuit Balſ. *ad can. 35. ſyn. Carthag.* tam Epiſcopos, quàm clericos de proprijs aliquam partem, quantulacunque fuerit, Eccleſiæ expendere debuiſſe; quod ius tractum fuit & ad laicos; nam olim is qui nihil Eccleſiæ relinquebat, ſepulturâ in ea priuabatur, qui mos dudum in Francia locum habuit; apud Hiſpanos quintam quiſque partem bonorum ſuorum debebat relinquere, quod ſua Conſtitutione Rex Ferdinandus ſuſtulit, vt narrant Hiſtorici. Hunc autem modum teſtandi, Epiſcopis conceſſum, reſtringit Balſamon ad ea quæ ante Epiſcopatum, quouis titulo acquiſierunt, vel poſteà in Epiſcopatu iure donationis, aut legati, non verò ad vllum alium quæſtum: quaſi velit innuere Epiſcopis nullum induſtriæ genus conceſſum eſſe, præter hos modos: non ità de clericis, quos aliundè poſſe acquirere addit; nempe ex induſtria ſua, cùm poſſint fieri ludimagiſtri, ſcriptores, & ſecretarij, vel ex quolibet artificio, vt refert Alex. III. in *cap. 9. hoc tit.* dummodo ars illa turpis non ſit, vt agricultura in *can. presbyter. 91. diſt.* & alijs pleriſque modis, quos latiùs proſequemur in *cap. 1. Ne clerici, vel monachi.* Epiſcopis non ità facilè manibus ſuis operari, aut aliquod munus quæſtuoſum exercere licuit, quos & ideò teſtari tam liberè canones non ſinunt; ſicut etiam vetant ne poſſint quoſcunque heredes facere, vtpotè turpes & infames perſonas, de quibus in *l. Fratres. C. de inoff. teſtam.* vt ſunt *hæretici, in l. Manichæi. C. de hæret.* & *Græci*, id eſt Gentiles, in Concil. Carthag. *can. 25. 83. diſt. cap. 6. de hæret.* quod ius, & ad omnes clericos eſt detorquendum, qui quidem heredes facere non poſſunt de proprijs bonis infames perſonas; de bonis ab Eccleſia quæſitis nullos omnino, ſaltem niſi cum ſumma moderatione, & eo temperamento, vt quod relinquitur parui ſit momenti, & in eleemoſynam, ſeu remunerationem conferatur, *cap. ad hæc. hoc tit.* aliter nemo eis ægritudine laborantibus adeſſe vellet, *cap. 1. de cleric. ægrot. cap. Relatum. hoc tit.* nec ſinè ratione illud eis conceditur, quia ſeruitium, ſeu famulatus qui eis impenditur, videtur Eccleſiæ impendi, *can. quorum, diſt. 68.* hinc tamen ex modica illa iuris indulgentia effectum, vt iure communi non ſolùm de rebus proprio marte quæſitis, ſed etiam per Eccleſiam, teſtari quilibet poſſit: nam certùm eſt diutiùs legem duraſſe, ne vlli ex clero teſtari poſſent, quod ius in hac Toloſana prouin-

Digitized by Google

cia ſeruatum reperio vſque ad annum 1397. quo Petrus à ſancto Martiale Archiep. Toloſanus hanc licentiam dedit,& eius exemplo etiam Capitulum S. Stephani,omnib. qui Eccleſias ad ipſius collationem,vel inſtitutionem pertinentes poſſidebant, vt conſtat ex actis, quæ in Archiuo habentur. Solis in hac parte monachis exceptis, in *can. 6. ſyn. Conſtant.*qui, vt ſcribit Balſamon, ante tonſuram poterant teſtari. Vnde collige hiſce temporibus annum probationis ad votum emittendum nondum fuiſſe conſtitutum; ſtatim enim ab ipſo ingreſſu radebantur,& ſimiles mortuis fiebant, vt idem Balſamon refert. Nec eſt audiendus hac in parte Leo Imperator, qui in Nouellis ſuis, triente monaſterio relicto, ex beſſe in gratiam aliorum diſponere concedebat; multò minùs Valentinianus,& Martianus, qui plenam teſtandi facultatem dabant, *l. Generali. C. de ſacroſ. Eccleſ.* contra ſacrorum canonum autoritatem, *cap. 2. infrà, de ſtatu monach. can. non dicatis. 12. q. 1.* quam tuetur Iuſtinianus in *Nouella 5.*& 76. ademptâ monachis omni diſpoſitione; adeò vt ſi fiant Epiſcopi ius teſtandi non habeant, niſi ex peculiari diſpenſatione, D. Thomas *2. 2. q.* 185. vt de S. Martino refert Sulpitius Seuerus *cap. 7. Implebat Epiſcopi dignitatem, vt non tamen propoſitum monachi, virtutémque deſereret.* Non omnes religioſi huic iuri adſtringuntur,ſed qui votis ligantur, *can. Religioſis. 12. q. 2.* Nouell. *5. 76.*& 1*23.* Monachis adiungere poſſumus ſeruos, *can. illud. 12. q. 2.* & omnes illos qui atrocis criminis rei ſunt, vt publici vſurarij, *cap. Quamquam. de vſuris in* 6. excommunicati, vt exiſtimat Gloſſ. in *can. decernimus, de ſentent. excom. in* 6. & alij fere omnes, qui iure ciuili arcentur ab hac facultate. In omnibus ius noſtrum, ciuile non imitatur, vtpotè in ſolennitatibus teſtamentorum; quippe duos teſtes cum plebano ſufficere contendit Alexander III. in *cap. Cùm eſſet. hoc tit.* contra iuris ciuilis diſpoſitionem, quod ſeptem requirit *l. Si vnus. C. de teſtament.* ſed hoc reſtringunt Doctores ad terras & ditiones ſummi Pontificis, non alias, quòd iure Pontificio non poſſit iuri publico derogari: nam Alex. III. in eo capite ſcribit Velitrenſibus populis ſibi ſubditis. Alij contrà, Alexandrum iuri publico derogaſſe contendunt, vnde & in quibuſdam Galliæ partibus id obſeruari notat Cuiacius; nec mirum, cùm teſtamentum coram ſolo principe factum, conſcientiâ principis firmum ſit, in *l. Omnium. C. eod. Omnia noſtra facimus quibus auctoritatem noſtram impertimur,* ait Iuſtinianus. §. *ſed. neque. C. de vet. iur. enucl.* & acta omnia imperfecta, auctoritate Summi Pontificis vim capiant, *cap. 1. de tranſact.* nec ſolùm fide principis, ſed etiam actis iudicum & municipum firmari teſtamenta addit *d. l. omnium,*



Digitized by Google

quia Senatus vice principis eſt, *l. Quiſquis. C. ad l. Jul. maieſt.* quod hodiè maximè periculoſum eſſet. In legatis quidem ad pias cauſas relictis, defectus nil obeſt, *cap. Relatum. hoc tit.* quod & ius ciuile anteà probauit, ſeueritatem enim illam in ambiguis religionis quæſtionibus remitti ſolere ait Papin. in *l. Sunt perſonæ. ff. de relig. & ſumpt.* Legatorum pijs locis deputatorum cognitio pertinet ad Diœceſanum, id eſt, Epiſcopum, vt loquitur *cap. Ioannes. hoc tit.* vel presbyterum, in *cap. 1. de empt. & vendit.* vel ſacerdotem, cuius eſt etiam teſtamenti executionem procurare, *cap. Nos quidem, & cap. Si heredes, hoc tit. l. Nulli,* & *conſtit. Græcâ 45. C. de ſacroſ. Eccleſ.* quamuis id vetuerit teſtator *Nou.* 121. § *ſi quis autem*: quod ius apud paganos locum habuit, & Pontifex maximus ad executionem eorum quæ pia erant heredem compellebat, *l. Hereditas. de petit. hered.* quæ cauſa eſſe videtur cur Epiſcopus in omnibus legatis Eccleſiæ relictis canonicam portionem, ſeu falcidiam habere debeat, *cap. officij, hoc tit.* quæ vulgò quarta eſt, *cap. Conquerente, de offic. ordin.* ad exemplum quartæ quam decuriones curiæ relinquere tenebantur, *l. Sancimus. C. de ſacroſ. Eccleſ.* quaſi ſit Epiſcopus heres neceſſarius: hæc portio incerta & dubia eſt pro regionum & locorum conſuetudine, *cap. Certificari. infrà, de ſepult. can. de his.* 10. *q.*1. vnde conſuetudo cùm ſpectetur in totum repelli poteſt ab hac delibatione legatorum, *cap. de quarta. de præſcript.* nec ſolùm Epiſcopi, ſed & omnes clerici executores teſtamentorum eſſe poſſunt, imò & monachi, ſecundùm conſtit. Leonis, quam refert Balſamon in *can. 3. ſynodi Chalced.*

## *DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO,*

### TIT. XXVII.

POST ſucceſſionis ius ex teſtamento, deueniendum fuit ad id quod ab inteſtato locum habet, de quo eadem fere ſtatuenda eſt regula, quæ in ſuperiori tit. diſtinctione habitâ inter res ante Epiſcopatum, vel poſt Epiſcopatum acquiſitas; de illis dubium non eſt quin Eccleſiæ debeantur; de his, ità demum, ſi non ſint qui iure cognationis defunctum contingant, vt ait *can. Si Epiſcopus,* & *can. vlt.* 12. *q.* 5. Gregorius in *cap.* 3. *primæ compil.* id etiam confirmat Carolus Magnus, *cap.* 175. *lib.* 5. *Capitul.* Nouella Iuſtin. 131. & *l. vnicâ. C. Theod. de bonis cleric.* & *cap.* 1. *hoc tit.* deficientibus proximis & coniunctis ſuccedit Eccleſia, quæ cùm vxor ſit Epiſ-

coporum & clericorum, *cap. Inter de tranſlat. cap. Quia. de cleric. non reſident.* ſuccedere debet ad exemplum iuris, quo datur bonorum poſſeſſio, vnde vir & vxor. Epiſcopus, vel clericus miles eſt Chriſtianus, cui ſuccedit Eccleſia, ſicut militi legio, *l. 2. C. de heredit. decurio. l. 2. ff. de iniuſt. rupt.* & cohortali, ſeu apparitori præſidis prouinciæ, cohortales eiuſdem prouinciæ ſuccedunt, *l. 3. C. de heredit. decur.* & apud Harmenop. exſtantibus propinquis ſi indicem ſeu inuentarium, fecerit Epiſcopus, iuxta *40. can. Apoſtolorum*, eo mortuo ſucceſſio eis debetur, & ſtatim poſſunt eam adire: quod ſi inuentarium non fecerit, poſt mortem exſpectandum eſt donec eius ſucceſſor Epiſcopus ordinatus ſit, qui tunc diſcernet bona aduentitia, ab Eccleſiaſticis, vt ſcribit Balſamon in *can. Nulli.* 35. *ſyn. 6. in Trullo*, quod congruit cum Concilio Valentino ſub Ioanne II. multò anteà, in *can.* 3. quo caueture ne ſinè Metropolitani, vel comprouincialium Epiſcoporum conſcientia, propinqui quicquam inteſtati Epiſcopi præſumant; ne fortè cum hereditarijs rebus, etiam aliqua ad Eccleſiam pertinentia vſurpent. Inteſtatus porrò dicitur, non is tantùm, qui non facit teſtamentum, ſed & qui non iure fecit, aut ſi iure fecit heredes ſcripti incapaces ſunt, vt refertur à Balſamone in *can. 84.* Syn. Carthag. ad exemplum iuris ciuilis in *§. 1. de heredıtat. quæ ab inteſt. deferuntur.*

## *DE SEPVLTVRIS,*

### TIT. XXVIII.

SVCCESSIONI ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato locus eſſe non poteſt, niſi mortuo eo de cuius bonis quæritur; ſed inter officia quæ defuncto reddi debent ab herede, præcipuum eſt ſepultura, ideò rectè hic titulus ſubjungitur. Officium ſepulturæ, actus eſt humanitatis, & miſericordiæ; non quòd aliquid conferat animabus defunctorum: curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exſequiarum magis ſunt viuorum ſolatia, quàm ſubſidia mortuorum, inquit D. Auguſt. 1. *de Ciuitate Dei cap.* 12. ſed ideò non eſt contemnenda ſepultura corporum, quia *his tanquam organis & vaſis ſanctus Spiritus vſus eſt*, inquit ipſe *cap. 13.* ſolas animas rationales honorare nouimus ſolenni ſepulturæ honores præſertim quòd corpus fuerit animæ bene, & ſanctè inſtrumento ſuo in certaminibus vſæ receptaculum, vt vult Orig. *lib.* 8. *contra Celſum.* Nec enim reuocandum iſtud eſt ad veterum ſententiam, qui inferni

fluuium inſepultos non poſſe tranſmeare credebant, ſed ad miſericordiæ opera quibus adſtringimur; *ſi enim viuentes nudos operire præcipimur, quanto magis defunctorum corpora?* inquit D. Ambroſ. *lib. de Tobia, cap. 1.* hoc officium pietatis in legem verſum eſt, quam ex inſtitutis maiorum & Patriarcharum ſtatuit Leo III. in *cap. 1. hoc tit.* in quo etiam libertatem vnicuique eligendi ſepulturæ locum præbet, contra veterem ordinem, quo quilibet maiorum ſepulcra ſequi tenebatur, quod Melchiades magno Concilio definitum ſcribit, in *can. Placuit, 13. q. 2.* illud Concilium magnum quale fuerit, ſi quis Romanum, quo Donatiſtæ ſub eodem Melchiade condemnati fuerunt non exiſtimat, aliud ſcrutetur quo id definitum reperiat. Quicquid ſit primitùs hic ordo ſtatutus, vt quiſque maiorum ſepulcris inſiſteret, vbi lares quiſque ſuos habebat, vbi ſacramenta ſolebat percipere, *d. can. Placuit*, & vt loquitur *can. vbicunque. eâd. vbi quis decimas perſoluebat viuus, ibi ſepeliatur mortuus:* à quo tamen iure recedere coëgit neceſſitas familiarum, quæ ità aliquando copioſæ, vt eis vnum ſepulcrum vix poſſet ſufficere *d. can. vnaquæque*: hinc factum vt electio ſepulturæ libera fuerit facta à Paſchali II. vt eſt relatum in Concilio Later. ſub Alex. III. dummodò minùs religioſum locum quis non elegerit, *cap. fraternitatem, hoc tit.* hodiè tamen, & quouis modo licet ſepulturam eligere, etiam in loco minùs religioſo, *cap. Cùm quis. §. ſi quis. eod. in 6.* dummodò debita portio eorum, quæ defunctus Eccleſiæ reliquit, reſeruetur parœciæ, quæ portio variè aſſignata fuit, aliquando dimidia à Leone, in *cap. Relatum. hoc tit.* modò tertia, in *cap. 1.* poſteà quarta ab Vrbano III. vt refert Clemens in *cap. Certificari. hoc tit.* in 2. compilat. quam etiam approbauit Innoc. III. in *cap. in noſtra, ſeq. hoc tit.* & rectè Vrbanum III. autorem dicit Clemens III. in *d. cap. Certificari*; quamuis inſcriptio *capitis, Cùm ſuper*, Lucium III. præferat; quem errorem detegere licet ex Concilio Later. ſub Alex. III. *parte vlt. cap. 63.* vbi *caput 7. huius tit.* quod præcedit dictum *cap. Cùm ſuper* (& vtrumque adſcribitur Lucio III. in *hoc tit.*) Vrbano III. tribuitur. Ergo ab Vrbano aſſignata portio quarta legem fecit, quam ſaluam parœcijs fore voluit: *ſaluam iuſtitiam* dixit optimè, eâdem nempe ratione, quâ, *iuſta*, dicuntur exſequiæ, quia ità ſunt conſtituta, vt iure & neceſſariò fieri debeant: dicta & *feralia*, à ferendis corporibus. Ouid. 2. *Faſt.*

*Hanc quia iuſta ferunt dixere feralia lucem.*

Iuſtitia ſimiliter dicta eſt, quia eſt iuſtitia & exſequijs debetur, qui vſus loquendi animaduertitur in epiſt. Goffridi Vindocinenſis Abbatis, & apud Iuonem Carnot. *Pauperum corpora ſi inſepulta remanerent pro Eccleſia*

Digitized by Google

*ſiæ iuſtitia, non ideò minùs haberent de gloria.* Innocent. III. *lib.* 1. *reg epiſt.* 219. ad Decanum Vlixbon. *Recepta*, inquit, *à Templarijs iuſtitia legitima cautione.* aliàs pars illa vocatur, *ſymbolum animæ*, vel *pecunia ſepulcralis* in *can. 12.* & 13. Concil. Aenhamenſis ſub Vulſtano Archiepiſcopo Eboracenſi in Anglia. Porrò hæc portio (quod notandum) de relictis Eccleſiæ exigebatur, nam vltrà quid aliud exigere pro ſepultura Vrbanus II. vetuit in Concilio Claromont. *cap. 8.* & Innoc. III. ſub pœna ſimoniæ in *cap. Suam. infrà, de ſimonia.* hæc quartæ exactio, hodiè penè exoleuit, cùm & conſuetudo quæ legis vicem gerebat euanuerit, quâ quilibet fidelis Eccleſiæ partem bonorum ſuorum relinquere cogebatur, nomine & titulo exſequiarum, quod ius mortuaria vocabant, *cap. Officij. ſuprà, de teſtament. cap. Conquerente. de offic. ordin.* hodiè totum quod pro exſequijs impenditur plebano debetur; ſi verò extra ſuam Eccleſiam efferatur defunctus, ſaltem portio canonica, Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de reform. cap. 13.* dicta canonica, vt oſtendatur vnumquemque ità deuoueri parœciæ ſuæ, vt ſinè iniuria aliò poſt mortem ſuam traduci non debeat; vndè Clemens III. optimè dixit in *d. cap. Certificari.* corpora mortuorum, quæ alibi ſepeliuntur à ſua Eccleſia aſſumi, & niſi id ex voluntate certa defuncti factum fuerit, corpus rectè è tumulo eruetur, & propriæ Eccleſiæ reſtituetur, cum omni lucro quod perceptum fuerat, *cap. Ex parte*, & *cap. Cùm liberum. hoc tit.* Sepultura propriæ parœciæ dicitur perpetua, à qua extrahere corpora non licet, niſi ex licentia plebani, vel Pontificis, *arg. l. Oſſa. de relegioſ. l.* 1. & *vlt. C. eod.* exſtat Capitulare Caroli Calui in villa Sparnaco *cap. vlt. Nec quiſquam oſſa cuiuſlibet mortui de ſepulcro ſuo eijciat, aut ſepulturam cuiuſquam temerario auſu quoquomodo violet; ſed vnumquemque in loculo ſibi à Deo præparato, atque conceſſo aduentum ſui iudicis præſtolari concedat.* & in ſynodo Piſtis, eadem fit querela, *Ideò Sanctorum & protectorum noſtrorum corpora de ſepulcris ſuæ requietionis effoſſa ſunt.* Alijs de cauſis niſi magnis extrahi è ſepulcro cadauer non poterat, veluti ex cauſa quâ ſolet denegari ſepultura, vt potè hæreticis *cap. Sicut. de hæret.* excommunicatis, *cap. Sacris. hoc tit.* manifeſtis vſurarijs, *cap. Quia. infrà, de vſuris*, raptoribus, mortuis ſinè baptiſmo, & ijs qui ſibi mortem conſciuerunt: & è contrario non debent cum talibus perſonis commiſceri Chriſtiani, & eorum tumulis includi, ideò D. Cyprianus Martiali magno crimini vertit, quòd filios apud profana gentilium ſepulcra depoſuiſſet. Porrò ſepulturæ locus non in Eccleſijs ſi iure ſummo agatur, ſed in cœmeterijs eſt concedendus, & hic ordo veteris Eccleſiæ, qui ſi ritè Eccleſiaſticæ dignitati conſuleretur, eſſet reuocandus:



Digitized by Google

olim enim intrà Eccleſiam ſepulcra prohibebantur, vt videre licet apud D. Gregorium, *lib. 4. cap. 50. Dial.* Burchardum, & Iuonem, & innumeris locis, vt in *can. Nullus. 13. q. 2.* & hoc *ſecundùm conſtitutionem antiquorum patrum*, vt loquitur Concilium Arelat. VI. ſub Carolom. *cap. 21.* quod ſanè maiori ratione fit, quàm apud Ethnicos; nam l. *12.* tab. defunctum intrà mœnia ciuitatis ſepelire vetitum erat, apud Tullium *2. de legib.* In cœmeteriis olim omnia Martyrum corpora recondita erant, & ſummum habebatur ſolatium à fidelibus, quibus iuxta ipſorum reliquias quieſcendi ſpes erat; vnde factum vt reſpirante paululum Eccleſiâ ſub Imperatoribus Chriſtianis reliquiæ Martyrum in Eccleſias intrà ciuitates illatæ fuerint, quaſi in præmium certaminis pro Chriſto accepti, & victoriæ triumphum: vt apud Romanos, qui victoriam in bello pro repub. reportaſſent peculiari beneficio afficiebantur, vt intrà vrbem ſepelirentur, apud Plutarchum in *Problemat. Rom. quaſt. cap. 79.* & conſequenter zelus Chriſtianorum eo vſque etiam ſeſe effudit, vt intrà Eccleſias ſepulturam ambierint, D. Ambroſ. *ſerm. 77. Ideò à maioribus prouiſum eſt, vt Sanctorum oſsibus corpora noſtra ſociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat.* Paulinus epiſt. 43.

*Vt de vicino ſanctorum ſanguine ducat*
*Quo noſtras illo purgat in igne animas.*

& hanc ſepulturam nullus poteſt iure proprio eligere, & ſibi arrogare, ſed ab Epiſcopo in maiori, & matrice Eccleſia, in minori & parœciali à presbytero, ſeu parœco obtinere debet, vt refertur ex Concil. Meldenſi *cap. 10.* apud Burchard. *lib. 3. cap. 150.* & in conſtitutionibus Riculphi Sueſſion. Epiſcopi, quæ exſtant ad calcem Operum Hincmari *cap. 18. Sepulturas mortuorum Eccleſiaſticâ honeſtate & pietate vnuſquiſque presbyter diſponat, & ne pro ſepeliendis mortuis xenia exquirat.*

## *DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS,* TIT. XXIX.

SVPERIORI titulo ſepulturas mortuorum vnicuique Eccleſiæ, in qua ſacramenta percipiuntur & decimæ præſtantur, eſſe faciendas dictum fuit, quod ius communitatem & vnitatem demonſtrat parochiarum. Nunc conſequenter de ipſis parœcijs agendum. Parœcia eſt aliquod territorium, cuius incolæ vnam & eandem Eccleſiam habent, dicta corrupto nomine parochia, id eſt vicinia, & parœci vicini, apud Græcos, ſicut παροίκοι Iuſtinian. in *l. 26. C. de Epiſc. aud.* ἐν ἐκείνῃ τῇ

πολει ἢ τῇ παροικίᾳ, id eſt, *in ciuitate, vel eius vicinia*: ſic in *pſalmum* 119. *incolatum* Septuag. Interpretes παροικίαν dixerunt. D. Hieronym. *ad Galat. cap.* 4. Dupliciter autem fuit accepta parœcia; aliquando ampliori ſignificatione pro Epiſcopatu & diœceſi, vt in Capitul. Caroli Magni, *cap.* 8. 9. & 11. *lib.* 1. *vt nullus Epiſcopus in alterius parœcia ordinationes facere audeat*, & in *can.* 14. 15. 34. & 35. Apoſtolorum, Concil. Antiocheno, *can.* 9. & alijs locis innumeris. Aliquando pro vnica tantum tribu, ſeu vicinia, cuius generis plurimæ vno Epiſcopatui ſubiacebant: vnde Innoc. I. in *epiſt.* 8. reprehendit Florentinum Epiſcopum Tiburtinum, quòd Nomentanam parœciam ad Vrſum Epiſcopum pertinentē, vſurpaſſet. Parœcia hæc dicebatur etiam *plebes*, Concil. Africano *cap.* 87. & Rhegienſi *can.* 3. & Nannet. *cap.* 4. *Cùm ſacerdos*, inquit, *viderit aliquem infirmari in ſua plebe*: inde dictus Plebanus, qui plebis, ſeu parœciæ curam habet, *cap. Cùm olim. de præſcript.* & presbyter plebis, *cap.* 36. *Concil. Meld.* Plebani, ſeu parœci inſtitutionem ſimul cum Epiſcopatuū, & diœceſium diſtinctionibus natam eſſe declarat Anacletus I. *epiſt.* 3. *cap.* 2. *Epiſcopi non in caſtellis, aut modicis ciuitatibus debent conſtitui, ſed presbyteri per caſtella, & ciuitates, & villas debent ab Epiſcopis ordinari, ſinguli per titulos ſuos.* Nec enim primam titulorum, ſeu parœciarum diuiſionem tribuere debemus Dionyſio; quamuis apud Anaſtaſium, & in Pontificali legamus ipſum Eccleſias presbyteris diuiſiſſe, cœmeteria, parœcias, & diœceſes conſtituiſſe: ob perſecutionem Valeriani Imperatoris turbatâ Eccleſiâ, & eo demum mortuo à Gallieno paci redditâ, opus fuit nouas parœcias conſignare, vt notat Baronius; id munus præſtitit Dionyſius: niſi dicamus hanc diuiſionem parœciarum factam fuiſſe in vrbe Roma, vt ſeptem regionibus & parœcijs diſtingueretur: vnicuique ergo vico, ſeu viciniæ presbyter vnus adſcriptus eſt, qui cardini, ſeu curæ Eccleſiæ inſeruiens eam temerè deſerere non poterat, *can. Sanctorum.* 70. *d.* cui ſicut Epiſcopo, ſubditos docere, verbum Dei prædicare, ſacramenta miniſtrare onus incumbit, & animam ſuam pro ouibus ſuis ponere debet, éſtque in ſua vicinia oculus Epiſcopi & primus poſt Epiſcopum: ſicut enim Epiſcopi in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt, ità presbyteri ſeu plebani in locum ſeptuaginta diſcipulorum: hoc apertè demonſtrat Anacletus loco citato, Theodulphus Aurelian. *epiſt.* 1. & Fulbertus *epiſt.* 2. *ad Finardum*, qui plebanos, curæ paſtoralis vicarios, adiutores vocat, Montanus Epiſcopus Tolet. in quadam *epiſt. ad Concil. Tolet. II. adiecta*: *adiutores ſuos Dominus noſtri laboris ſecundo dignitatis gradu eſſe voluit*: hoc ſenſu presbyteros per titulos Vrbis Romæ diſtributos ſe-



Digitized by Google

cundi ordinis facit ſynodus Rom. VI. *can.6.* hinc fit vt Prælati vocentur, *cap. Cùm ab Eccleſiarum. de offic. ordin. cap. 4. de iudic.* & Abbatibus anteferantur in Concilio Emeritano ſub Vitaliano Papa, *can. 11*, Eadem verò lex, quæ circa fines & terminos, in uicem Epiſcopos obligat & parœcos, nempe, ne quis contemptâ ſuâ parœciâ alienam inuadat *d. can. 14.* & *15.* Apoſtolorum; Ne clericus alienus ab alio Epiſcopo præter ſententiam proprij Epiſcopi ſuſcipiatur, & ordinetur, & ei λειτουργεῖν concedat, ſub pœna excommunication is, *can. 16. Syn. Nicæna*, & *can. Clericum. 7. diſtinct.* Similiter nec parœcus alienæ parœciæ quempiam ſuſcipiat, ei ſacramenta adminiſtret, & ad Miſſam admittat, ſed hunc ſtatim ab Eccleſia eijciat, *cap. vt Miſſam. hoc tit.* niſi in itinere Plebeianus, id eſt parœcus fuerit, vel placitum, id eſt litem habuerit, vt ait *cap. 5.* Concil. Nannet. relatum à Burchardo *lib. 2.* & *lib. 1. Capitul.* Canon *15.* Apoſtolorum videtur hanc legem imponere tantùm clericis, non laicis, qui & ſi inſolentiâ & contumaciâ abſentes à propria parœcia alteri inſiſtant, non propterea à communione ſint arcendi, quem intellectum ſequitur Balſamon *ſyn. Nicæna d. can.* 16. & *ſyn. Carthag. can. 68.* & ideò ſingulare eſt *d. cap. Vt dominicis*, cùm ait laicum etiam ab Eccleſia arcendum. Quòd attinet ad clericos, ab alieno Epiſcopo ſicut nec ordinari, ità nec iudicari poſſunt, *cap. 3. hoc tit.* & ordinatio facta nullius eſt momenti, *can. Epiſcopus. 7. q. 1.* ſicut ſententia ab incompetenti iudice lata eſt nulla, *cap. At ſi, de iudicijs, can. Nullus alterius, 9. q. 2.* excommunicatio quoque nulla eſt, *cap. Nouit. ſuprà. de offic. delegat. cap. A nobis, de ſent. excom.* Sed quæri poteſt an ſicut Epiſcopus non poteſt alterius parœciæ, clericos ordinare, excommunicare, iudicare, ità nec Metropolitanus poſſit; dubitatum fuiſſe ſcribit Balſ. ad *d. can. 14.* propterea quòd Metropolitano ſubditi ſint omnes qui ſunt eiuſdem prouinciæ, licèt non eiuſdem diœceſis & parœciæ: ſed concludit nihil hac in parte differre Metropolitanum ab alijs Epiſcopis, niſi per negligentiam, vel appellationem id fiat. Quæ ad *cap. primum huius tit.* pertinent, ad ea quæ diximus ad *tit. de clerico ægrot.* ſuprà referenda ſunt.

Digitized by Google

## *DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBVS,*

### Tit. XXX.

IVS parœciarum maximè conſiſtit in in decimis, primitijs, & oblationibus; quo fit vt hic titulus ſuperiorem ſubſequatur. Imprimis vt ordine totam hanc materiam diſcutiamus, quærendum eſt quo iure debeantur decimæ, & quidem eas à Deo inſtitutas & originem ſumpſiſſe ex ipſa lege Dei Moyſi data per Angelos certũ eſt, *cap. 22. Leuit. Deuter. cap. 12.* & *14.* antequàm etiam Abraham offerret decimas Melchiſedec regi, & ſacerdoti, *Gen. cap. 14.* & *Heb. cap.* 7. per hunc enim ſacerdotium fuit deſignatum, per illum laicorum ſtatus, *can. decimas. 16. q. 1.* & *can. decimas 16. q.* 7. & quamuis ſublata fuerit obligatio legis Moſaïcæ, ceſſantibus etiam ſacrificijs veteris legis, & conſequenter obligatio præſtandarum decimarum euanuerit; ratio tamen obligationis remanſit, vt qui Eccleſijs inſeruiunt, de oblatis nutriantur, *cap. 9. 1. ad Corinth. can. ex his 12. q. 1. cap. Cùm ſecundùm. ſup. de præbend.* & quamuis non præciſè in noua lege decima fuerit imperata, conſuetudo tamen induxit decimarum ſolutionem, ius diuinum veteri lege ſtabilitum imitata, quâ ratione etiam decimæ cenſentur iuris diuini, *cap. 3. Parochianos, hoc tit.* cuius etiam ſententiæ eſt Philo Iudæus, *lib. de præmijs ſacerdotum*, qui etiam docet legem ſacerdotes æquiparare regibus, & imperare, vt eis tanquam principibus tributa conferantur: confirmat idem Auctor conſtitutionum Apoſt. lib. *2. c. 34.* τούτους ἄρχοντας ὑμῶν καὶ βασιλεῖς ἡγεῖσθαι νομίζετε, καὶ δασμοὺς ὡς βασιλεῦσι προσφέρετε: *hos exiſtimate veſtros præſides, hos putate reges, his quaſi regibus vectigalia offerte.* Hinc factum vt decimæ cenſus Dei nuncupentur *in can. 6. concil. Agripp.* apud Richardum *lib. 3.* Sed cur potiùs decima pars conſtituta eſt? quia ſcilicet denarius numerus perfectus eſt, & vnitatem demonſtrat per quam Deus repræſentatur, vt ſcribit Orig. *homil. 13. in Leuit.* & Moſes à Deo accepit decem præcepta, & ipſe iudices decem conſtituit *18. Exod.* Talis numerus magno apud veteres in honore habitus eſt. Ouid.

> *Annus erat decimum cùm Luna receperat orbem,*
> *Qui numerus magno tunc in honore fuit.*

Hunc numerum generaliter obſeruandum docent omnes leges tam Eccleſiaſticæ, quàm politicæ; ità vt nec plus, nec minus ſit præſtan-



Digitized by Google

dum, ſed decima pars fideliter præbenda, *can. quicunque. 16. q. 7.* licèt hodiè conſuetudo errorem fecerit; aliquando non decimam ſed duodecimam, quindecimam, ac viceſimam præſtare: quod tamen nec leges, nec canones approbarunt, nec illam decimam minorem, vel maiorem fecerunt. Quæ tamen partes ſemper vocantur decimæ, quòd in decimarum locum ſucceſſerint. Leges ſacræ ſunt firmiores quàm ciuiles, apud quas & viceſima hereditatum, & decima litium, & manumiſſorum ab Impp. acciſæ, auctæ, irrogatæ, reductæ, & demum abolitæ fuerunt, vt videre licet apud Dionem *lib. 55.* Tacitum *13. Annal.* Sueton. in *Caligula.* Nulla tamen conſuetudo poteſt efficere, vt nullæ partes ſoluātur, *cap. In aliquibus. hoc tit.* ſumpto ex Concil. Later. ſub Innocentio III. qui ideò hanc legem dixit, quòd eſſent plæræque gentes permiſtæ Chriſtianis, quæ licèt ſe dicerent Chriſtianas, more tamen ſuo Eccleſijs decimas non perſoluebant, vt Septentrionales populi, quos ſerò ad Chriſtum conuerſos narrat Albert Krantzius in *metrop.* Sunt qui ex priuilegio & indulgentia ſummi Pontificis à præſtatione decimarum excuſantur, Templarij, Hoſpitalarij Hieroſolymitani, *cap. Ex parte, hoc tit.* ſcilicet de terris ſuis, quas ſuis manibus excolunt; nec enim hoc priuilegium extenditur ad alia prædia, quæ alijs locant excolenda, *cap. licèt. hoc tit.* imò nec ad noualia, niſi id nominatim indulto contineatur. Cùm enim tales immunitates deſtruant ius commune, reſtringendæ ſunt, *cap. Odia. de reg. iuris in 6.* adeò vt noualium decimæ parœcijs debeantur, *cap. Commiſſum,* & *cap. Quoniam. 13. hoc tit.* Parua principia ſæpiùs larga habent incrementa, immunitates illæ exiguæ, quæ primis tantùm temporibus ex cultura propria monachis dabantur, longas radices egerunt, & ad omnem decimarum exemptionem ſunt conuerſæ: exempli gratiâ in fauorem Carthuſienſium, *cap. 2. de decimis, in 6.* Fratrum Prædicatorum, *cap. Nimis. de exceſſ. præl.* & *cap. 1. hoc tit. in 6.* monachorum S. Benedicti, à Ioanne XXI. in Chronico Caſſin. *lib. 2. cap. 1.* Eremitarum Camaldulenſium ab Innocentio III. *lib. 2. epiſt. 12.* Ciſtercienſium, *cap. Ad audientiam. hoc tit.* contra quos excandeſcit P. Bleſenſis *epiſt. 82. Cùm Dominus*, inquit, *præcipiat decimas ſolui, quis contra eius præceptum potuit diſpenſare?* & alibi; *Quicquid indulgent priuilegia Romanæ Eccleſiæ, vobis expedire non credo, contra conſcientiam veſtram quod alienum eſt vſurpare.* Ratio huius immunitatis initium ſumpſit ab inopia & egeſtate monachorum, qui tamen poſteà fidelium donis locupletati ſunt, quæ cauſa erat cur terras proprijs manibus excolerent ad exemplum Apoſtolorum, Actuum *cap. 18.* & 20. 1. *ad Corinthios, cap. 4.* & *9. can. cauendæ. 10. q. 3. can. præ-*

Digitized by Google

*dicator. 16. q. 1.* quod etiam diffuſè exagitat idem Petrus; *Si Dominus Papa indulgentiâ ſpeciali priuilegiauit vos, dum ordo veſter in paupertate gaudebat, potuit tolerari ad tempus; nunc autem quando veſtræ poſſeſſiones multiplicatæ ſunt, etiam in immenſum, priuilegia hæc potiùs ambitionis, quàm religionis inſtrumenta ſunt.* Aliam rationem adfert Iuo Carnot. *epiſt. 192.* quòd incongruum eſſet monachos à diuinis auocari, & ab exactoribus perturbari: quæ cauſa mouit Epiſcopos, & etiam Summum Pontificem hæc priuilegia indulgere, *can. Peruenit. 16. q. 1.* cùm enim presbyteri gradum & honorem acceperint, & facultatem ſimul prædicandi Euangelium, baptizandi, ſepeliendi, & alia ſacramenta miniſtrandi, quod olim erat eis prohibitum, *can. Placuit. 16. q. 1.* non immeritò eis etiam decimas concedendas iudicauit Ambroſius in *can. Doctos 16. q. 1.* Videnda elegans epiſtola Hugonis Pontigniacenſis edita à Iureto, ad calcem Epiſtolarum Iuonis, in qua Hugo tuetur ius commune, quo decimæ præſtandæ ſunt Eccleſijs baptiſmalibus, *cap. Cùm contingat. 29.* & *ſequenti, hoc tit.* aut Eccleſijs maioribus, & conuentualibus, quibus parœciales ſunt annexæ, *cap. Ad quæſtiones. de rerum permut.* Præter ius commune, qui percipiunt decimas, aut habent ex priuilegio, vt dixi, aut ex conceſſione, & donatione Eccleſiæ, vtpotè quæ fit Laïcis, cùm in feudum eas accipiunt, vel ad vitam, vel ad certum tempus, vt Eccleſiam armis tueantur contra hæreticos & infideles, & tunc Laïci non propriè decimas, ſed decimarum fructus qui temporales ſunt, *cap. 2. de locato*, percipere dicuntur, quia ius decimarum eſt quid ſpiritale, *cap. Olim. de præſcript.* cuius incapaces ſunt Laïci, quod ipſi per ſe non poſſunt ad heredes de iure communi tranſmittere, *cap. Nullus. de iure patr. cap. Prohibemus. 19. hoc tit. cap. Cùm Apoſtolica. ſuprà, de his quæ fiunt à prælat.* quamuis ab Hugone Capeto huiuſmodi feuda decimarum iuris hereditarij facta fuerint, vt quidam exiſtimant; adeò vt etiam in feminas iure dotalitij tranſierint, nec ſinè luctu apud Scriptores noſtros legimus, ità miſerè ſanctuarium Dei hereditario iure poſſeſſum fuiſſe contrà quàm eſt in *can. Apoſtolica. 8. q. 1.* & quidem primus auctor huius exactionis fuit Carolus Martellus, poſt quem & Summi Pontifices ſæpè eam exercuerunt, vt Bonifacius VIII. *cap. 10. de decimis. in Extrauag.* & Martinus IV. Reges & Imperatores, vt Philippus Auguſtus, Concilio Pariſ. apud Guaguinum *lib. 6.* Rodolphus Imperator, apud Trithemium in Chronico. Verùm non omnes illæ decimæ eandem ſapiunt naturam; nam quædam decimæ ſemel impoſitæ fuerunt, aliæ perpetuò remanſerunt, maximè quæ in feudum nobilibus datæ; quod quidem pro bono pacis tolerauit Eccleſia, & earum poſſeſſionem longi

Digitized by Google

temporis paſſa eſt, dummodò eſſent ante Concilium Later. ſub Alex III. quo poſtea in futurum prohibitæ ſunt, & nouæ infeudationes nullius cenſentur eſſe momenti, niſi à Summo Pontifice factæ, vel confirmatæ fuerint, *cap. 2. de feudis*: nam ab Epiſcopis poſt dictum Concilium tales in feudum dationes non valent, *cap. Quamuis. hoc tit.* Epiſcopus non poteſt infringere legem à Concilio, & Papa ſtatutam; ſed ſolus Papa ſummus Prætor, cui addendi, ſupplendi, interpretandi competit poteſtas, *cap. Ad hæc, hoc tit.* poteſt quidem Epiſcopus decimas à Laïcis paſſeſſas Eccleſiæ, cui voluerit donare, quod enim à laïco detinetur ad vſum Eccleſiaſticum debet reuocari, *cap. Cùm apoſtolica. ſuprà, de his quæ fiunt à prælat. ſinè conſenſu*: poteſt etiam Epiſcopus decimas à longo tempore, id eſt, ante concilium poſſeſſas à laïcis in alium laïcum transferre, conſentiente Capitulo, *d. cap. Cùm apoſtolica*, quia Epiſcopus eſt dominus ſuperior feudi, ſinè cuius licentia vaſſallus feudum alienare non poteſt, *toto titulo, de alienat. feudi lib. 2. feudorum*: eſt principalis dominus in cuius poteſtate res Eccleſiæ ſunt, *can. Epiſcopus*, & *can. præcipimus. 12. q. 1.* his caſibus exceptis decimæ ſi poſſideantur à laïcis iniuſtè poſſidentur, etſi à principe vel Imperatore datæ fuerint, *cap. dudum hoc tit.* ſi vi eas quis teneat: ſi vltra tempus definitum, ſi iniuriam fecerit Eccleſiæ, ob ingratitudinem, *toto tit. quib mod. feud. amitt. lib. 1. feud.* Soli igitur Eccleſiæ Cathedrali & parœciali debentur iure primæuo decimæ. A quibus debeantur ſequitur dicendum qua in re diſtinguere debemus decimas, in reales, perſonales, & miſtas: ſicut enim fructus alij naturales ſiue prædiales, alij perſonales, ſiue induſtriales, alij miſti qui ſinè prædijs & induſtria quæri non poſſunt, quales ſunt qui ex armentis & pecoribus percipiuntur, *l. fructus. de vſuris. l. Bonæ fidei. de acquir. rerum dom.* ità quoque decimæ ſunt prædiales, quæ ſoluuntur ex frugibus, fructibus, oleribus, fœno: perſonales ex induſtria & artificio vt ſunt lucra negotiationum, venationis, piſcationis, militiæ: miſtæ quæ ex paſtu animalium, vtpote fœtus, lac, agni, lana; quæ tria decimarum genera iure exigi debent, *can. omnes. 16. q. 7.* reales quidem & miſtas peti vbique videmus, non verò perſonales, vt in Gallia, & aliis locis, & in Concilio Mediol. ſub Carolo Borromæo, *cap. 75.* niſi conſuetudo aliter tulerit, *decimæ ſinè fraude ſoluantur etiam perſonales in quibus eas ſoluendi conſuetudo eſt*, cui congruit Innocent. III. *lib. 1. regiſt. epiſt. 215.* vbi mercatores ad decimas cogit, qui ex conſuetudine ſoluebant. Iure communi eas deberi, ſicut reliquas, non eſt dubium, *can. decimæ. 16. q. 1.* de militia, de negotio, de artificio, obligantur mercatores, milites, doctores, aduocati, *cap. Paſtoralis. hoc tit*, Chryſoſt.

Chryſoſt. *homil. 43. in 1. Cor.* Gentiles hac in parte adducere non eſt operæpretium, qui tam accuratè decimas omnium prouentuum falſis Dijs obtulerunt, vt refert Max. Tyr. 14. *diſſertat.* ſed & animalia ipſa ex rapinis, & prædis, vt refert Ælian. *4. de hiſt. animal. cap. 53.* nulla res eſt tam exigua, de qua iure decimæ peti non poſſint, apud Clemēnt. *2. Conſtit. cap. 34.* quamuis tamen ad minutas illas exactiones id extendi ex æquo & bono non debeat, ne nimius auaritiæ fomes clero & Eccleſiæ ſit dedecori, vt cōcludit D. Thomas 2ᵉ. 2ᵉ. q. 87. Alexāder III. in *epiſt. ad quendam Cantuarienſem Archiepiſcopum*, hanc etiam vel leuiſſimam exactionem concedit, *vbi priſcæ conſuetudinis authoritas inualuerit*, inquit. Sed & quod maius eſt, non ſolùm corporalium rerum, ſed etiam incorporalium decimam debemus, vtpotè temporis, quod in Dei laudes & gloriam impendere debemus, D. Auguſt. *Serm. 219. Imò & quod maius eſt*, inquit, *non rerum omnium & prouentuum, ſed & ipſorum dierum decimas Deo dare debemus.* Quadrageſimam ritè anni decimam nuncupare poſſumus, vt in Concilio Troſleiano, *cap. 6.* & apud Nicolaum *ad conſult. Bulgarorū: Tempore quadrageſimæ, quo Deo carnis noſtræ decimas damus, omni voluptati eſt renuntiandum.* Igitur omnium quæ ſub cœlo ſunt decimæ debentur, & ab omnibus, ſiue Iudæis, *cap. de terris, hoc tit.* & *cap. Quanto. de vſuris*: ſiue hæreticis, & infidelibus, quamuis de his cautum non inueniatur; quia noluit Eccleſia id ſtatuere aduerſùs eos, quos omnibus bonis ſpoliandos cenſet, *can. Si vos. 23. q. 5.* cùm falſo titulo cenſeantur bona poſſidere, ex D. Auguſtini ſententia, *can. quicumque. 23. q. 7. cap. vergentis. de vſuris*; non ità de Iudæis: quos certis locis morari, & ſynagogas habere permittit, *cap. 3. de Iudæis.* Quibus verò ſolui debeant decimæ iam dictum; quia tamen habet aliquid ſcrupuli *cap. 2.* hoc *tit.* quod altioris & longioris eſt indaginis, id ſeparatim memini me tractaſſe.

Secunda pars rubricæ de primitijs attingenda eſt, quarum non ità ſtricta lex vnquam fuit. D. Hieronymus ex majorum traditionibus refert quadrageſimam, vel ad minus ſexageſimam portionem frugum dandam, quamuis tamen nuſquam in lege quantitas ſit definita, ſed in arbitrio fuerit offerentium, niſi vbi conſuetudine aliter fuerit obſeruatum, vt refert D. Thomas 2ᵃ. 2ᵃ. *q. 86. art. 1.* obligatio quidem indefinita pendet à lege, *cap. 20. 24. Exodi, cap. 23. Leuit. can. Eccleſias. 13. q. 1. can. Reuertimini. 16. q. 1.* Diebus præſertim Dominicis ſolebant præſtari primitiæ, non ſingulis, ſed quibuſdam, pro temporum ratione deſignatis: P. Damianus *epiſt. 16. lib. 4. ad V. Epiſcopum. Poſt hanc*, inquit, *illa feſtiuitas ſequitur, quæ dicitur nouorum, cum primi-*



Digitized by Google

*tiæ ſcilicet de nouis frugibus offeruntur.* Romani hoc feſtum dicebant Ambarualia. Virgil. *1. Georg.*

*Terque nouas circum felix eat hoſtia fruges.*

Dictæ ſunt primitiæ, quòd primæ & nouæ fruges darentur; ſed meliùs, *prametia*, cum Verrio Flacco, quæ prælibationis causâ antè metebantur: *primetia*: quaſi primæ meſſes. Primitijs oblationes iungo, quæ ferè pari paſſu ambulant, vtræque quantum ad pretium & magnitudinem arbitrariæ, ex officio pietatis pendentes; ideò Gregorius VII. in *can. Omnis. de conſecrat. diſt. 1.* ait; *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolennia aliquid Deo offerre*: verbum, *procuret*, demonſtrat non tam eſſe mandatum, quàm ſuaſionem. Veteri lege oblationes fiebant in principio menſium, ſiue die Calendarum, primâ ſabbati apud D. Paulum 1. *Corinth. cap. 16.* qui tranſlatus eſt in diem ſolis, ſiue Dominicum, Tertull. *Apol. cap. 16.* Primitiæ, & oblationes vel in gazophylacium mittebantur, quod arcam vocat Tertull. *Apol. cap. 39.* ſecretarium Poſſidius in *vita D. Auguſtini, cap. 24.* vel etiam apud præpoſitum, id eſt, Epiſcopum deponebantur, vt eſt apud Iuſtinum Martyrem, *Apol. 2.* ſcilicet, vt diſquiri poſſet an eſſent digna munera, vel ob perſonam offerentium, vel an eſſent quæſitæ ex iuſta cauſa, vt ſi proficiſcerentur ab impijs, reijcerentur, *can. non eſt putanda. 1. q.* 1. *can. Minor. 17. q. 4.* P. Damianus *epiſt. 36. lib. 6. Enimuerò dona ab iniquis ſuſcipere, quid aliud eſt, quàm propriam animam ex dantis ſqualore fœdare?* Si dignæ reputabantur per diaconum ſacerdoti offerebantur, *can vlt. de conſecrat. d. 1.* & primitiæ quidem ſæpius ſuper altare ponebantur, nuſquã oblationes, vt ſcribit Balſamon ad *Can. 3. Apoſtolorum*, qua de re conſtitutionem edidit Eutychianus Papa 28. quamuis hæc lex non fuerit obſeruata, *cap. 2. de conſuetud. can. Sanctorum.* 10. *q.* 1. ſæpius ex eminenti loco ſuſpendebantur, vel ex columna, ſicut olim Delphis factitatum à Gentilibus, teſte Clemente Alexand. *1. ſtromat. cap.* 1.

Ὄφρα θεῷ δεκάτην ἀκροθίνιά τε κρεμάσαιμεν,
Σταθμῶν ἐκ ζαθέων, καὶ κίονος ὑψηλοῖο.

*Vt decimámque Deo, primos fructúſque dicemus,*
*Sedibus ex ſacroſanctis, celsáque columna.*

Hæc donaria vocabantur & ἀναθήματα à verbo ἀναθῆναι, quod eſt *ſuſpendere*; vnde & excommunicatio dicitur anathema. Solebant reges Iſraël victores, ſpolia ſua conſecrare, & in templo ſuſpendere; ſic Samüel, Saül, Dauid, vt ſcribunt Doctores in *cap. 26.* 1. *Paralip.* & Gentiles apud Max. Tyrium, *cap. 14. diſſertat.* Porrò decimarum, primitiarum, & oblationum erogatio, & diſtributio non vna, eadémque

Digitized by Google

erat; ſiquidem primitiæ & oblationes initio naſcentis Eccleſiæ in Epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum vſum vertebantur, *d. can.* 3. & 4. *Apoſtolorum*: decima verò hypodiaconis, & ceteris inferioris ordinis clericis dabatur, vt ex Clementis Conſtitutione *cap.* 40. *lib.* 8. conſtat; quo tempore credendum eſt primitiarum & oblationum longè pinguiorem fuiſſe conditionem, ſed refrigeſcente charitate euanuerunt, ſolis remanentibus decimis toti clero æquè diuidundis.

## *DE REGVLARIBVS, ET TRANSEVNTIBVS ad religionem,*

### Tit. XXXI.

ANtea de clericis ſecularibus,& eorũ iuribus tractatũ; nunc verò de regularibus & monachis, quos à clericis diſtinguit ſtrictioris regulæ votũ,qui & ideò regulares dicti ſunt, quãuis tamen generali appellatione,& ex primæuâ inſtitutione omnes fuerint regulares,ſiue canonici,ob canonem, ſeu regulam, quâ cõtinetur omnis ordo Eccleſiaſticus, *can.* 24. *Syn. Laodic.* quę regula vocatur Eccleſiaſtica in *can. Si qui verò, & ſequenti* 32. *diſt.* vel quia initio naſcentis Eccleſiæ nullus ordinabatur,aut regulæ Eccleſiaſticæ ſubmittebatur,cui non portio aliqua agri Dominici colenda præberetur, quæ vocabatur *canon*,vt D. Paulus de ſe ipſo profitetur 2. *Corinth. cap.* 10. ἀλλὰ κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος οὗ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεός, &c. ab eo canone rectè omnes clerici dicebantur,Canonici, qui canonem ſeu portionem ſuam habebant, κλῆρον, non quidem decimarum & primitiarum, vt vult gloſſ. in *can. Cleros.* 21. *diſt.* ſed potiùs adminiſtrationis & regiminis, quod per titulos ſingulis diſtribuebatur, *can. Sanctorum.* 70. *diſt.* vnde dicti clerici. Porrò hi ſub regula communis vitæ degebant maximè, tunc cùm creſcente numero Chriſtianorum excreuit etiam ipſorum numerus. Vitæ canonicæ caput ſtatuerunt Apoſtoli in tribus, *in communi ſubſtantia, in communi obedientia, & in communi dilectione ſuperna*, inquit P. Bleſen. *ſerm.* 30. ſed deinde ſucceſſu temporis ſenſim communitas illa euanuit,vſque ad tempora D. Auguſtini, qui horum maximam partem iterum ſub regula redegit; ipſe enim vitam canonicam reſtaurauit, non inſtaurauit, inquit idem P. Bleſenſ. qui ſoli vocati ſunt Canonici, quòd canonem, ſeu regulam antiquam Apoſtolorum ſeruarent. Sed vt eſt miſera hominum conditio, hæc canonica vita tandem emarcuit, & illi contempto communitatis voto



Digitized by Google

annuos prouentus inter ſe diſtribuere cœperunt, pro regula ſeculi libertatem amplexi, Canonici dicti ſunt ſeculares, vt notant Trithemius in *Chronico Hirſaug.* & Bruſchius *lib. de monaſt. German.* ad differentiam aliorum qui regulam ſeruantes, vt à ſecularibus diſtinguerentur dicti ſunt regulares, *cap. Super.infrà, de ſtatu monachorum*; nec ideò tamen clericorum nomen amiſerunt, *can. neceſſaria 12. q. 1. iuxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur in quibus clerici Eccleſiaſticis diſciplinis vacent.* Hinc & canonici clerici dicuntur *can. 9. Concil. Mogunt.* ſub Carolo Magno, vt diſtinguantur à monachis qui clerici non erant, *can. Sic viue. 16. q. 1.* hi enim in ſyluis & receſſibus degebant, illi in Epiſcopijs & vrbibus, *can. 23. ſyn. Turon.* vtroſque, licèt viuendi modo & diſciplinâ diſpares, votum tamen effecit pares, continentiæ, caſtitatis, ſilentij, & paupertatis, quamuis diuerſimodè: vnde & vouentes appellantur ad differentiam clericorum & canonicorum ſecularium, qui ſe talibus regulis non adſtringunt, nec inter eos adnumerantur, vt indicat titulus infra, *Qui clerici vel vouentes contrah. matrim.* Ergo totus hic titulus eſt de regularibus canonicis, & de monachis, inter quos ſimilitudo maxima eſt ob tria vota, quæ peculiariter profitentur, paupertatem, caſtitatem, & obedientiam; in quibus emittendis duo potiſſimum conſiderantur, voluntas, & ætas, ſinè quibus perfici non poſſunt, nec inde vlla naſci poteſt obligatio, *cap. 1. hoc tit. can. illud. 20. q. 1. can. præſens. 20. q. 3.* obligationis natura ſtipulatoris & ſponſoris perſonas petit *l. 1. ff. de verbor. obligat.* ità monaſticæ vitæ profeſſio non fit niſi ab Abbate, ſeu præfecto ſtipulante, coram quo profeſſio fieri debet, *can. 2. ſynodi VII. Conſtant.* & à ſpondente diuinitus exigi ait Nicolaus I. ad conſulta Bulg. *cap. 87.* nec enim ſufficit ſola deuotio paterna, vt eſt in Concilio Tolet. IV. *cap. 48.* relato in *can. Monachum. 20. q. 1.* nimis enim aſperum viſum fuit vt paternæ iuſſioni filius obſequi cogeretur, licèt primis temporibus id maximè fuerit viſitatum; ſolenni enim ritu filius à patre monaſterio mancipabatur, Aymonius, *cap. 2. de vita Sancti Abbonis: monachicum ei tradidit habitum, factâ priùs per parentes ſolenni traditione*, ſic expreſſum eſt in regula S. Benedicti, *cap. de profeſſ.* Sic in mſſ. noſtræ Eccleſiæ Toloſanæ Guillelmus de Lauriaco donat Deo & S. Stephano, & patri Aurelio Priori & cunctis fratribus filium ſuum Guillelmum, quem Canonicum fieri vult, anno 1088. Patribus adhuc patria illa poteſtas ex iure Quiritium ſeruabatur, Seruius in illud Virg. Æneid. II. *ipſe pater famulam voueo. Bene, ipſe pater*, inquit, *quia auctoramenti poteſtatem niſi patres non habent*: & è contrario etiam inuitis parentibus olim ratò licuiſſe

liberis religionem ampleċti, quin etiam, & ſinè cauſa legitima & probata ijs qui ſub patria erant poteſtate non licebat niſi ex licentia plebani ſui, quod Innocentius III. demonſtrat in *epiſt. ad Decanum & alios Canonicos Cabill. libro 13. regiſtri. Pro eo*, inquit, *quòd iure paræciali eiſdem obligati tenentur.* Hâc etiam libertate priuatos aliquando Officiales regis Francorum videre licet in Synodo Remenſi apud Flodoard. *lib. 2. cap. 5. Hi verò quos publicus cenſus ſpectat, ſinè permiſſu principis, vel iudicis ſe ad religionem ſociare non audeant.* quin & monaſteria carceres erant, in quæ etiam loco pœnæ aut exſilij plerique detrudebantur, apud Greg. Turon. *lib. 4. cap. 15.* maximè clerici delinquentes & regradati, *cap. 2. de pœnitentijs, cap. 4. de exceſſib. prælat. can. 1. & ſeq. 12. q. 1.* Porrò ætatis non minùs quàm voluntatis defectus votum irritum facit, illam intrà pubertatis annos, nempè duodecimum in fœminis, decimumquartum in maribus conſtituit *can. illud. 20. q. 1.* quod tempus ætatem diſcretionis appellat Cæleſtinus III. in *cap. Cùm ſimus. hoc tit.* ad exemplum Iuriſconſultorum in *l. impuberem. de furtis*, ante quam nemò quantumuis doli capax obligatur, etſi proximus pubertati, vt notat gloſſ. in *d. can. illud.* licèt tunc demum ratio dubitandi non abfuerit; ideò Innocentius III. reſcribens Epiſcopo Lingon. *lib. 12. regiſtri* addit, *niſi fortè prudentia in illis ſuppleuerit ætatem, vt ſaltem tranſire debeant ad regulam laxiorem.* & in *cap. ſuper hoc tit. cap. vlt. de cohabit. cleric.* quod tamen nuſquàm probatum, minimè Concilio Tridentino, quo talia vota vt præcocia, & præmatura damnantur, reiectis omnibus quæ expleto decimoſexto anno non fuerint emiſſa *ſeſſ. 25. de regul. cap. 15.* niſi deinde quis maior factus ratum habuerit, *cap. Significatum, hoc tit.* nec vlla eſt ampliùs differentia regularum quoad votum, vt olim: in Congregationibus enim & monaſterijs ſtrictioribus decimus octauus annus exigebatur, *cap. Quia in inſulis. hoc tit.* de inſulis loquitur; quia in illis & locis paluſtribus multa monaſteria ædificabantur, vt in aëre minùs ſalubri corpora magis caſtigarentur, & nimia corporis proſperitas quaſi vitis palmite luxurians amputaretur, vt ſcribit D. Baſilius; & congruit, quod de Glaſtonienſi monaſterio refert Vuillelmus Malmesb. *lib. 1. de geſtis regum Angliæ.* Si quis ergo in monaſterio poſt decimum octauum annum profeſſus fuerit, nullam poſthàc recedendi facultatem habet: profeſſio verò non debet fieri niſi poſt annum, quo quis ætatis fuerit legitimæ, qui vocatur annus probationis, *cap. Statuimus. hoc tit.* licèt anteà foret triennium, *can. 5. Syn. VII. Conſtant.* quòd firmiùs ſtatuitur Concilio Tridentino, abrogatâ differentiâ profeſſionis expreſſæ, vel tacitæ; cenſebatur is anni



Digitized by Google

beneficio renunciaſſe qui profiteri feſtinauerit, & profeſſio talis valebat *cap. Ad apoſtolicam. hoc tit.* quinimò ſinè voto profeſſio facta cenſebatur, ſi quis habitum profeſſionis per triduum geſtaſſet, *cap. Ad noſtrum, & ſequenti, cap. Ex parte. hoc tit.* vel etiam non ſuſcepto habitu profeſſio facta valebat, *cap. Porrectum. hoc tit. cap. Conſuluit. qui clerici vel vouentes*: monachum ſiquidem non facit habitus, ſed profeſſio regularis, in Cōcilio Aquiſgran. ſub Ludouico, & Pio Imperatoribus *cap. 125.* Clerici cucullas monachorum induebant, nec ideò tamen profiteri cenſebantur; *Valde indecorum eſt*, inquit, *Canonicum veſtem monachicam induere, niſi etiam cum veſte voluerit propoſitum mutare.* Olim veſtibus monachorum non induebantur qui annum probationis agebant, ſed tunc demum cùm profitebantur, *cap. Super. hoc tit. cap. 35. in addit. Capitul. Caroli Magni*: *Ipſe verò nec tondeatur*, inquit, *nec veſtimenta priſtina immutet priuſquam obedientiam promittat*: ait enim Balſamon in *can. 5. Syn. VII.* eum qui ſemel induit habitum monachalem, etiam intrà tempus probationis non poſſe eum poſteà exuere, ideóque tempus probationis in veſtibus exigendum ait in *quæſt. 1. ad interrogationes monachorum, in. d. Synodo.* Concilium Trident. huiuſmodi profeſſionibus fibulam impoſuit, & expreſſam tantùm admiſit, ne deinceps naſceretur occaſio peccandi, & vota temerè arguendi, quæ ſemel iuris ordo & ſolennia confirmarunt, à quibus recedere ſumma eſt impietas, niſi in duobus caſibus; primo, ſi quis zelo perfectioris religionis trahatur; ſecundo ſi religio à debita perfectione recedat, & remiſſiorem vitam aſſumat, *cap. Sanè*, & *cap. licèt. hoc tit.* petitâ tamen, licèt non obtentâ, licentiâ ſuperioris, *cap. Cùm olim. de arbitris.* Et quia inde naſcebātur altercationes & odia inter Ordines, ſæpius ſancitum à ſummis Pontificibus, ne ex vno monaſterio in aliud migrare liceret; id mendicantes Ordines cōtra Ciſterciēſes obtinuerunt à Benedicto XII. tum etiam à Martino IV. in *Extrauag.* qui vetuit ſub prætextu etiam indulti Apoſtolici à mēdicantibus ad alios Ordines tranſire, præter Carthuſienſem, in quem omnes alij, ab eo nullus migrare poteſt. Sæpiùs anteà inuenio conceſſum à Fratrum Minorum & Prædicatorum Ordinibus ad mitiorem regulam tranſire in *epiſtola manuſcripta* Gregorij X. nominatim Prædicatoribus conceſſum ad regulam Sancti Auguſtini *propter debilitatem corporis tranſire*; ſimili ratione quâ à vita eremitica ad cœnobiticam ire licuit, vtpotè mitiorem, *can. Qui verè. 16. q. 1.* ab hac ad illam non licuit, niſi ex Abbatis licentia ob corporis imbecillitatem & aduerſam valetudinem *can. Monachum. 20. q. 4.* vel etiam fauore aliquo, & quaſi manumiſſione in ſolatium præteritorum labo-

Digitized by Google

rum, vt ex epiſtola 22. D. Hieronymi patet: quod tamen vetuit Trident. Concilium, vt ambitioſis & inconſtantibus via præcludatur, quos Sarabaitas vocat Caſſianus *coll. 18. cap. 7.* in quos grauiter animaduertere ſolitum D. Chryſoſtomum refert *Zozomenus cap. 9. lib. 8.* & tam in hos, quàm in receptatores ſententiam excommunicationis depromit. *can. 4. Syn. Conſtant.* I. & II. eóſque ad ſuum monaſterium eſſe reducendos ſtatuit ξενοκουρίτας, in quo tonſi fuerunt, vt addit Balſamo, vel titulati, vt eſt *in can. 23. Synodi Bituricen.* eóſque perinde requirendos ſtatuit Gregorius IX. *in cap. vlt. hoc tit.* ac ſeruos fugitiuos Conſtantinus Imp. *in l. Quicumque. C. de ſeruis fugit.* miniſtri enim Dei, ſunt ſerui, & ideò à Græcis dicuntur θεραπευταὶ, ὑπηρέται, δοῦλοι apud Sophoclem *in Oedipo*: οὐ γάρ τι σοὶ ζῶ δοῦλος, ἀλλὰ Λοξίᾳ, *id eſt non tibi ſeruus viuo, ſed Apollini. Virgil. 11. Aeneid. Ipſe pater famulam voueo.* Monachi igitur ſunt ſerui *d. cap. vlt.* in quo fit mentio Concilij generalis, quo id actum fuit, Gloſſ. intelligit Concilium Lateran. ſub Innocentio III. cui non aſſentior; nec enim in toto hoc Concilio de fugitiuis mentio, ſed ante ipſum quidem in Concilio Eboracenſi ſub Cæleſtino III. his incommodis proſpectum fuerat, & ne occaſione negotiorum, adminiſtrationum, obedientiarum quas firmas vocant, néve peregrinationis causâ iter arriperent, etiam abſque ſocio proficiſci vetitum fuit, vt refert Rogerus *in hiſtoria Anglia.*

## *DE CONVERSIONE CONIVGATORVM,*

### TIT. XXXII.

POSTQVAM actum fuit de voto, & profeſſione eorum, qui ſoluti & liberi ab omni nexu facilè vitam mutare poſſunt, æquum eſt conſequenter, vt de his quibus aliquod eſt impedimentum, agatur, quales ſunt coniugati. Et quidem ſemper hoc fuit obſeruatum, vt per ἄσκησιν, quam Nouel. 5. *ſingularem conuerſationem* vocat, diuortium inter coniuges ritè fieri potuerit: cùm enim vitæ regularis profeſſio morti comparetur; adeò vt quod pacti ſunt coniuges inter ſe in caſum mortis, locum etiam habeat in caſum & euentum monachiſmi, multò æquiùs & matrimonium ſolui dicendum eſt: quia mori videntur, ἑτέραν ἀνθ' ἑτέρας βίου πορείαν ἑλόμενος. id eſt, *alterum iter vitæ cum altero commutans*, inquit *Matthæus Bleſteres.* quod & legibus Imperatorum ſemper ratum fuit, quibus propter ſacerdotium diuortio locum dederunt,

*l. Vitricus 61. in fine, de donat. inter virum & vxor. l. Sancimus. 53. & l. Deo. 56. C. de Epiſ. & clericis.* Tertull. *lib. 1. de monog. Cereris ſacerdotes viuentibus etiam viris amicâ ſeparatione induantur:* & quod magis eſt licebat ad aliud matrimonium currere, & vir qui monachus fiebat, quod arrharum nomine dederat amittebat, vxor verò duplum eius quod acceperat reddebat, quod Iuſtinianus correxit in *l. 56. C. de Epiſcop. & cleric.* vt ſponſus quod arrharum nomine dederat reciperet, ſponſa non duplum, ſed quod acceperat tantùm redderet, quod aduerſum erat legibus ſacris, *Matthæi 19. qui dimiſſam acceperit, adulter eſto:* ad quem locum D. Hieronymus annotat, & ſi propter adulterium ſolutũ fuerit matrimoniũ, non ideò ad aliud coniugiũ recurrere licere; *Homo,* inquit, *ſeparat, quando propter deſiderium ſecundæ vxoris primam dimittit; Deus ſeparat qui & coniunxerat, quando ex conſenſu propter ſeruitutem Dei, ſic habemus vxores, quaſi non habentes:* cuius tamen erroris fuiſſe quoſdam refert Balſamon *ad can. 48. Syn. VI. in Trullo.* Ex hoc notandum huiuſmodi ſeparationem Eccleſiam non admittere, niſi ex conſenſu vtriuſque, contra iuris ciuilis ſanctiones, *cap. Quidam. hoc tit.* matrimonium non ſola ſeparatio corporum ſoluit, ſed voluntatis, *can. 1. 27. q. 2.* & tunc dicimus ſeparationem fieri bonâ gratiâ, vt notat Balſamon ad *can. 48. Syn. VI. in Trullo:* ſi tamen commixtio carnalis non interuenerit, licèt vni citra alterius conſenſum, vitam monaſticam eligere, quia & tunc alias nuptias is qui remanet ambire poteſt, *cap. verum. cap. 7. & 14. hoc tit.* & in eo congruit ius ciuile, cum canonico, & Nouella Leonis *33.* Quod ſi matrimonium conſummatum eſt, vnus citra alterius conſenſum monaſterium ingredi non poteſt; nulli enim fas eſt alterum obligare ad ea quæ ſunt perfectionis, quæ ſunt voti magis, quàm præcepti, *can. integritas. 32. q. 1.* legimus tamen Theonam Abbatem reluctante vxore in ſolitudinem perrexiſſe, apud Caſſianum *col. 21. cap. 9.* imò debet vterque τὸ σχῆμα λαβεῖν, & continentiam vouere, niſi talis ſit perſona cui incontinentiæ nota, vel ſuſpicio inuri non poteſt; veluti ſi grauetur infirmitate, defectu, vel ſenectute, *cap. Uxoratus, & cap. Ad Apoſtolicam. hoc tit.* quo voto emiſſo nulli poſteà licet ab alio debitum maritale exigere, *cap. Quidam, & cap. Dudum. hoc tit. can. quod Deo. 33. q. 5.* Aliquando votum citra conſenſum vnius partis valet, vt ſi ſciente & diſſimulante alterâ, emiſſum ſit: quamuis enim teneatur reddere debitum, ſi tamen altera pars decedat, is qui votum emiſerat huic adſtringitur, *cap. Conſuluit. hoc tit.* pendente vitâ vtriuſque votum non obligat; nemo enim poteſt ſe firmiter obligare ad id quod pendet ex alterius voluntate, *cap.*

*Chariſsimus.*

Digitized by Google

*Chariſsimus. hoc tit.* valet tantùm in ſui præiudicium, *cap. Quidam*, & *cap. Placet. hoc tit.* in quibus Alexander III. & Cæleſtinus III. quamuis non teneatur redire ad monaſterium, non tamen poſſe ad ſecundas nuptias concedere concludunt: neque huic iuri aduerſatur P. Bleſenſis *in epiſt. 19.* in qua vxorem quæ mortuum virum exiſtimans falſo rumore decepta ſe contulerat in monaſterium, & reuerſo marito egredi coacta fuerat, ac deinde mortuo eo non eſſe cogendam redire ad monaſterium, imò alteri nubere poſſe reſpondet: quod verum eſt, cùm reluctante vno ex maritis, aut cum errore votum caſtitatis emittitur.

## *DE CONVERSIONE INFIDELIVM,*

### TIT. XXXIII.

HIC titulus optimè ſubſequitur priorem, qui eſt de coniugatis Chriſtianis vitam religioſam capeſſentibus; iſte de coniugatis infidelibus, cui congruit optimè titulus *de diuortijs*, & vterque eundem fere ſcopum attingit: hic eſt de conuerſione infidelium, de his qui ob infidelitatem matrimonio diſcedentes vitam monaſticam amplectuntur agere debuit, nec tamen de voto mentio, ſed tantùm de diuortio: vnicum locum huic materiæ congruum reperio in *cap. vlt.* tituli ſuperioris, quod vt fugitiuum ad hunc titulum foret reducendum. in quo ſi iudicio Eccleſiæ dirimatur matrimonium, quòd vna pars infidelis ſit, vel in hæreſim delapſa, dirimitur matrimonium, ſeu potiùs fit ſeparatio; nec enim de nouis nuptijs cogitare poterit, licebit quidem ad monaſterium confugere, quamuis poſteà is qui deſciuerat ad bonam frugem redeat, vt ſcribit Gregorius IX. *in eo cap.* quod deſumpſit *ex cap. 2. hoc tit. in 2. compil.* ex quo etiam conflauit *caput 7. de diuortijs.* E contrario ſi ex duobus infidelibus, alter fiat Chriſtianus, hic poterit vitam monaſticam profiteri, quia & licet ei nouas nuptias ambire; contumelia Creatoris ſoluit ius matrimonij, & ideò non eſſe peccatum, ei qui dimittitur, ſi alij ſe iunxerit, refertur ex Gregorio in *can. ſi infidelis. 28. q. 2.* & *d. cap. 2.* quam tamen ſententiam Ambroſio potiùs tribuere quidam malunt, *ad cap. 7. Corinth.* cùm apud Gregorium non reperiatur: non ità eſt quando matrimonium inter fideles erat contractum, quia licèt contumelia ſit Creatoris ob ἀποστασίαν, & vnius diſceſſum, tamen fidei ſacramentum quod ſemel ſuſceptum eſt remanet, vt eſt in *d. cap. 7.* conſequenter rectè quæritur in *cap. vlt. hoc tit.* ſi alter infidelium fidem amplectatur,



Digitized by Google

cuius conditionem ſequi debeant nati, gen eraliter regula locum non habet, vt partus ventrem ſequatur; hoc enim reſpicit ſtatum & conditionem natalium, *l. partum. C. de rei vind. can. liberi. 32. diſt.* hîc in fauorem fidei Chriſtianæ fidelis parentis ratio habetur ob metum, ne infidelis filios in errorem abducat: ſumma ratio eſt quæ pro religione facit, *l. ſunt. ff. de religioſ. & ſumpt.* quo fit vt communis proles parenti conuerſo aſſignetur, *can. Iudæi. 28. q. 1.*

## *DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE,*

### TIT. XXXIV.

QVIA iam actum de voto monaſticæ religionis, conſequenter agendum de alijs votorum generibus, & quomodo redimi, vel mutari poſſint. Hic titulus præcipuè agit de peregrinationibus, quæ valdè in vſu fuere apud Chriſtianos; quarum excellentiſſima fuit Hieroſolymitana, quam laudat & magni facit D. Hieronymus in *epiſt. ad Paulam 19.* allato D. Pauli exemplo, qui illuc ſepulchri Dominici viſendi causâ conceſſit, vt patet *ex 20. Act. & 2. ad Galat.* quùm etiam ex omnibus orbis partibus illuc turba confluerct, vt ipſe ait *epiſt. ad Euſtochium 27. Cuius enim gentis homines ad ſancta loca non veniunt?* Ob tantæ peregrinationis dignitatem, votum hoc inter maiora cenſetur, à quo non poſſit, niſi à Summo Pontifice diſpenſari, vt colligitur ex *cap. 2. & 5. & cap. Ex multa. hoc tit.* quod & aſſerit D. Thomas *2. 2. q. 88. art. fin.* Summi quoque ponderis fuit votum proficiſcendi ad limina Apoſtolorum, ad quæ ex omnibus terræ finibus fit concurſus, vt refert Nicolaus I. *in epiſt. ad Michaëlem Imperatorem*: vnde vulgò omnes peregrini Gallicâ linguâ vocantur, *Romiers*, & noſtrâ Occitanicâ *Romieus.* Hos ab omnibus exactionibus immunes eſſe voluit Calixtus II. in Concilio Rom. *can. Si quis Romipetas, & can. illi qui. 24. q. 3. cap. 7. de hæret.* in prima compil. imò & omnia eorum bona quouſque rediјſſent *in pace & treuga* erant, vt loquitur Concilium Claromont. ſub Vrbano II. *& refert Vuillel. Tyrius lib. 1. de bello ſacro, cap. 15.* & Iuo Carnot. *epiſt. 173.* Quinimò in recognitionem ſummæ poteſtatis & Pontificiæ auctoritatis, quâ eminet Sedes Apoſtolica, omnes Epiſcopi ſemel ad limina Apoſtolorum pergere tenebantur, *can. iuxta. 93. diſt.* Siciliæ Epiſcopos ad id peculiariter conſuetudo adſtrinxerat, vt de triennio in triennium Romam irent, poſteà triennium in quinquennium verſum eſt à ſancto

Digitized by Google

Gregorio, vt conſtat ex eius *epiſtola 19. lib. 6.* Similiter & viſendi loca in quibus Martyrum, reliquiæ condebantur conſuetudo viguit. Galli poſt limina Apoſtolorum, celebriorem locum primis temporibus habuerunt Eccleſiam ſancti Martini apud Turones, vt ex *Concilio Cabillon. ſub Carolo Magno, cap. 44. & 45.* conſtat. Nunc verò nullus eſt locus in orbe Chriſtiano, qui æquâ veneratione coli poſſit cum templo D. Saturnini Toloſæ, in quod præter innumera Martyrum & Confeſſorum corpora, quorundam Apoſtolorum à Carolo Magno tranſlata eſſe creduntur: nec mirum ſi tantâ religione id obſeruatum, cùm innumeris miraculis Deus hæc loca illuſtrarit, & accedentes beneficijs ingentibus compenſarit. Sæpiùs ad Sanctorum reliquias velut ad oracula confluxerunt Chriſtiani, tum litium & controuerſiarum, cùm furtorum & criminum detegendorum causâ, vt de B. Felice narrat D. Auguſt. *epiſt. 137. Elegi*, inquit, *aliquid medium, vt certo placito ſe ambo conſtringerent ad locum ſanctum ſe peregrinaturos: multis notiſſima eſt ſanctitas loci vbi B. Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quò volui vt pergerent, quia inde nobis fideliùs ſcribi poteſt quicquid in eorum aliquo diuinitùs fuerit propalatum.* Vota igitur hæc tanti ponderis ſunt, vt nec ſperni, nec mutari facilè poſſint, eleemoſynis quidem redimi cum Eccleſiæ licentia poſſunt, *cap. 1. hoc tit. gloſ. in cap. Ex multa. hoc tit.* ait conuerti poſſe in vigilias, orationes, & ieiunia, *cap. Magna. hoc tit.* ſicut etiam conuerti poſſunt in alia longioris & durioris oneris vota, veluti religionis; quia illa ſunt temporaria & certis terminis reguntur; hæc totum vitæ tempus diuino mancipant obſequio, *cap. Scriptura. hoc tit.* nec poteſt dici votum frangere, qui in melius id commutat, *cap. Peruenit. de iureiur. can. Si aliquando. §. his. de penitentia. diſt. 1.* dummodò id fiat cùm licentia Abbatis & ſuperioris; aliter enim ex vno monaſterio in aliud licèt ſtrictius, migrare non licet, & qui id egerit, vt emanſor puniendus eſt, notâ aliquâ inuri ei debet in pœnam, quam Innocentius III. proponit vt in vltimum locum reijciatur, & ordine ſuo moueatur, quaſi capite minutus; exemplo decurionum *in l. 3. ff. ad l. Corn. de falſis*: & inſuper cucullam memorialem deferendam proponit *epiſt. 12. lib. 2. regiſt.* cucullam memorialem intelligo, quæ in ſignum & memoriam culpæ differat à reliquis: videnda Obſeruatio. Hanc autem voti redemptionem, alij compenſationem, ſiue recompenſationem vocant, & in quibuſdam exemplaribus hic titulus concipitur, *De voto, & voti compenſatione*: ità in Penitentiali Rom. quæ quidem compenſatio fieri debet iuxta penitentis qualitatem, vt eſt *in cap. 1.* Capitularium Iſaaci Lingonenſ. & apud Tertull. *lib. de penitentia. c. compenſatione redimenda*



Digitized by Google

*proponit iniquitatem.* In verſib. Metelli apud Caniſium to. 11.

*Pannis & caſeolis ibi ſe*
*Penſans diſtribuebat egenis*
*Lotus clarâ voce reſonat*

Plura in Obſeruationib.

## *DE STATV MONACHORVM ET CANOnicorum Regularium,*

### TIT. XXXV.

DE natura & qualitate votorum dictum ſuprà, nunc de conditionibus, & ſtatu eorum qui votũ profitentur; eſt enim ſtatus, hoc titulo, vitæ modus, ſeu *κατάστασις*, & forma viuendi peculiaris, quam vt expendamus diſtinctio adhibenda eſt inter monachos: quidam enim, vt ait D. Hieronymus *epiſt. 22.* ſunt Anachoritæ, alij Cœnobitæ. Illorum auctor S. Ioannes Baptiſta, & poſt eum D. Paulus, ἡσυχάστας vocat *Nouella v.* Iuſtiniani, quòd requiem & tranquillitatem mentis in ſolitudinibus & receſſibus quærant, & proprium latibulum, lauram, ſeu κέλλιον habeant, vnde dicti κελλιῶ), & κελλιωτικοὶ: ſiquidem laura & ἐρημὸς, ἡσυχαστήριον habitaculum ſecretum & reconditum ſignificare, ſcribunt Cedrenus & Euagrius *lib. 1. cap. 21.* & in Conſtitutionibus Phocæ: de his materia huius tituli non eſt, quia non omnino eundem viuendi modum quem alij ſeruant, nec refectorium, nec dormitorium commune habent, quamuis aliquando eidem Præpoſitò ſubijciantur, quem Archimandritam vocat *lex 7. C. de Summa Trinit.* imò nec certum ſtatum & propoſitum habent quo regantur, ſed vnuſquiſque ſibi peculiarem viuendi normam quærit, *can. Si cupis. 16. q. 1.* Cœnobitæ verò ſunt qui in vaſtis ſolitudinum receſſibus coniunctim & communiter degentes à commercio hominum ſeparantur, dicti monachi impropriè, eò quòd Eremitarum vitam ſectantes in vnum cœtum, & conuentum coaleſcere cœperunt, vt ex D. Hieronymo conſtat *in vita Pauli Eremitæ*; ideò dicti ſynoditæ in *l. 7. C. de Epiſc. audient.* Socrates *lib. 4. cap. 23.* ad exẽplũ Prophetarũ, quos Samuel habitare fecit vnius moris in domo, & cuneum Prophetarum nuncupauit *1. Reg. 10.* habitaculis tamen vnicuique diſtributis, quæ cœnacula vocat Anaſtaſius *in vita Gregorij II.* hos ex ſyluarum latebris primùm Athanaſium Romam inuexiſſe refert D. Hieronymus *epiſt. 28. ad Principiam*, cuius exemplo ceteræ ciuita-

tes eos aduocarant, vt Mediolanenſis ciuitas, teſte D. Auguſt. *lib.* 8. *Confeſſ. cap. 6. & de morib. Eccleſia, cap. 33.* D. Martinus in Gallias, Euſebius Vercellenſis in multas Occidentis partes, teſte D. Ambroſio *epiſt. 82. lib. 2.* & D. Auguſtinus per totam Africam, vt refert Poſſidius *in eius vita, cap. 11.* hi diu diſcreti & ſeiuncti à clero remanſerant, adeò vt ad clericatus ordinem aſpirare non poſſent, ſed vt laïci haberentur, *l. generaliter. 40. C. de Epiſc. & clericis*, relata in *can. Generaliter. 16. q. 1.* & arcebantur ab altaris ingreſſu, vt eſt in *Reſponſione prima* Synodi Conſtant. ex decreto *Synodi VI. in Trullo, cap. 69.* quo nulli, qui ſit in laïcorum numero, altare ingredi conceditur: quæ verba denotant monachos, qui licèt propriè non ſint laïci, perinde tamen vt laïci habentur, quò fit vt etiam pro delictis ſegregatione fidelium quam ἀφορισμὸν Græci vocant, ſicut laïci, puniantur; clerici vero καθαίρεσει, id eſt *regradatione*, nec minoribus clericis, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus æquiparantur, imò eis erant inferiores, quamuis eſſent præfecti monaſteriorum, *can. A ſubdiacono. 93. diſt.* & quod magis eſt nullus eorum primis temporibus ſacerdos fieri poterat, ſed omnes contemplationi vacabant, expertes Miſſarum ſacrificio, etiam in magnis feſtiuitatibus Paſchæ, vt docet P. Bleſenſis *epiſt. 86.* ne tamen tali beneficio & ſolatio priuarentur, indultum poſteà vt vnus in quolibet monaſterio ſacerdotij gradum adipiſceretur, cui celebranti reliqui poſſent aſſiſtere, & ab eo ſacramenta percipere, *can. Eleutherius. 18. q. 2.* Paulatim deinde eis conceſſum ad gradum ſacerdotij peruenire, quod primum ſtatuiſſe Siricium Papam ſcribit Luitprandus in eius vita, & conſtat ex eius *epiſt. relata in can. Monachos. 16. q. 1.* quos ſi capaces reperti fuerint, ad Ordines ſacros promoueri poſſe ſtatuit. Quam legem ſecuti ſunt deinde Pontifices alij, Innocentius, *in can. ſi monachus*, Gregorius, *can. moderamine, ead.* cum hac tamen conditione, vt ad clericatum accedentes monaſterium relinquerent, & habitandi in eo facultas adimeretur, vt eſt in *can. 3. Concilij Later.* ſub Gregorio, quia tunc temporis vnuſquiſque presbyter alicui Eccleſiæ ordinabatur, *can. Si quis monachus 16. q. 1.* quod non ità cauebatur aduersùs regulares, quibus olim licuit regimina Eccleſiarum ſuſcipere, *cap. vlt. ſup. tit. & cap. Quod Dei, hoc tit.* rationem reddit Iuo Carnotenſis *epiſt. 69. & 213. quia in primitiua Eccleſia nullus eſt conſtitutus rector animarum, niſi de communi vita aſſumptus*, can. *Scimus 12. q. 1.* hoc beneficio donati tandem ad omnia munia Eccleſiaſtica peruenerunt, *can. doctos, ead.* de qua re diu certatum inter monachos & clericos, his validè contradicentibus, & aſſerentibus monachos ſupra votum & profeſſionem hoc

ſibi ius arrogare: hac de re conqueritur grauiter Hugo Pontigniacenſis *in epiſt. ad Honorium Papam*: ſimul enim atque Ordines ſacros aſſumendi facultas illis data eſt, etiam Epiſcopalia & parœcialia iura exercere, prædicare, baptizare, penitentiam imponere, peccata ſoluere cœperunt, quod maximè illis B. Gregorius indulſit *d. can. Moderamine, & ſeq.* contra veteres Eccleſiaſticas ſanctiones in *Concil. Chalced. can. 4.* quod quidem eis licebat foris & extra monaſteria in Eccleſijs in quibus ordinati fuerant: ſic etiam intelligendum Concilium Later. de quo ſumptum *cap. 2. hoc tit.* intrà verò ſepta monaſteriorum nuſquàm olim eis licuit, ſed nec Epiſcopis Miſſam celebrare, vt teſtatur *Aimonius in vita Abbonis cap. 12.* hoc tamen etiam ipſis ſibi arrogantibus interdictum fuit à Calixto II. & Paſchali II. *in can. Peruenit. & can. Interdicimus. 16. q. 1.* nec ſinè magnis contentionibus id potuit ſopiri; cùm & confeſſionum & ſepulturarum ius habuerunt, & Miſſas cantare cœperunt, quod maximè illis erat vetitum, *can. luminoſo. 18. q. 2.* quia Miſſa publica olim in parœcijs tantùm canebatur, vt diximus ſuprà, *tit. de parœcijs*, quod vt impediretur multis opus fuit conſtitutionibus, & hac de re exſtat ampla conſtitutio Innocentij III. *in epiſt. ad Antipolitanum Epiſcopum, lib. 13. regiſtri*, quâ prohibet monachis Lerinenſibus aquæ benedictæ aſperſionem, proceſſiones, litanias, baptiſmum, ſepulturam, campanarum pulſationem antequàm in Eccleſia parœciali fuerint pulſatæ. Campana iuris parœcialis ſignum fuit: vnde & presbyteri, qui alicui Eccleſiæ incardinabantur per funem campanæ inueſtiebantur, Innocentius III. *lib. 1. epiſt. ad Niuernenſem Epiſcopum.* Tria igitur obtinuerunt monachi; primum vt ad Ordines promouerentur; ſecundum vt munia Eccleſiaſtica exercerent; tertium vt in parœcialibus Eccleſijs deſeruirent, permittente Epiſcopo, *can. Cùm pro vtilitate. 16. q. 1.* quæ omnia iura ab Epiſcopis accipiunt, & clerici facti, eius iuriſdictioni ſubijciuntur, *can. Abbates, & ſeq. 18. q. 2.* quamuis à lege diœceſana eximantur, *can. 1. 10. q. 1. & can. Inter. ead. q. 1.* iuriſdictio ſecum trahit correctionem & diſciplinam, *cap. 1. hoc tit.* quam Epiſcopus exercere poteſt in delinquentes, maximè negligente Abbate, vel Præpoſito, ad quem primario iure correctio pertinet, *cap. Quanto. de officio Ordinar.* niſi tunc demum cùm parœcijs inſeruiunt, quia tunc tam lege diœceſanâ, quàm iuriſdictionis Epiſcopo ſubſunt, *cap. 14. ſeſſ. 25. de regularib. Concil. Trident. can. Eleutherius. 18. q. 2.* hæc autem correctio ſpectat ad regulæ obſeruationem, quam potiſſimum in veſtibus, abdicatione proprietatis, cibis, ſilentio, & officijs conſiſtere conſtat *ex cap. cùm ad monaſterium. hoc tit.* veſtium quidem & forma, & modus

Digitized by Google

certus eſt, nec vti eis lineis camiſijs licet, ſed tantùm laneis, quod Gregorius IX. in conſtitutionibus Benedictinorum ſtrictè prohibet; laneæ enim veſtes conueniunt penitentibus & lugentibus, quales ſunt monachi, *cap. 2. inf. de homicid.* vnde eſt quòd exprobratur quibuſdam apud Auentinum 5. *Annal. Boiorum*, quòd ex laneis linei facti eſſent. Vſitatus etiam ex Camelorum ſetis veſtitus apud Paulinum *2. de vita, S. Martini.*

*Multis veſtis erat ſetis contexta cameli.*

*Et epiſt. 7. ad Seuerum, humiles horrentibus cilicijs* vocat: & Tertull. *lib. de pudicitia*, conciliatos, ſeu, conciliciatos, & concineratos. Color etiam maximè ſpectatur in veſtibus monachorum, qui pullus olim fuit, vt annotatum eſt à Cardinale Baronio *ad annum 393. cap. fin.* ſed ſucceſſu temporis, & multitudine creſcente monachorum, varietas colorum inducta eſt, vt alij ſint nigri, alij albati, alij variegati, habitâ certâ formâ & menſurâ vnicuique, ne confuſio habitus, confuſionem inducat Ordinum, vt ſcribit Innocentius IV. *in epiſt. ad fratres Eremitas S. Auguſtini*: omnes monachi in eo conueniunt, vt cucullam ferant, vel maſortem *Caſſianus lib. 1. cap. 7. capitium* poſterior ætas dixit, quod antiquitùs ſignificabat tegumentum quo mamillæ fœminarum operiebantur, vt Scaliger aduertit. Canonici verò regulares birros, pileos, & almutias, *Clement. 1. de ſtatu monach.* coronam in capite geſtant, ſed monachi ampliorem, totum fere caput radentes, in ſignum etiam mœroris & luctus, vt teſtatur Paulinus *epiſt. 7. & Saluianus lib. 8. de prouidentia.* Tam clerici quàm monachi præcinguntur zonâ, cingulo, vel baltheo quæ ſunt ſigna caſtitatis & obedientiæ, & eam zonam fuiſſe pelliceam ad exemplum Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ docet Germanus Patriarcha *in Theoria rerum Eccleſiaſticarum*, & Gaudentius Brixienſis *ſerm. 2.* Hieronymus *epiſt. 8. ad Demetrium.* Ciborum etiam qualitas præſcribitur, ne carnes comedant in refectorio, nec extra, niſi neceſſitate cogente; quod nominatim ſtatuitur de monachis S. Benedicti, *in d. cap. 6.* & confirmatum fuit *in Conſtitutionibus Cluniacenſium* à Gregorio IX. Nicolao IV. *& Clementina 1. hoc tit.* quâ ſanctione abutentes monachi liberè extra refectorium nullâ neceſſitate cogente edebant, talem licentiam arctauit Benedictus XII. *cap. 26.* prohibendo vſum carniũ à prima Dominica Aduentus, vſque ad Natalem Domini; & à Septuageſima vſque ad feſtum Paſchæ, quamuis olim omnibus monachis carnium eſus fuiſſet interdictus, *can. carnem. de conſecrat. diſt. 5.* monialibus vinum apud D. Hieronymum *epiſtola ad Euſtochium*: *Sponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno*: & in lib. de regulis

Digitized by Google

monachorum hanc abſtinentiam in monachis eò magis deſiderari ait, quòd apud Ægyptios ſacerdotes, & philoſophos Ethnicos ſummo pretio habita fuerit. Tertium quod iniungitur eſt proprietatis & peculij abdicatio, quæ in profeſſione nuncupatur, *can. non dicatis.* 12. *q.* 1. cuius tam ſtricta eſt obſeruatio, vt contra eam non tantum Abbas, ſed nec Summus Pontifex poſſit diſpenſare, vt eſt in fine dicti *cap.* 6. *hoc tit.* & *in Concilio Trident. ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 1. & 2. adeò vt ſi quis in extremis proprium quid habuiſſe repertus fuerit, ſepulturâ & fratrum communione priuandus ſit, *cap.* 2. *hoc tit.* & iam ſepultus exhumandus, ſi commodè fieri poſſit *cap.* 4. vel niſi inde ſcandalum moueatur, *cap. Sacris, de ſepulturis*: quod ſi viuus huius criminis reus quis repertus fuerit, excommunicatus eſt ipſo iure, Gregorij IX. conſtitutione. Nicolaus verò IV. grauiùs in eum animaduertit, vt per annum in priſtinum ſtatum redigatur, & nouus homo fiat, & coram conuentu in terra proſtratus comedat. Conſtitutione denique Benedicti XII. *cap.* 16. ſit inhabilis ad beneficium, prioratum, officium, & regimen quodlibet. Quartò exigitur in monachis ſilentium, quod S. Climacus inanis gloriæ hoſtem vocat, *gradu* 26. & ipſius Scholiaſtes, cuſtodiam virtutum, ideóque ipſum quidam maximo vitæ ſuæ tempore coluerunt, vt Theonas Abbas, quem triginta annis obſeruaſſe refert Palladius in *hiſtoria Lauſiaca*, & hoc iubet *can. placuit.* 16. *q.* 1. *Sedeat ſolitarius & taceat.* Quintò iniungitur cuſtodia caſtitatis, quæ inter præcipua vota reponitur, & à qua diſpenſare etiam Summus Pontifex non poteſt: hæc annexa fuit ſemper monaſticæ vitæ, & licèt digniores fuerint clerici etiam minorum Ordinum, tamen in hoc dignior conditio monachorum, quibus, ſicut in ſacris ordinibus conſtitutis, matrimonium interdictum eſt, *can.* 16. *Concilij Turon.* I I. *can. ſeriatim.* 32. *diſt. Nouell.* 5. *Iuſtinian.* Poſtremò addenda obedientia, de qua licèt non fiat mentio *in d. cap. Cùm ad monaſterium*: tamen eam tacitè ſubnotat Honorius III. *in cap. fin.* dum de contumacium & rebellium correctione tractat: eam abſolutam & omnimodam eſſe debere ſtatuit *can. Abbates.* 18. *q.* 2. Obedientia, citra vllam diiudicationem propriæ voluntatis renunciatio, definitur ab Antiocho, monacho cœnobij S. Sabæ, *homil.* 39. qui eam primum locum ſortiri ait, & olim eam præcipuam & primam fuiſſe virtutem apud Orientales monachos ſcribit Seuerus, *dial.* 1. Peruicaces, incontinentes, & voti infractores grauiter puniri debere per Abbates carcere, vel exſilio, vel aliquâ aliâ penitentiâ ſtatuitur *in d. cap. fin.* Regula S. Benedicti huiuſmodi tranſgreſſores zonâ ad collum appensâ, genibus flexis, ſiſti iubet ad portam refectorij, vt videre eſt

eſt in eius Conſtitutionibus; cingulo enim honoris, & Ordinis priuabantur, *Concilio Hiſpal. II. anno 657.* ſumpto more antiquorum, quo virgines corporis dedecus paſſæ, zonâ ſuſpendebantur; & cum nuptui dabantur zonam ſoluebant, quæ nodus erat virginitatis, vt notat Interpres Apollonij Tyrij. Falſi iudices, & militestransfugæ per zonæ, vel cinguli detractionem exautorabãtur, apud *Caſsiodor. in pſalmum 29.* & Val. Maximum *lib. 11. cap. 7.* Quòd ſi Abbates & præpoſiti in huiuſmodi exceſſibus corrigendis ſegnes fuerint, viſitatores denuntiabunt Epiſcopo, cuius proprium munus regere monaſteria, vt ait D. Ambroſius *epiſt. 82. lib. 10.* vel Summo Pontifici, ſi exemptum fuerit Monaſterium, vt eſt *in cap. 222. lib. 6. Capitul. Caroli Magni, l. 40. C. de Epiſc. & clericis.*

## *DE RELIGIOSIS DOMIBVS, VT EPISCOPO ſint ſubiectæ,*

### TIT. XXXVI.

NON ſolùm perſonæ, ſed etiam domus religioſæ ſubijci debent Epiſcopo, quæ non poſſunt extrui abſque eius licentia, *can. omnes Baſilicæ. 16. q. 7. ſecundùm antiquos canones*, inquit; propterea quòd in *can. Apoſtolorum, 34.* ſtatuitur Epiſcopum vniuſcuiuſque gentis eſſe caput; ità vt nihil arduum, & magni momenti præter illius mentem fieri poſſit, *can. 4. Concil. Chalced.* ob audaciam quorumdam id factum, qui oratoria & monaſteria eo inconſulto conſtruebant. Epiſcopus habet poteſtatem & curam totius diœceſis, quam *canon 9. Syn. Antioch. vocat regionem, quæ vrbi Epiſcopali ſubeſt,* πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν. Ciuitas Epiſcopi dicitur, non tãtùm vrbs mœnibus & pomœrijs cincta, vt in *l. 2. ff. de verb. ſignif.* ſiue cùm ſuburbijs & continentibus ædificijs, *cap. Si ciuitas. de ſentent. excomm. in 6.* ſed etiam omne territorium & regionis ambitus ei adſcriptus, vniuerſitas agrorum, vicorum, & coloniarum, prout definitur in *l. fin. de iuriſd. omnium iud.* & de Præfecto vrbi dicitur in *l. 1. de Præf. vrbi,* qui iuriſdictionem habet intrà centeſimum milliare, & hoc ſpatium vrbi adſcribitur: ideò Epiſcopus non tantùm dicitur vrbis, ſed etiam territorij Epiſcopus, *l. Monaſteria. 40. C. de Epiſc. & clericis:* ſimili ſenſu refert Xiphilinus Seuerum Imperatorem vrbem, omnémque regionem Perinthijs conceſſiſſe, *vt vicum Byzantium* τὴν πόλιν, καὶ τὴν χώραν ἐχαρίσατο. Intrà hoc territorium vltra

licentiam Epiſcopi domus religioſa poni non debet; domus religioſæ nomine cenſetur templum, Baſilica, Κυριακὸν à Zonara in *can. 28. ſynodi Laod.* non quòd, vt quidam cenſent, à Regibus & principibus dominis eſſet fundatum, ſed ab ipſo omnium Domino, vt refert Euſebius *in vita Conſtantini*, & Rufinus *1. Hiſt. cap. 3.* hoc autem nomine cenſeri tantùm Cathedrales, & matrices Eccleſias quidam annotarunt; quod omnino non eſt reijciendum, tum quòd ceteræ Eccleſiæ parœciales in quibus Epiſcopi ſedem non habebant, eiuſdem tamen diœceſis Eccleſiæ, vel Templa propriè dicerentur; quæ verò vſui cederent monachorum neutro vocabulo nuncuparentur, ſed oratoria ſimpliciter, vel domus oratoriæ *cap. 6. ſuprà, de ſtatu monach. can. 4. Concilij Chalced.* Altaria quoque hoc titulo comprehenduntur, quæ erigi etiam paſſim non poſſunt citra Epiſcopi licentiam, quod à ſynodo Carthag. ſtatutum eſt, *can. 86. & can. placuit. de conſecrat. diſt. 1.* propter zelum iniquum, ſeu potiùs dæmoniacum afflatum, quo moti ruſtici temerè in honorem Martyrum dicabant, non habentes reliquias, vt ſcribit Balſamon. Quæ altaria memorias dici, martyria, confeſſiones, vulgatum eſt, ex *can. vlt. Syn. Gangren. &* Anaſtaſio Bibliothecario. De cœmeterijs idem dicendum eſt, erant enim ædes in quibus condebantur oſſa Martyrum, Caſſiod. *tripart. hiſt. cap. 3. lib. 5. Populus ieiunans eſt egreſſus ad cœmeterium orationis causâ*: ab his templorum originem manaſſe quidam cenſuerunt; nam & D. Hieronymus *lib. de locis Hebraicis*, ſcribit ſub ipſam Lazari tumbam ædificatam fuiſſe nobilem Eccleſiam: quod verum eſt de templis tantùm in honorem Martyrum dicatis, præter quæ Chriſtiani Eccleſias tempore D. Petri habuerunt, antequàm memoriæ Martyrum conſtruerentur; nam & Linus præcepiſſe fertur, vt fœminæ velatæ eſſent in Eccleſijs apud eundem Anaſtaſium, quæ quidem Eccleſiæ ex priuatorum ædibus confectæ ſunt, & ideò ſacræ ædes vulgò, & religioſæ domus dictæ fuerunt: reperimus etenim Pudentis Senatoris, & diſcipuli Petri domum ad ſacrum cultum fuiſſe conuerſam, & Euphemiam matronam domum ſuam in titulum erexiſſe *epiſt. 1. Pij Papæ.* Sunt præterea alia loca quæ domibus ſacris, & religioſis annumerantur, *hoc titulo*, loca nempe ad hoſpitalitatis vſum deputata, *cap. Adhæc. hoc tit.* quæ non ſunt ſacra, ſed religioſa: differentiam agnoſcimus ex iure ciuili inter rem ſacram, & religioſam, *§. ſacræ. Inſtit. de rerum diuiſ.* & *ex Varrone in Verrio Flacco*: ſed diuerſo ritu, vt dicetur infrà *de Eccleſijs ædific.* religioſa loca ſunt noſocomia, ptochotrophia, xenodochia, & ſimilia quæ recenſentur *in l. Sancimus. C. de ſacroſ. Eccleſ.* & in *rubrica, C. de Epiſc. & cleric.* quæ & diceban-

tur *χοιμητήρια* in quibus peregrini & ſenes infimi recipiebantur, & dormiebant apud *Athenæum lib. 1. cap. 5.* hæc omnia ſubſunt Epiſcopo, & erigi eo inconſulto non debent, *cap. 3. hoc tit.* licèt quidem vnicuique laico priuatim habere oratorium, & hoſpitale in proprijs ædibus, dummodò in eis altaria non erigantur, nec officium Miſſæ celebretur, nec formam Eccleſiæ gerat, *can. clericos. de conſecrat. diſt. 1. Nouel. Iuſtiniani 58.* ſolus Epiſcopus poteſt facere locum ſacrum, conſecratione ritè, & ſolenniter factâ, & conſtitutione, vel religioſum deſtinatione, *d. cap. Ad hæc.* quæ omnia pertinere ad legem diœceſanam, ſiue iuriſdictionis Epiſcopi ex Concilio Ilerden. refertur *in can. 1. 10. q. 1.* ità vt nullus Corepiſcopus, vel presbyter poſſit iure proprio altaria erigere, & Baſilicas conſecrare, *can. 7. Concilij Hiſpal. II.* virgines conſecrare vel benedicere, *can. 8. Concilij Vuormac.* Olim quidem nec id ius Epiſcopi ſemper habuerunt, ſed ſolus ſummus Pontifex, qui eis licentiam dabat: hoc Epiſcopis ademit Gelaſius I. *can. de locorum, & duobus ſequentibus, de conſecrat. diſt. 1.* rationem reddit Luitprandus in eius vita; *Quia multi eo in tempore etiam in nomine infidelium defunctorum conſtructiones ædificabant, & ſacris proceſſionibus audacter inſtituebant*: quod confirmat etiam Socrates *lib. 2. cap. 8. Eccleſ. Hiſt.* & locum habuit tempore D. Gregorij, à quo etiam facultas conſecrandi Eccleſias petebatur, *vt ex epiſt. 14. lib. 12. regiſtri, & epiſt. 18. lib 11.* patet. Pertinet quoque ad Epiſcopum cura & diſpenſatio prouentuum tam Eccleſiarum, quàm ædium religioſarum, & venerabilium, & hoc ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ, *can. Sic quidam, & ſequentib. 10. q. 1.* de xenodochiorum & religioſarum domuum diſtributione, & cura idem ſtatuitur in *Concilio Aquiſgran. cap. 141.* conſtituendi ſunt enim œconomi qui negotia, & res gerant, & ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis rationes referant Epiſcopo, vt ait Iuſtinianus *in l. Omnem. 42. C. de Epiſc. & cleric.* regiæ quoque ſolicitudinis hoc eſſe conſtat ex *can. 40. Concilij Meldenſ.* ſunt enim viduæ, orphani, & minùs potentes ſub mundeburde, ſeu tuitione regum, *cap. 223. lib. 6. Capitul. Caroli Magni.*



Digitized by Google

## DE CAPELLIS MONACHORVM, *& aliorum Religioſorum,*

### Tit. XXXVII.

SATIS demonſtratum fuit quo pacto monachi & regulares clerici ad Eccleſiaſtica munera peruenerint, quibus etiam licuit proprias Eccleſias & parœcias habere, dummodò in eis presbyter adhiberetur, qui curam populi ſumeret; ſed quia idipſum etiam ſibi vindicabant, meritò adiectus eſt titulus, quo oſtenditur monachos ſæpius oratoria, & Capellas inſtituiſſe & iure proprio poſſediſſe, in quibus ipſi munia parœcialia obibant; ideò prouiſum huic incommodo fuit ab Vrbano II. in *Concilio Claromont.* & nouiter ſtatutum, vt populus per Capellanum hiſce Capellis præfectum regatur, *cap.* 1. *hoc tit.* cuius tamen inſtituendi facultas monachis remaneat, quos præſentare Epiſcopis debeant, *cap. 3. infrà, de priuileg. cap.* 3. *hoc tit. in prima compil.* his conſenſit Vrbanus, licèt inuitus, eò quòd iure eas Capellas tenere monachi non poſſent, quas eis acquiſitas, ratas, & inconcuſſas permanere vult, propter ineuitabile ſcandalum: *hoc tamen tenore, ne inconſultis Epiſcopis in poſterum talia præſumant*, vt eſt in integra decretali *in prima compil.* quod poſteà ſeruatum non fuit, ſed in locis ad monachos pertinentibus monachi plebis regimen continuarunt, ideóque *in cap. fin.* vetat Honorius III. ne liceat illic aliquem ſolitarium morari ſinè ſocio, ſed eis alius adiungatur, aut verò Eccleſiam per clericos ſeculares deſeruiant iuxta Lateran. Concilium *cap. 2. ſuprà, de ſtatu monachorum*, etſi reſcripto Apoſtolico id eis conceſſum fuerit, niſi ab eo derogetur dicto Concilio *cap. ex parte, hoc tit.* Sed cur hic titulus cùm in eo ſit quæſtio de plebium cura, concipiatur de Capellis, non verò Eccleſijs, cùm certum ſit Eccleſias dici in quibus conuentus ſit Chriſtianorum *ad Rom. cap. 16.* ideò quòd vt ſuperiùs dixi non ſinè magnis contentionibus monachi ad earum gubernationem admiſſi olim fuerint, nec illis licuerit vlla templa poſſidere, ſed tantùm oratoriola, ſiue Capellas ità dictas ob clericum, ſiue Capellanũ, quem in eo inſtituere tenebantur. Quapropter rectè in tertia compilatione hic titulus concipitur *de capellis clericorum, & monachorum.* Contenti erant monachi hiſce ædiculis, quæ ità humiles erant, vt tabernis, ſeu pergulis negotiatorum ſimiles eſſent dictæ Capellæ, quas καπηλεῖα vocat Iulius Pollux, &

Digitized by Google

Heſychius χαπέλλω, quaſi dicas σηκὸν, *tentorium*, *ſtabulum*, *templum* apud Plutarchum, quo quidem vtuntur vt plurimum mercatores in nundinis: ſimiliter enim erigi ſolebant ſacella portatilia, maximè in caſtris, vt teſtatur Vincentius Bellouac. *lib.* 32. *cap.* 92. quibus ad Miſſas celebrandas vtebantur presbyteri, qui Principes ad bellum proficiſcentes ſequebantur, vnde dicti Capellani: ea Capella portatilis dicitur motorium templum *Tripart. hiſt. lib.* 1. *cap.* 9. & Miſſæ quæ in his tabernaculis celebrabantur, dicebantur Miſſæ caſtrenſes, vt refert Genebrardus *in Chronicis ad annum* 315. Poſſumus etiam deriuare Capellam à priſco vocabulo Gallico, *chape*, id eſt, toga: vnde *chapeau*, quia totum hominis caput tegit; & apud Vaſcones *caperan*, vel, *capelan* ſit tegere: *caperade*, vel, *capelade*, ſit locus tectus & coopertus: loca ergo ſacra quòd tecta ſint dicta, *Chapelles*; & detractâ aſpiratione *capelles.* Confirmatur ea opinio ex eo, quòd capſa in qua conditæ erant reliquiæ, dicebatur capella: Marculphus *lib.* 1. *formula* 38. *Tunc in palatio noſtro ſuper capellam Domini Martini debeant coniurare.* Non reijcimus tamen ſententiam Vualafridi Strabonis, qui Capellanos à cappa S. Martini deducit: Honorius in *ſermone de S. Martino. Huius*, inquit, *cappa Francorum regibus ad bella euntibus pro ſigno anteferebatur, & per eam hoſtibus victis victoriâ potiebantur: vnde & cuſtodes illius cappa, vſque hodie Capellani appellantur.* Tanta fuit veneratio illius cappæ, vt hoc obiter dicam, vt cuſtodes Capellani, & locus vbi ſeruabatur, inde dictus fuerit Capella. Sic in Hiſpania, tunica S. Vincentij ſummo fuit in honore, & in bellis delata, apud *Adonem Vienn. Chronic. ætate* 6. Sacelli etiam nomine donamus Capellam, quia vt refert Iſidorus, templum, ſeu ſacrum eſt maior Eccleſia: ſacellum ædicula, ſeu priuata domus: quod notat etiam Paulus *in l.* 9. *ad l. Iul. pecul. Sunt ſacrilegi* inquit, *qui publica ſacra compilarint; at qui priuata ſacra, vel ædiculas incuſtoditas tentauerint, ampliùs quàm fures, minùs quàm ſacrilegi*: per *ædiculas* intelligit Paulus, lares domeſticos, non vt voluit Accurſ. Capellas Chriſtianorum, quod & reperio annotaſſe virum doctum Mendozam ad Concil. Illiberitanum. Trebatius verò ſacelli originem non à ſacro ſolùm deducit, ſed quaſi compoſitum verbum vocat *ſacram cellam*, vt ex eo refert *Macrobius lib.* 3. *cap.* 4. quaſi dicat locum paruum Deo dicatum; locellum, in quo etiam aptantur ſtatuæ, vel aues, teſte Ariſtotele, & hoc ad differentiam templi, quod ſacrum dicitur & magnum ἱερὸν, quod vtrumque ſignificat; quaſi templum dicatur vbi frequentia populi eſt, & magnis vſibus ſit deſtinatum; ideò Vlpianus & Martianus *in l.* 6. & 9. *de rerum diuiſ.* ſacrum definiunt, *quod publicè conſe-*



Digitized by Google

*cratum eſt*. Sicut ergo ſuperioribus titulis demonſtratum, Eccleſias & domos religioſas non ab alio quàm Epiſcopo inſtitui, & fundari poſſe; ità nunc à monachis ædiculas & Capellas erigi non poſſe, *can. Sanè. 16. q. 2.* erectas tamen eis conſeruari, dummodò in eis Capellanos ponant, quos præſentent Epiſcopis, & ità ius eis conſeruetur præſentandi presbyteros, quorum ſint inueſtitores, vt loquitur, Gregorius *in can. Viſis. eâdem quæſt.* & ità ius patronatus acquirant, de quo ſequenti titulo.

## *DE IVRE PATRONATVS,*

### TIT. XXXVIII.

IVs patronatus ignotum fuit primis Eccleſiæ temporibus; & prærogatiuæ quibus gaudent nunc fundatores Eccleſiarum ſenſim & furtim irrepſerunt, conniuentiâ ſcilicet ad excitandos fidelium animos, vt teſtatur Innocentius III. *in cap. Quoniam. hoc tit.* Duo præcipuè ad id ius habendum pleroſque impulerunt, ambitio & auaritia; qui enim Eccleſias conſtruebant olim, præcipuè ſibi arrogare voluerunt bonorum Eccleſiæ collatorum diſpenſationem; tum etiam clericorum ordinationem, ſeu inſtitutionem, quorum audaciam primùm repreſſam à Pelagio II. comperimus, *in can. Abbatem. 18. q. 2.* & à Concilio Toletano III. ipſius temporibus congregato *in can. Nouerint. 10. q. 1.* tunc enim dotem Eccleſiæ ab ordinatione Epiſcoporum tollebant, imò & reditus ſibi proprios faciebant, quod vetitum Concilio Braccar. *can. 6. relato in can. Si quis. de conſecrat. diſt.* 1. ſed & multò anteà Concilio Ilerd. *in can. 1. 10 q. 1.* Præcipuum quod fundatores habuerunt ex conſenſu & conſtitutionibus Eccleſiæ, fuit electio & nominatio clericorum, *d. can. Abbatem.* Concilio Toletano *IX. in can. decernimus. 16. q. 7.* vulgata inſcriptio habet ex Concilio Tolet. IV. ſed malè. Hoc etiam ſuis edictis cauit Iuſtinianus *Nou. 57.* in fine, *& 128. cap. 18.* Gelaſius poſteà omnia iura fundatoribus adimere voluit, ſolo aditu proceſſionum relicto, ſicut licet ceteris Chriſtianis, *can. Piæ mentis, & can. Frigentius. 16. q. 7.* ſiquidem multi ædificantes oratoria, & ædiculas ſacras in Martyrum honorem, publicos conuentus & proceſſiones inſtituebant, quod Gelaſius prohibuit in *can. Certum. de conſecrat. diſt.* 1. & apud Luitprandum in eius vita: *Multi*, inquit, *conſtructiones ædificabant, & ſacris proceſſionibus inſtituebant*, ideò in *d. can. Piæ mentis*, ſtatuit non alias pro-

ceſſiones fieri poſſe quàm publicas, quibus ipſi ſicut alij Chriſtiani intereſſent, quod etiam prohibuit Iuſtinianus *No. 123. c. 32. ne laïci faciant* τ̃ λίτλω, quam δημοσίαν πρόοδον vocat, id eſt, *publicum proceſſum No. 67. c. 1. & Iulianus Anteceſſor in Nouellis*: prætendebant ipſi fundatores gradum, auctoritatem & dignitatem, non tantùm in ordinatione & electione clericorum, diſpenſatione, & perceptione redituum, vt dixi; ſed etiam ius procedendi in conuentibus & cœtibus fidelium, ſicut Epiſcopi, & alij prælati habebant; quæ cauſa fuit cur Gelaſius tam acriter cum his egerit. Proceſſionũ autem ordinem, tum honorem qui prælatis deferebatur agnoſcimus ex *Tertull. lib. de præſcript. aduerſùs hæret.* & D. Auguſt. *22. de Ciuit. Dei, cap. 8.* proceſſiones erant ſupplicationes ſolennes cum hymnis & canticis apud D. Gregorium *lib. 2. epiſt.* Græci λιτανείας vocant, quibus intereſſe ſolebant reges, principes & magiſtratus, & ad campos vſque ſequi ſacerdotes, vt ſcribit, *Zonaras 3. Annal.* primis quidem temporibus erant antelucanæ, teſte Sidonio *epiſt. 17. lib. 5.* & in his omnes Chriſtiani non miſcebantur, ſed in varios cœtus diſtribuebantur, vt optimè demonſtrat Gregorius, *epiſt. 2. lib. 11. Erat litania alia clericorum, alia monachorum, alia virorum, alia fœminarum, alia monialium, alia viduarum, alia infantium, & pauperum.* Patroni ſeu fundatores peculiarem litaniam à reliquis ſeiunctam parabant, quæ cauſa fuit Gelaſio eos in litaniam ceterorum fidelium redigendi, quod ità percrebuit vſque ad tempora Alexandri III. qui *in cap. Nobis. 25. hoc tit.* proceſſionis, ſeu potiùs præceſſionis honorem patronis indulſit poſt clericos, qui primi ſemper ſunt, *cap. 1. de vita & hon. cleric.* laïci verò ſunt poſtremi, quos honorem etiam conſeſſus clericis dare debere ſcribit Tertull. *lib de exhortat. ad caſtitatem, cap. 7. Differentiam,* inquit, *inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo,* vt zelus Chriſtianorum excitetur ad Eccleſias conſtruendas, & opibus ſubleuandas. Tandem eis quaſdam prærogatiuas tacitus magis Eccleſiæ conſenſus, quàm lex generalis indulſit ijs omnibus, qui vel conſtructione, vel dotatione, vel ſoli conceſſione Eccleſiam iuuant, vnde verſus,

*Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

Quibus munificentiæ modis ius patronatus acquiritur, & patronus fit quaſi dominus, & vocatur dominus in *can. Abbatem. 18. q. 2. l. 1. C. de colonis Thracen. l. vnicâ. C. Theod. Ne colonus inſcio domino*: vnde factum eſt vt Reges & Duces omnium Eccleſiarum in ſuis ditionibus ſeſe patronos aſſeruerint, ratione ſoli, ſeu fundi, quamuis eæ ſint Cathedrales, vel Collegiatæ, vel monaſteria, *cap. Cùm terra. de electione*, & eo ſen-

Digitized by Google

ſu Vualdemarum regem Daniæ hoc iure vti potuiſſe, licèt noluerit, ſcribit Alb. Krantzius *lib. 6. Daniæ.* Cum patronatus honore, onus etiam ſuſcipere tenentur patroni; quippe ad patrocinium & curam Eccleſiarum tenentur, *can. filijs, & ſeq. 16. q. 7.* ob quod etiam in locum Defenſorum & Aduocatorum ſæpius ſucceſſerunt; fuerunt enim primitus in Eccleſia defēſores, ἔκδικοι in Cōcil. Chalced. qui per vniuſcuiuſque ciuitatis incolas eligebantur, vt notat Balſam. *ad can. 78. Concil. Carthag.* In Eccleſijs vero priuatorum donis conſtructis, non alij cœperunt aſſumi defenſores, quàm ipſi fundatores, quos ideò & patronos & aduocatos vſus appellauit, *cap. Præterea, & cap. Cùm autem, hoc tit.* & patronatus ipſe aduocatia dictus eſt, *cap. Quia. hoc tit.* & apud Matthæum Paridem. Fuiſſe tamen diſtinctos patronos à defenſoribus, poſtremis etiam temporibus, colligendum videtur ex *d. cap. Præterea,* quod non negandum pro ratione Eccleſiarum. nam in quibuſdam erant patroni, in alijs erant Vicedomini, Cuſtodes, vel guardiam habentes; ſed hi omnes aut erant re verâ fundatores, aut fundatorum vicem gerebant, & vario nomine pro varietate locorum vocabantur; *Aduocati & defenſores* apud Krantzium *lib. 11. cap. 4. Saxoniæ, lib. 7. cap. 9. Metropol. cap. In quibuſdam. de pœnis, cap. Generali. ſup. de elect. Cuſtodes, & Guardiani,* ἔφοροι apud Balſ. *ad can. 1. Synodi Conſtantinop.* Cuſtodia, dicitur guardia à vocabulo Germanico *Vuart,* quod diligentem corporis cuſtodiam ſignificat: dicti etiam Vicedomini, quaſi domini locum tenentes, *can. Diaconum. 89. diſt.* Caſtaldi, qui domini loco prædium ſeruant, *tit. 2. lib. 11. feud.* Sunt prætereà Oeconomi de quibus *in d. cap. Præterea,* non fit mentio, quos tamen comprehendere debemus his verbis, *ſeu quocumque alio nomine cenſeantur. Manſionarij & Paramonarij* in *l. 46. C. de epiſc. & cleric.* qui ſunt villici, ſeu actores poſſeſſionum, *can. 1. Concil. Chalced.* Sed inter hos omnes ſupradictos diſcrimen ſemper fuit; ſiquidem Aduocatos, defenſores, patronos, guardianos licèt promiſcuè vſurpatos reperiamus; tamen ab Oeconomis, Vicedominis, māſionarijs, & actoribus longè diſtare certum eſt: quandoquidem illorum cura leuior, horum grauior fuit: illi è laïcis potuerunt aſſumi; hi tantùm de proprio clero, *can. Quia in quibuſdam. 89. diſt.* Porrò ipſi omnes, licèt non eſſent clerici, tamen clero adnumerabantur, adeò vt eos promouere per pecuniam crimen eſſet, vt eſt *in can. 2. Concilij Chalced.* vnde conſequenter ſupra reliquos laïcos nonnullis honoribus & prærogatiuis fruebantur. Epiſcopi enim, Chorepiſcopi, presbyteri, diaconi ordinabantur; reliqui verò clerici charactere deſignabātur, Defenſores, Oeconomi, & reliqui officiales promo-

uebantur,

uebantur, & hæc promotio illis honor erat & dignitas, vt ſcribit Balſamon. Hinc factum fuit, vt fundatores ad illorum exemplum eadem iura prætenderint, quibus reſtitit diu Eccleſia, donec tandem æquitas ſuaſit illis aliqua indulgere, ne aliter charitas fidelium refrigeſceret. Igitur præter curam & defenſionem Eccleſiarum, & clericorum præſentationem patronis datam, vt ſi quando ad inopiam vergant de reditibus Eccleſiæ eis prouideatur *can. Contrà, & can. Quicumque. 16. q. 7. Cùm in officijs, ſuprà, de teſtament.* Eccleſia enim quantùm ad res & poſſeſſiones quaſi liberta eſt fundatorum, exemplo liberti qui tenentur alere patronum ſuum & manumiſſorem, *l. Si quis à liberis. §. ſolent. de liberis agnoſc. l. 5. C. de alendis liberis.* Creuerunt ſucceſſu temporis prærogatiuæ patronorum; ſiquidem & hodiè ſedis eminētioris & ſepulturæ locum nobiliorem ſibi conſtituunt. Præter hæc ſi quæ alia ſunt, magis conſuetudo quàm ius probauit, vt ſunt tributa, cenſus, & exactiones, quarum non poteſt patronus vllam ſpem concipere, niſi nominatim initio fundationis reſeruauerit, quod fit conſentiente Epiſcopo ante Eccleſiæ conſecrationem *d. cap. Prætereà, & cap. 3. Ne prælat. vices ſuas.* aliter non ſufficit patroni reſeruatio, *cap. Cùm dilectus. de conſuetud.* quia per ſe onera Eccleſiæ imponere non poteſt, *cap. 4. hoc tit.* Similiter non poteſt patronus tempore vacationis fructus ſuos facere, niſi id ità quoque exceperit, vt notat Gloſſa *in d. c. Generali de elect. in 6.* hinc nata regalia vacantium Epiſcopatuum & Abbatiarum, quaſi reges & Duces initio reſeruauerint. Quibus caſibus exceptis, non poſſunt patroni quidpiam exigere ſub pœna anathematis, vt Alexander III. ſtatuit in *Concil. Later. d. cap. 4. & cap. Prætereà. 23.* quæ conſtitutio facta fuit præſente Friderico Ænobarbo Imp. ex conſilio Cardinalium, vt oſtendit initium *cap. Ad abolendam. de hæret. in prima collect.* Ergo præcipua patronorum prærogatiua in præſentatione conſiſtit, non merâ conceſſione *cap. fin. hoc tit.* Epiſcopi quidem neceſſarius eſt conſenſus, adeò vt ij excommunicentur, qui à laïcis tantùm Eccleſias capiunt irrequiſitâ Epiſcopi audientiâ, id eſt iudicio, & eas ſtatim reſignare cogantur. *cap. Relatum. hoc tit.* & hæc præſentatio non extenditur generaliter ad omnes Eccleſias, ſed tantùm ad Capellas, & Oratoria, non ad Conuentuales & Collegiatas; ità vt ſi quis ius patronatus in Capella habuerit, quæ poſteà populi conſenſu & frequentiâ parœcia facta fuerit, amittet facultatem eligendi & præſentandi plebanum; ſed ne prætermitti per ingratitudinem videatur, aſſenſus eius requiretur, *cap. Nobis. hoc tit.* & latiùs in *ſecunda collect.* Quod ſi hoc initio cauerit priuilegio ſpeciali, non adimetur ei ius præſentandi, *arg. Can.*



Digitized by Google

*Eleutherius.* 18. *q.* 4. communiter ſcilicet cum clericis, *can. Hinc eſt.* 16. *q.* 1. quamuis id contra ius, vt laïcus cum clericis eligat, vel præſentet, *cap. Sacroſancta, & cap. Meſſana. ſup. de elect.* Sicut autem patronus ſinè Epiſcopi inſtitutione neminem Eccleſijs præficere poteſt; ità nec Epiſcopus ſinè præſentatione patroni, niſi poſt negligentiam quatuor menſium, ſi patronus ſit laïcus, ſex menſium ſi Eccleſiaſticus, *cap. Eam te, & cap. Cùm propter. hoc tit.* quæ prima eſt differentia; alia eſt quòd primus præſentatus à clerico potior ſit in iure; vltimus verò præſentatus à laïco, *cap. Cùm autem, hoc tit.* Patrono Eccleſiaſtico inuito poteſt legatus à latere conferre, non verò inuito laïco, *cap. Cùm dilectus. hoc tit.* Romanus Pontifex ex plenitudine poteſtatis ſuæ *d. can. Cuncta. & can. vlt. 9. q. 3.* poteſt tam Eccleſiaſtico, quàm laïco derogare, ſi hoc ſpecialiter adiectum ſit in reſcripto; nam aliter non præſumitur velle ius ſuum cuiquam tollere, *can. Ecce. & ibi gloſſ. 90. diſt.* In Gallia tamen derogatio iuris patronatus laïci non ſeruatur. Differt etiam patronus laïcus ab Eccleſiaſtico, quòd ille ſi indignum præſentauerit, non ideò priuetur iterum facultate præſentandi, *cap. 4. ſuprà, de offic. ordinar.* variare enim poteſt, *cap. Cùm autem. hoc tit.* dummodò ſcilicet primi præſentatio non iam ſit probata Epiſcopo, *cap. Quòd autem. hoc tit.* ſi enim liceret à præſentatione effectum ſortita recedere, illuderetur ſæpe diœceſano, *cap. Bona. §. Nec obſtabat. de poſtuland.* Eccleſiaſticus verò pro ea vice priuatur, *cap. 7. §. fin. ſupra, de elect. cap. 11. infra, de exceſſib. præl.* quæ ratio non aliundè petenda eſt, quàm ab eo quòd ius patronatus Eccleſiaſticum, eſt merè ſpiritale, imò eſt beneficium, quod nullo modo vendi, donari, vel alienari poteſt: laïcum verò ius non eſt ſpiritale, ſed ſpiritali annexum, & potiùs religioſum, quàm ſacrum, & ideò licèt ſeparatim vendi non poſſit, tamen cum vniuerſitate alienari poteſt, *cap. De iure. hoc tit.* Communia verò quædam ſunt vtrique patrono, nempe vt in diſſenſu maioris partis calculo eius ſtetur *cap. 1. 2. & 3. hoc tit. cap. 1. de his quæ fiunt à major. part. cap.* vt inſtitutus per nouum patronum non poſſit inuitus mutari, *cap. Querimoniam. hoc tit. Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 12.* reliqua quæ ad *d. cap. præterea* pertinent, in *ſeq. titulo expenduntur.*

Digitized by Google

## DE CENSIBVS, EXACTIONIBVS, *& procurationibus,*

### TIT. XXXIX.

SVPERIORI titulo actum de oneribus, quæ Eccleſijs incumbunt ob ius patronatus; nunc agitur ſpecialiter de tributis quibus obnoxiæ ſunt Eccleſiæ, non tantùm patronis, ſed etiam prælatis in ſignum & probationem ſubiectionis, *cap. Omnis. hoc tit.* Varia ſunt genera tributorum, quorum mentio in *cap. Præterea. ſuperioris tituli*; & tamen eorum tractationem meliori conſilio in hunc reiecimus: quia non ſolùm à patronis, ſed etiam alijs perſonis exiguntur. Hæc ſunt fodrum, albergaria, regium, quæ verbis huius rubricæ ſubintelliguntur: quippe, fodrum, eſt procurationis, ſiue euectionis præſtatio, *cap. Procurationes, hoc tit.* eſt enim equorum pabulum, & quicquid eis in cibum datur: vox Germanica, ſignificans fœnum, ſeu ſtramen, Gallicè, *foarre*: quamuis fodrum præter pabulum equorum ad plenam paſtus adminiſtrationem trahatur in Conſtitutionibus *Conradi, 5. Feudorum*, & ad annonam, *apud Aymonium lib. 5. cap. 3. hiſt. Franc.* perinde ac verbo victus, & panis omnia neceſſaria continentur, *l. verbo victus, de verb. ſignif.* Ità quoque euectio, quæ propriè eſt veredorum & paraueredorum, *l. euectiones, lib. 12. C. de curſu publico*: tamen & pro omni victus præſtatione ſumitur apud Marculphum *lib. 1. formula 11.* hoc iure Canonico vtimur vulgò nomine procurationum; quia ſicut euectiones ſunt diplomata & codicilli, quibus curſus publici vſus conceditur, allatâ teſſerâ, quam ſynthema D. Hieronymus vocat, Græcâ voce, quæ ſignificat teſſeram, & continet id quod ex pacto, vel conſenſu datur, apud Suidam, Heſychium, & Athenæum σύνθημα: ità & procurationes erant quædam litteræ, ſeu tractoriæ, γράμματα συστατικά, in quibus euectionum modus continebatur, pro ratione & conditione viſitantium, vt conſtat ex Capitul. Caroli Magni *lib. 4. cap. 69.* & hoc procurationis nomine præter pabula equorum, cibi etiam neceſſarij, non epulæ ſolennes præſtabantur, *cap. Cùm Apoſtolus. hoc tit.* Ideò verò procurationes & euectiones maximè, in numero & quantitate equorum conſtituebantur; tum quia præcipuas impenſas pariat equorum cura, cùm quòd conſtituto numero equorum, conſtituitur etiam numerus perſonarum, & ſic euectio propriè denotat viaticum vnius equitis. Hæc & alia nomina



Digitized by Google

licentiam Epiſcopi domus religioſa poni non debet ; domus religioſæ nomine cenſetur templum, Baſilica, Κυριακὸν à Zonara in *can. 28. ſynodi Laod.* non quòd, vt quidam cenſent, à Regibus & principibus dominis eſſet fundatum, ſed ab ipſo omnium Domino, vt refert Euſebius *in vita Conſtantini*, & Rufinus *1. Hiſt. cap. 3.* hoc autem nomine cenſeri tantùm Cathedrales, & matrices Eccleſias quidam annotarunt; quod omnino non eſt reijciendum, tum quòd ceteræ Eccleſiæ parœciales in quibus Epiſcopi ſedem non habebant, eiuſdem tamen diœceſis Eccleſiæ, vel Templa propriè dicerentur ; quæ verò vſui cederent monachorum neutro vocabulo nuncuparentur, ſed oratoria ſimpliciter, vel domus oratoriæ *cap. 6. ſuprà, de ſtatu monach. can. 4. Concilij Chalced.* Altaria quoque hoc titulo comprehenduntur, quæ erigi etiam paſſim non poſſunt citra Epiſcopi licentiam, quod à ſynodo Carthag. ſtatutum eſt, *can. 86. & can. placuit. de conſecrat. diſt. 1.* propter zelum iniquum, ſeu potiùs dæmoniacum afflatum, quo moti ruſtici temerè in honorem Martyrum dicabant, non habentes reliquias, vt ſcribit Balſamon. Quæ altaria memorias dici, martyria, confeſſiones, vulgatum eſt, ex *can. vlt. Syn. Gangren. &* Anaſtaſio Bibliothecario. De cœmeterijs idem dicendum eſt, erant enim ædes in quibus condebantur oſſa Martyrum, Caſſiod. *tripart. hiſt. cap. 3. lib. 5. Populus ieiunans eſt egreſſus ad cœmeterium orationis causâ* : ab his templorum originem manaſſe quidam cenſuerunt; nam & D. Hieronymus *lib. de locis Hebraicis*, ſcribit ſub ipſam Lazari tumbam ædificatam fuiſſe nobilem Eccleſiam: quod verum eſt de templis tantùm in honorem Martyrum dicatis, præter quæ Chriſtiani Eccleſias tempore D. Petri habuerunt, antequàm memoriæ Martyrum conſtruerentur ; nam & Linus præcepiſſe fertur, vt fœminæ velatæ eſſent in Eccleſijs apud eundem Anaſtaſium, quæ quidem Eccleſiæ ex priuatorum ædibus confectæ ſunt, & ideò ſacræ ædes vulgò, & religioſæ domus dictæ fuerunt : reperimus etenim Pudentis Senatoris, & diſcipuli Petri domum ad ſacrum cultum fuiſſe conuerſam, & Euphemiam matronam domum ſuam in titulum erexiſſe *epiſt. 1. Pij Papæ.* Sunt prætereà alia loca quæ domibus ſacris, & religioſis annumerantur, *hoc titulo*, loca nempe ad hoſpitalitatis vſum deputata, *cap. Ad hæc. hoc tit.* quæ non ſunt ſacra, ſed religioſa : differentiam agnoſcimus ex iure ciuili inter rem ſacram, & religioſam, *§. ſacræ. Inſtit. de rerum diuiſ. & ex Varrone in Verrio Flacco* : ſed diuerſo ritu, vt dicetur infrà *de Eccleſijs ædific.* religioſa loca ſunt noſocomia, ptochotrophia, xenodochia, & ſimilia quæ recenſentur *in l. Sancimus. C. de ſacroſ. Eccleſ.* & in *rubrica, C. de Epiſc. & cleric.* quæ & diceban-

tur κοιμητήρια in quibus peregrini & ſenes infirmi recipiebantur, & dormiebant apud *Athenæum lib. 1. cap. 5.* hæc omnia ſubſunt Epiſcopo, & erigi eo inconſulto non debent, *cap. 3. hoc tit.* licèt quidem vnicuique laico priuatim habere oratorium, & hoſpitale in proprijs ædibus, dummodò in eis altaria non erigantur, nec officium Miſſæ celebretur, nec formam Eccleſiæ gerat, *can. clericos. de conſecrat. diſt. 1. Nouel. Iuſtiniani 58.* ſolus Epiſcopus poteſt facere locum ſacrum, conſecratione ritè, & ſolenniter factâ, & conſtitutione, vel religioſum deſtinatione, *d. cap. Ad hæc.* quæ omnia pertinere ad legem diœceſanam, ſiue iuriſdictionis Epiſcopi ex Concilio Ilerden. refertur *in can. 1. 10. q. 1.* ità vt nullus Corepiſcopus, vel presbyter poſſit iure proprio altaria erigere, & Baſilicas conſecrare, *can. 7. Concilij Hiſpal. II.* virgines conſecrare vel benedicere, *can. 8. Concilij Vuormac.* Olim quidem nec id ius Epiſcopi ſemper habuerunt, ſed ſolus ſummus Pontifex, qui eis licentiam dabat: hoc Epiſcopis ademit Gelaſius I. *can. de locorum, & duobus ſequentibus, de conſecrat. diſt. 1.* rationem reddit Luitprandus in eius vita; *Quia multi eo in tempore etiam in nomine infidelium defunctorum conſtructiones ædificabant, & ſacris proceſsionibus audacter inſtituebant*: quod confirmat etiam Socrates *lib. 2. cap. 8. Eccleſ. Hiſt.* & locum habuit tempore D. Gregorij, à quo etiam facultas conſecrandi Eccleſias petebatur, *vt ex epiſt. 14. lib. 12. regiſtri, & epiſt. 18. lib 11.* patet. Pertinet quoque ad Epiſcopum cura & diſpenſatio prouentuum tam Eccleſiarum, quàm ædium religioſarum, & venerabilium, & hoc ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ, *can. Sic quidam, & ſequentib. 10. q. 1.* de xenodochiorum & religioſarum domuum diſtributione, & cura idem ſtatuitur in *Concilio Aquiſgran. cap. 141.* conſtituendi ſunt enim œconomi qui negotia, & res gerant, & ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis rationes referant Epiſcopo, vt ait Iuſtinianus *in l. Omnem. 42. C. de Epiſc. & cleric.* regiæ quoque ſolicitudinis hoc eſſe conſtat ex *can, 40. Concilij Meldenſ.* ſunt enim viduæ, orphani, & minùs potentes ſub mundeburde, ſeu tuitione regum, *cap. 223. lib. 6. Capitul. Caroli Magni.*

## DE CAPELLIS MONACHORVM, *& aliorum Religioſorum*,

### Tit. XXXVII.

SAtis demonſtratum fuit quo pacto monachi & regulares clerici ad Eccleſiaſtica munera peruenerint, quibus etiam licuit proprias Eccleſias & parœcias habere, dummodò in eis presbyter adhiberetur, qui curam populi ſumeret; ſed quia idipſum etiam ſibi vindicabant, meritò adiectus eſt titulus, quò oſtenditur monachos ſæpiùs oratoria, & Capellas inſtituiſſe & iure proprio poſſediſſe, in quibus ipſi munia parœcialia obibant; ideò prouiſum huic incommodo fuit ab Vrbano II. in *Concilio Claromont.* & nouiter ſtatutum, vt populus per Capellanum hiſce Capellis præfectum regatur, *cap.* 1. *hoc tit.* cuius tamen inſtituendi facultas monachis remaneat, quos præſentare Epiſcopis debeant, *cap.* 3. *infrà, de priuileg. cap.* 3. *hoc tit. in prima compil.* his conſenſit Vrbanus, licèt inuitus, eò quòd iure eas Capellas tenere monachi non poſſent, quas eis acquiſitas, ratas, & inconcuſſas permanere vult, propter ineuitabile ſcandalum: *hoc tamen tenore, ne inconſultis Epiſcopis in poſterum talia præſumant*, vt eſt in integra decretali *in prima compil.* quod poſteà ſeruatum non fuit, ſed in locis ad monachos pertinentibus monachi plebis regimen continuarunt, ideóque *in cap. fin.* vetat Honorius III. ne liceat illic aliquem ſolitarium morari ſinè ſocio, ſed eis alius adiungatur, aut verò Eccleſiam per clericos ſeculares deſeruiant iuxta Lateran. Concilium *cap.* 2. *ſuprà, de ſtatu monachorum*, etſi reſcripto Apoſtolico id eis conceſſum fuerit, niſi ab eo derogetur dicto Concilio *cap. ex parte, hoc tit.* Sed cur hic titulus cùm in eo ſit quæſtio de plebium cura, concipiatur de Capellis, non verò Eccleſijs, cùm certum ſit Eccleſias dici in quibus conuentus ſit Chriſtianorum *ad Rom. cap.* 16. ideò quòd vt ſuperiùs dixi non ſinè magnis contentionibus monachi ad earum gubernationem admiſſi olim fuerint, nec illis licuerit vlla templa poſſidere, ſed tantùm oratoriola, ſiue Capellas ità dictas ob clericum, ſiue Capellanũ, quem in eo inſtituere tenebantur. Quapropter rectè in tertia compilatione hic titulus concipitur *de capellis clericorum, & monachorum.* Contenti erant monachi hiſce ædiculis, quæ ità humiles erant, vt tabernis, ſeu pergulis negotiatorum ſimiles eſſent dictæ Capellæ, quas καπηλεῖα vocat Iulius Pollux, &

Heſychius *χαπέλλω*, quaſi dicas *σκηνὸν*, *tentorium*, *ſtabulum*, *templum* apud Plutarchum,quo quidem vtuntur vt plurimum mercatores in nundinis: ſimiliter enim erigi ſolebant ſacella portatilia, maximè in caſtris, vt teſtatur Vincentius Bellouac. *lib.* 32. *cap.* 92. quibus ad Miſſas celebrandas vtebantur presbyteri, qui Principes ad bellum proficiſcentes ſequebantur, vnde dicti Capellani: ea Capella portatilis dicitur motorium templum *Tripart. hiſt. lib.* 1. *cap.* 9. & Miſſæ quæ in his tabernaculis celebrabantur, dicebantur Miſſæ caſtrenſes, vt refert Genebrardus *in Chronicis ad annum* 315. Poſſumus etiam deriuare Capellam à priſco vocabulo Gallico, *chape*, id eſt, toga: vnde *chapeau*, quia totum hominis caput tegit; & apud Vaſcones *caperan*, vel, *capelan* ſit tegere: *caperade*, vel, *capelade*, ſit locus tectus & coopertus: loca ergo ſacra quòd tecta ſint dicta, *Chapelles*; & detractâ aſpiratione *capelles*. Confirmatur ea opinio ex eo, quòd capſa in qua conditæ erant reliquiæ, dicebatur capella: Marculphus *lib.* 1. *formula* 38. *Tunc in palatio noſtro ſuper capellam Domini Martini debeant coniurare.* Non reijcimus tamen ſententiam Vualafridi Strabonis, qui Capellanos à cappa S. Martini deducit: Honorius in *ſermone de S. Martino: Huius*, inquit, *cappa Francorum regibus ad bella euntibus pro ſigno anteferebatur, & per eam hoſtibus victis victoriâ potiebantur: vnde & cuſtodes illius cappa, vſque hodie Capellani appellantur.* Tanta fuit veneratio illius cappæ, vt hoc obiter dicam, vt cuſtodes Capellani, & locus vbi ſeruabatur, inde dictus fuerit Capella. Sic in Hiſpania, tunica S. Vincentij ſummo fuit in honore, & in bellis delata, apud *Adonem Vienn. Chronic. ætate* 6. Sacelli etiam nomine donamus Capellam, quia vt refert Iſidorus, templum, ſeu ſacrum eſt maior Eccleſia; ſacellum ædicula, ſeu priuata domus: quod notat etiam Paulus *in l.* 9. *ad l. Iul. pecul. Sunt ſacrilegi* inquit, *qui publica ſacra compilarint; at qui priuata ſacra, vel ædiculas incuſtoditas tentauerint, ampliùs quàm fures, minùs quàm ſacrilegi*: per *ædiculas* intelligit Paulus, lares domeſticos, non vt voluit Accurſ. Capellas Chriſtianorum, quod & reperio annotaſſe virum doctum Mendozam ad Concil. Illiberitanum. Trebatius verò ſacelli originem non à ſacro ſolùm deducit, ſed quaſi compoſitum verbum vocat *ſacram cellam*, vt ex eo refert *Macrobius lib.* 3. *cap.* 4. quaſi dicat locum paruum Deo dicatum; locellum, in quo etiam aptantur ſtatuæ, vel aues, teſte Ariſtotele, & hoc ad differentiam templi, quod ſacrum dicitur & magnum *ἱερὸν*, quod vtrumque ſignificat; quaſi templum dicatur vbi frequentia populi eſt, & magnis vſibus ſit deſtinatum; ideò Vlpianus & Martianus *in l.* 6. & 9. *de rerum diuiſ.* ſacrum definiunt, *quod publicè conſe-*



Digitized by Google

*cratum eſt*. Sicut ergo ſuperioribus titulis demonſtratum, Eccleſias & domos religioſas non ab alio quàm Epiſcopo inſtitui, & fundari poſſe; ità nunc à monachis ædiculas & Capellas erigi non poſſe, *can. Sanè. 16. q. 2.* erectas tamen eis conſeruari, dummodò in eis Capellanos ponant, quos præſentent Epiſcopis, & ità ius eis conſeruetur præſentandi presbyteros, quorum ſint inueſtitores, vt loquitur, Gregorius *in can. Viſis. eâdem quæſt.* & ità ius patronatus acquirant, de quo ſequenti titulo.

## DE IVRE PATRONATVS,

### TIT. XXXVIII.

IVs patronatus ignotum fuit primis Eccleſiæ temporibus; & prærogatiuæ quibus gaudent nunc fundatores Eccleſiarum ſenſim & furtim irrepſerunt, conniuentiâ ſcilicet ad excitandos fidelium animos, vt teſtatur Innocentius III. *in cap. Quoniam. hoc tit.* Duo præcipuè ad id ius habendum pleroſque impulerunt, ambitio & auaritia; qui enim Eccleſias conſtruebant olim, præcipuè ſibi arrogare voluerunt bonorum Eccleſiæ collatorum diſpenſationem; tum etiam clericorum ordinationem, ſeu inſtitutionem, quorum audaciam primùm repreſſam à Pelagio II. comperimus, *in can. Abbatem. 18. q. 2.* & à Concilio Toletano III. ipſius temporibus congregato *in can. Nouerint. 10. q. 1.* tunc enim dotem Eccleſiæ ab ordinatione Epiſcoporum tollebant, imò & reditus ſibi proprios faciebant, quod vetitum Concilio Braccar. *can. 6. relato in can. Si quis. de conſecrat. diſt.* 1. ſed & multò anteà Concilio Ilerd. *in can. 1. 10 q. 1.* Præcipuum quod fundatores habuerunt ex conſenſu & conſtitutionibus Eccleſiæ, fuit electio & nominatio clericorum, *d. can. Abbatem.* Concilio Toletano *IX. in can. decernimus. 16. q. 7.* vulgata inſcriptio habet ex Concilio Tolet. IV. ſed malè. Hoc etiam ſuis edictis cauit Iuſtinianus *Nou. 57.* in fine, *&* *128. cap. 18.* Gelaſius poſteà omnia iura fundatoribus adimere voluit, ſolo aditu proceſſionum relicto, ſicut licet ceteris Chriſtianis, *can. Pia mentis, & can. Frigentius. 16. q. 7.* ſiquidem multi ædificantes oratoria, & ædiculas ſacras in Martyrum honorem, publicos conuentus & proceſſiones inſtituebant, quod Gelaſius prohibuit in *can. Certum. de conſecrat. diſt.* 1. & apud Luitprandum in eius vita: *Multi*, inquit, *conſtructiones ædificabant, & ſacris proceſſionibus inſtituebant*, ideò in *d. can. Pia mentis*, ſtatuit non alias pro-

ceſſiones fieri poſſe quàm publicas, quibus ipſi ſicut alij Chriſtiani intereſſent, quod etiam prohibuit Iuſtinianus *No. 123. c. 32. ne laïci faciant* τὴ λιτὴν, quam δημοσίαν πρόοδον vocat, id eſt, *publicum proceſſum No. 67. c. 1. & Iulianus Anteceſſor in Nouellis*: prætendebant ipſi fundatores gradum, auctoritatem & dignitatem, non tantùm in ordinatione & electione clericorum, diſpenſatione, & perceptione redituum, vt dixi; ſed etiam ius procedendi in conuentibus & cœtibus fidelium, ſicut Epiſcopi, & alij prælati habebant; quæ cauſa fuit cur Gelaſius tam acriter cum his egerit. Proceſſionũ autem ordinem, tum honorem qui prælatis deferebatur agnoſcimus ex *Tertull. lib. de præſcript. aduersùs hæret.* & D. Auguſt. *22. de Ciuit. Dei, cap. 8.* proceſſiones erant ſupplicationes ſolennes cum hymnis & canticis apud D. Gregorium *lib. 2. epiſt.* Græci λιτανείας vocant, quibus intereſſe ſolebant reges, principes & magiſtratus, & ad campos vſque ſequi ſacerdotes, vt ſcribit, *Zonaras 3. Annal.* primis quidem temporibus erant antelucanæ, teſte Sidonio *epiſt. 17. lib. 5.* & in his omnes Chriſtiani non miſcebantur, ſed in varios cœtus diſtribuebantur, vt optimè demonſtrat Gregorius, *epiſt. 2. lib. 11. Erat litania alia clericorum, alia monachorum, alia virorum, alia fœminarum, alia monialium, alia viduarum, alia infantium, & pauperum.* Patroni ſeu fundatores peculiarem litaniam à reliquis ſeiunctam parabant, quæ cauſa fuit Gelaſio eos in litaniam ceterorum fidelium redigendi, quod ità percrebuit vſque ad tempora Alexandri III. qui *in cap. Nobis. 25. hoc tit.* proceſſionis, ſeu potiùs præceſſionis honorem patronis indulſit poſt clericos, qui primi ſemper ſunt, *cap. 1. de vita & hon. cleric.* laïci verò ſunt poſtremi, quos honorem etiam conſeſſus clericis dare debere ſcribit Tertull. *lib de exhortat. ad caſtitatem, cap. 7. Differentiam,* inquit, *inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo,* vt zelus Chriſtianorum excitetur ad Eccleſias conſtruendas, & opibus ſubleuandas. Tandem eis quaſdam prærogatiuas tacitus magis Eccleſiæ conſenſus, quàm lex generalis indulſit ijs omnibus, qui vel conſtructione, vel dotatione, vel ſoli conceſſione Eccleſiam iuuant, vnde verſus,

*Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

Quibus munificentiæ modis ius patronatus acquiritur, & patronus fit quaſi dominus, & vocatur dominus in *can. Abbatem. 18. q. 2. l. 1. C. de colonis Thracen. l. vnicâ. C. Theod. Ne colonus inſcio domino*: vnde factum eſt vt Reges & Duces omnium Eccleſiarum in ſuis ditionibus ſeſe patronos aſſeruerint, ratione ſoli, ſeu fundi, quamuis eæ ſint Cathedrales, vel Collegiatæ, vel monaſteria, *cap. Cùm terra. de electione*, & eo ſen-

Digitized by Google

ſu Vualdemarum regem Daniæ hoc iure vti potuiſſe, licèt noluerit, ſcribit Alb. Krantzius *lib. 6. Daniæ*. Cum patronatus honore, onus etiam ſuſcipere tenentur patroni; quippe ad patrocinium & curam Eccleſiarum tenentur, *can. filijs, & ſeq. 16. q. 7.* ob quod etiam in locum Defenſorum & Aduocatorum ſæpius ſucceſſerunt; fuerunt enim primitus in Eccleſia defēſores, ἐκδίκοι in Cōcil. Chalced. qui per vniuſcuiuſque ciuitatis incolas eligebantur, vt notat Balſam. *ad can. 78. Concil. Carthag.* In Eccleſijs vero priuatorum donis conſtructis, non alij cœperunt aſſumi defenſores, quàm ipſi fundatores, quos ideò & patronos & aduocatos vſus appellauit, *cap. Prætereà, & cap. Cùm autem, hoc tit.* & patronatus ipſe aduocatia dictus eſt, *cap. Quia. hoc tit.* & apud Matthæum Paridem. Fuiſſe tamen diſtinctos patronos à defenſoribus, poſtremis etiam temporibus, colligendum videtur ex *d. cap. Præterea*, quod non negandum pro ratione Eccleſiarum. nam in quibuſdam erant patroni, in alijs erant Vicedomini, Cuſtodes, vel guardiam habentes; ſed hi omnes aut erant re verâ fundatores, aut fundatorum vicem gerebant, & vario nomine pro varietate locorum vocabantur; *Aduocati & defenſores* apud Krantzium *lib. 11. cap. 4. Saxoniæ, lib. 7. cap. 9. Metropol. cap. In quibuſdam. de pœnis, cap. Generali. ſup. de elect. Cuſtodes, & Guardiani*, ἔφοροι apud Balſ. *ad can. 1. Synodi Conſtantinop.* Cuſtodia, dicitur guardia à vocabulo Germanico *Vuart*, quod diligentem corporis cuſtodiam ſignificat: dicti etiam Vicedomini, quaſi domini locum tenentes, *can. Diaconum. 89. diſt.* Caſtaldi, qui domini loco prædium ſeruant, *tit. 2. lib. 11. feud.* Sunt prætereà Oeconomi de quibus *in d. cap. Præterea*, non fit mentio, quos tamen comprehendere debemus his verbis, *ſeu quocumque alio nomine cenſeantur. Manſionarij & Paramonarij* in *l. 46. C. de epiſc. & cleric.* qui ſunt villici, ſeu actores poſſeſſionum, *can. 1. Concil. Chalced.* Sed inter hos omnes ſupradictos diſcrimen ſemper fuit; ſiquidem Aduocatos, defenſores, patronos, guardianos licèt promiſcuè vſurpatos reperiamus; tamen ab Oeconomis, Vicedominis, māſionarijs, & actoribus longè diſtare certum eſt: quandoquidem illorum cura leuior, horum grauior fuit: illi è laïcis potuerunt aſſumi; hi tantùm de proprio clero, *can. Quia in quibuſdam. 89. diſt.* Porrò ipſi omnes, licèt non eſſent clerici, tamen clero adnumerabantur, adeò vt eos promouere per pecuniam crimen eſſet, vt eſt *in can. 2. Concilij Chalced.* vnde conſequenter ſupra reliquos laïcos nonnullis honoribus & prærogatiuis fruebantur. Epiſcopi enim, Chorepiſcopi, presbyteri, diaconi ordinabantur; reliqui verò clerici charactere deſignabātur, Defenſores, Oeconomi, & reliqui officiales promouebantur,

uebantur, & hæc promotio illis honor erat & dignitas, vt ſcribit Balſamon. Hinc factum fuit, vt fundatores ad illorum exemplum eadem iura prætenderint, quibus reſtitit diu Eccleſia, donec tandem æquitas ſuaſit illis aliqua indulgere, ne aliter charitas fidelium refrigeſceret. Igitur præter curam & defenſionem Eccleſiarum, & clericorum præſentationem patronis datam, vt ſi quando ad inopiam vergant de reditibus Eccleſiæ eis prouideatur *can. Contrà, & can. Quicumque. 16. q. 7. Cùm in officijs, ſuprà, de teſtament.* Eccleſia enim quantùm ad res & poſſeſſiones quaſi liberta eſt fundatorum, exemplo liberti qui tenentur alere patronum ſuum & manumiſſorem, *l. Si quis à liberis.* §. *ſolent. de liberis agnoſc. l. 5.* C. *de alendis liberis.* Creuerunt ſucceſſu temporis prærogatiuæ patronorum; ſiquidem & hodiè ſedis eminētioris & ſepulturæ locum nobiliorem ſibi conſtituunt. Præter hæc ſi quæ alia ſunt, magis conſuetudo quàm ius probauit, vt ſunt tributa, cenſus, & exactiones, quarum non poteſt patronus vllam ſpem concipere, niſi nominatim initio fundationis reſeruauerit, quod fit conſentiente Epiſcopo ante Eccleſiæ conſecrationem *d. cap. Præterea, & cap. 3. Ne prælat. vices ſuas.* aliter non ſufficit patroni reſeruatio, *cap. Cùm dilectus. de conſuetud.* quia per ſe onera Eccleſiæ imponere non poteſt, *cap. 4. hoc tit.* Similiter non poteſt patronus tempore vacationis fructus ſuos facere, niſi id ità quoque exceperit, vt notat Gloſſa *in d. c. Generali de elect. in 6.* hinc nata regalia vacantium Epiſcopatuum & Abbatiarum, quaſi reges & Duces initio reſeruauerint. Quibus caſibus exceptis, non poſſunt patroni quidpiam exigere ſub pœna anathematis, vt Alexander III. ſtatuit in *Concil. Later. d. cap. 4. & cap. Præterea. 23.* quæ conſtitutio facta fuit præſente Friderico Ænobarbo Imp. ex conſilio Cardinalium, vt oſtendit initium *cap. Ad abolendam. de hæret. in prima collect.* Ergo præcipua patronorum prærogatiua in præſentatione conſiſtit, non merâ conceſſione *cap. fin. hoc tit.* Epiſcopi quidem neceſſarius eſt conſenſus, adeò vt ij excommunicentur, qui à laïcis tantùm Eccleſias capiunt irrequiſitâ Epiſcopi audientiâ, id eſt iudicio, & eas ſtatim reſignare cogantur. *cap. Relatum. hoc tit.* & hæc præſentatio non extenditur generaliter ad omnes Eccleſias, ſed tantùm ad Capellas, & Oratoria, non ad Conuentuales & Collegiatas; ità vt ſi quis ius patronatus in Capella habuerit, quæ poſteà populi conſenſu & frequentiâ parœcia facta fuerit, amittet facultatem eligendi & præſentandi plebanum; ſed ne prætermitti per ingratitudinem videatur, aſſenſus eius requiretur, *cap. Nobis. hoc tit.* & latiùs in *ſecunda collect.* Quod ſi hoc initio cauerit priuilegio ſpeciali, non adimetur ei ius præſentandi, *arg. Can.*

## *DE CENSIBVS, EXACTIONIBVS, & procurationibus,*

### Tit. XXXIX.

SVPERIORI titulo actum de oneribus, quæ Eccleſijs incumbunt ob ius patronatus; nunc agitur ſpecialiter de tributis quibus obnoxiæ ſunt Eccleſiæ, non tantùm patronis, ſed etiam prælatis in ſignum & probationem ſubiectionis, *cap. Omnis. hoc tit.* Varia ſunt genera tributorum, quorum mentio in *cap. Prætereà. ſuperioris tituli*; & tamen eorum tractationem meliori conſilio in hunc reiecimus: quia non ſolùm à patronis, ſed etiam alijs perſonis exiguntur. Hæc ſunt fodrum, albergaria, regium, quæ verbis huius rubricæ ſubintelliguntur: quippe, fodrum, eſt procurationis, ſiue euectionis præſtatio, *cap. Procurationes, hoc tit.* eſt enim equorum pabulum, & quicquid eis in cibum datur: vox Germanica, ſignificans fœnum, ſeu ſtramen, Gallicè, *foarre*: quamuis fodrum præter pabulum equorum ad plenam paſtus adminiſtrationem trahatur in Conſtitutionibus *Conradi, 5. Feudorum*, & ad annonam, *apud Aymonium lib. 5. cap. 3. hiſt. Franc.* perinde ac verbo victus, & panis omnia neceſſaria continentur, *l. verbo victus, de verb. ſignif.* Ità quoque euectio, quæ propriè eſt veredorum & parauerodorum, *l. euectiones, lib. 12. C. de curſu publico*: tamen & pro omni victus præſtatione ſumitur apud Marculphum *lib. 1. formula 11.* hoc iure Canonico vtimur vulgò nomine procurationum; quia ſicut euectiones ſunt diplomata & codicilli, quibus curſus publici vſus conceditur, allatâ teſſerâ, quam ſynthema D. Hieronymus vocat, Græcâ voce, quæ ſignificat teſſeram, & continet id quod ex pacto, vel conſenſu datur, apud Suidam, Heſychium, & Athenæum σύνθημα: ità & procurationes erant quædam litteræ, ſeu tractoriæ, γράμματα συςατικά, in quibus euectionum modus continebatur, pro ratione & conditione viſitantium, vt conſtat ex Capitul. Caroli Magni *lib. 4. cap. 69.* & hoc procurationis nomine præter pabula equorum, cibi etiam neceſſarij, non epulæ ſolennes præſtabantur, *cap. Cùm Apoſtolus. hoc tit.* Ideò verò procurationes & euectiones maximè, in numero & quantitate equorum conſtituebantur; tum quia præcipuas impenſas pariat equorum cura, cùm quòd conſtituto numero equorum, conſtituitur etiam numerus perſonarum, & ſic euectio propriè denotat viaticum vnius equitis. Hæc & alia nomina



Digitized by Google

licèt propriam habeant ſignificationem, tamen ſumuntur promiſcuè pro integro viatico. Aliquando debetur ſolum hoſpitium, & hoc vulgò appellatur *alberga*, ſeu *albergaria in d. cap. Prætereà*, quaſi dicas *hebergaria* à veteri lingua Gallica *heberger*, quod ſignificat hoſpitio recipere in Capitularib. *cap. 68. lib. 3.* Dicitur prætereà manſio, quæ ſumitur pro diuerſorio, pro habitatione, ad quam viatores ſuperueniente nocte, vel aëris intemperie ſeſe recipiunt apud Apuleium *lib. 4. & Sueton. in Tito, cap.* 10. hinc, *Manſus*, vocabulum latiùs diffuſum pro villa, ſeu hereditate agros, prata, vineas, paſcua continente in Capitul. *cap. 9. lib. 1. & cap. 1. hoc tit.* quod dicitur etiam manſionaticum. Quamuis autem ſupradicta nomina fodri, procurationis, euectionis, albergariæ, manſionatici peculiarem ſignificationem habuerint; tamen quia vnum ſinè altero vix eſſe potuit, ei qui fodrum & pabulum equorum habebat, etiam victus dandus erat, ideò fuſiùs accepta ſunt: deinde alio vocabulo donata ſunt, *paratarum* nempe; quaſi ſcilicet dixerimus *paratas* omne id quod tam ad equorum pabulum, quàm hoſpitium & victum tranſeuntium fuerit neceſſarium: Gloſſarium Pithœi *paratas* in epiſt. ad Ludouicum apud Attiniacum c. *14. maiores paratas exquirere* Hincmarus de Archidiaconis; paſtus, & repaſtus appellat Sidonius *epiſt. 11. lib. 8. parata hoſpitia* dixit, & Concilium Toloſanum ſub Victore II. *paratam ſoluere*, pro omni genere viatici, quod tantùm viſitantibus debetur, exceptâ pecuniâ numeratâ, *dicto cap. Cùm Apoſtolus.* hinc hodiè adhuc noſtro idiomate *la parade.* Non debent etiam viſitatores vltra duos dies in eodem loco moram facere, niſi euidens cogat neceſſitas, in conſtitutionibus Benedicti XII. *cap. 2.* trium dierum ſpatium conceſſum fuiſſe ſcribit Caſſiod. *12. Variarum, epiſt.* 15. vnus verò tantùm ſtatutus fuerat in Concil. Tolet. *can. Inter.* 10. *q.* 3. Ius iſtud procurationis omnibus competit, viſitationis facultatem habentibus, & nullæ Eccleſiæ ab hoc onere excuſantur, quia omnes legi iuriſdictionis ſubijciuntur, *cap. Sopitæ. hoc tit. cap. 1. ſuprà, de ſtatu monach.* niſi ſpeciali priuilegio ſint munitæ, *Gloſs. in cap. dilectus, ſuprà de offic. iud. ordin. cap. Dilecti, de priuileg.* nec procuratio exigi poteſt, niſi à viſitantibus tantùm perſonaliter, non aliter, *cap. Procuratores. 23. hoc tit.* Præter paratas, & conuiuia, aliud ius debetur Epiſcopo, quod Cathedraticum nuncupatur, ob honorem Cathedræ Epiſcopalis, & & matricis Eccleſiæ, & ob conſecrationis beneficium, *can. 1. & ſeq. can. vlt. 10. q. 3.* atque etiam in ſignum ſubiectionis *cap. Omnis. hoc tit.* hoc cathedraticum plerique cum iure viſitationis quaſi vnum & idem ſit, confundunt, quod Concilium Braccar. *in dicto can. 1.* ſuadet

& indicat Innocentius III. *in cap. Paſtoralis. de donat.* in quo ſi Epiſcopus remiſerit omnes prouentus, quos in aliqua Eccleſia percipiebat, non ideò cenſetur remiſiſſe cathedraticum, & ius viſitationis, *cap. Cùm venerabilis. hoc tit.* Primitùs quarta portio, vel quarta decimarum & oblationum, quæ Epiſcopo dabantur, erat pro Cathedratico & pro viſitatione, vt patet ex Gregorio Magno *epiſt.* 12. *lib.* 4. confirmat hanc ſententiam *can. decreuimus.* 10. *q.* 1. in quo ſtatuitur vt ſecundùm antiquum ordinem, Eccleſiæ viſitentur: *Quia*, inquit, *tertia pars omnibus vt accipiatur ab Epiſcopis nouimus eſſe ſtatutum*: & quia hoc vitium deſidiæ hæſit pluribus viſitationis onus fugientibus, eos tamen lucri cupiditas compellit, vt aliquo cenſu contenti eſſent, & manſiones aliquo pretio remitterent, vt loquitur *can. Relata. ead.* pretium illud fuit duorum ſolidorum: verùm Epiſcopi, & alij prælati fiſcum ſuum magis locupletarunt ſeruatâ mediâ, tertiâ, vel quartâ redituum omnium parte quæ iure antiquo eis fuerat aſſignata, *can. Antiquos, can. De his. can. Decernimus.* 10. *q.* 1. de nouo poſteà ſibi quæſierunt ius procurationis, & ius cathedratici, quod ſub diuerſis nominibus idem erat, vt conſtat ex Concil. Toloſano ſub Victore II. *Statuimus*, inquit, *vt Eccleſiæ ſolùm tertium, aut paratam, vel Synodum, ſolito more perſoluant Epiſcopo, vel clericis*: atque ità triplex vel quartum ius diuerſum ex vno fabricarunt. Cathedraticum aliquando ſumitur non tam pro eo quod Epiſcopo præſtatur, quàm quod ipſe Epiſcopus pro ſua ordinatione & inthronizatione præſtat, quod Iuſtinian. *Nou.* 56. *enthroniaſticon* vocat, Malaxus in hiſtoria Patriarcharum ἐμβατίκιον, *aditiale*, quod reliqui clerici pro ſua aditione & introitu ἐμφανιστικὸν ſoluunt, *Nou.* 123. ſicut olim moris erat, vt qui promouerentur ad aliquem gradum & ordinem pro introitu ſportulas darent; Senatores nempe, decuriones, & quicumque in aliquam militiam, vel tribum vrbis Romæ referebantur, *l. pen. §. pen. & vlt. de legat.* 3. *l.* 3. *C. de proximis ſacrorum ſcriniorum*: verùm huiuſmodi xenia vetita fuerunt *Concil. Aurel. I. cap.* 10. apud Burchardum *lib.* 3. *cap.* 117. Iulianus Anteceſſor, *No.* 50. præſertim illud Cathedraticum, quod alibi dicitur Synodaticum, *cap. olim. hoc tit.* quia à clericis venientibus ad Synodum ſoluebatur, cui intereſſe tenentur omnes, *cap. Quod ſuper. de maiorit. & obedient.* & quia ſynodus poſt paſcha ſolet conuocari, vocatur etiam paſchalis præſtatio, *cap.* 1 *in prima collect. de Simonia.* Aliquando auaritia effecit, vt idem ius in varias tributorum formas & ſpecies exierit, vt ex vno plura vectigalia extorta ſint, quod ſæpiùs vetitum fuit, *cap. Prohibemus.*



Digitized by Google

*hoc tit. can. quia cognouimus.* 10. *q.* 3. cùm enim nihil certum & definitum pro his fuerit priſcis Eccleſiæ conſtitutionibus, quiſque Prælatus quantùm poterat ſibi arrogabat; adeò vt nòn aliud ius ſeruatum fuerit, quàm ipſa conſuetudo, & ob id huiuſmodi tributa, vocata fuerunt vnico vocabulo, *Conſuetudines, cap. ſcientes. hoc tit.* & *dicta Nouel. Iuſtiniani* 123. *cap.* 3. & conſuetudines Epiſcopales *d. cap.* 15. *de Simonia. in* 1. *collect.* Quin autem Cathedraticum diuerſum fuerit tam à procurationis, quàm enthroniaſtici modo, nulla eſt dubitatio; ſiquidem, vt diximus, procurationes in viatico conſiſtebant, Cathedraticum in pecunia numerata, duobus nempe ſolidis, ex decreto Honorij III. *in cap. conquerente, de off. iud. ord.* quod anteà Concilijs Hiſpaniæ ſtatutum fuerat: Emphaniſtica continebant ſolidos ducentos, vel trecentos, qui erant præcipui fructus vnius anni, & id tantùm Conſtantinopoli, non alibi conceſſum *d. Nou.* 123. *cap.* 35. quod ius Summi Pontifices exegerunt pro introitu à præſulibus, & adhuc aliquatenùs pro Bullarum expeditionibus capiunt, licèt annatæ exoleuerint tranſactione Franciſci I. cum Leone X. Effecit etiam conſuetudo in quibuſdam locis, vt fructus beneficiorum vacantium ab Epiſcopo, Abbate, Archidiacono, & alijs exigantur, quod ius deportus vocant, licèt nihil pro collatione, vel inueſtitura præſtandum ſit, *can. Nullus.* 1. *q.* 2. *cap. Etſi, infrà, de Simonia, & Concil. Trident.* pro redemptione altarium, quoties monachis Eccleſiæ eâ lege permittebantur ſub certæ pecuniæ datione, vt eſt in *epiſt.* 12. *lib.* 3. Goffridi Vindocinenſis, ad quam Sirmundus refert epiſtolam & decretum Synodi Aruern. Hæc ſunt præcipuè tributa quæ iure communi exigi conſueuerunt, præter quæ nulla, aut certè rara exigere licuit, *cap. Scientes. hoc tit.* Vetantur quoque omnes aliæ exactiones inſolitæ, quæ noui cenſus dicuntur, *in cap. Prohibemus. hoc tit.* qualis eſt illa, de qua *cap. Ea quæ, hoc tit.* denariorum collectio quæ fit per ſingulos Archidiaconatus propter viſitationem S. Petri, vt addidit Raimundus, contra mentem Alexandri III. nec enim illa collectio fiebat ob viſitationem liminum Apoſtolicorum; ſed quia tota Anglia cenſualis erat Eccleſiæ Romanæ, vt ex Matthæo Paride, & Vuillelmo Malmeſburienſi notum eſt, qui *lib.* 6. *de geſtis Regum Angliæ*, Etelnulphum regem, tributum S. Petro coram Leone IV. obtuliſſe refert. Reprobanturættereà omnes talliæ, gabellæ, ſpallæ, indictiones, quæ iure communi non debentur; quippe ſunt propriè tributa regia, quæ non debentur ratione dominij eccleſiaſtici, ſed temporalis, & dicuntur vnico vocabulo, regia, in *d. cap. Præterea*: regalia, in lib. feudorum; regiæ inquiſitiones, in *can. vnico.* 10. *q.* 3. Tallia eſt collecta, colla-

tio, ſymbola in *cap. Licèt*, *& cap. Cùm Apoſtolus. hoc tit.* ἔρανον apud Pollucem *lib. 8. cap. vlt.* non diſſimilis à capitatione; quippe tallia, ſeu capitatio fit non tantùm ratione corporum, ſed etiã poſſeſſionum, Appianus in Lybicis, ἐπὶ τῇ γῇ, καὶ ἐπὶ τοῖς σώμασι. Gabella dicitur ab Hebraïca voce *Gabbia*, quod eſt ſtipe collatitiâ, vel à *Gab*, quod apud Germanos eſt munus, vt annotauit Vuaſerus *lib. 1. c. 14. de numis Hebræorũ*, vel ab Hebraïca dictione Ghauel, quæ ſignificat legem iniquã, vt ſcribit Villalpandus *in Ezechielem, diſt. 1. c. 2. lib. 2.* Spalla verò videtur propriè aliquod genus ſeruitij denotare, in *cap. Cùm venerabilis. hoc tit.* vocabulũ planè barbarũ, de quo in Obſeruationib. Sunt & alia nomina exotica cenſum ſignificantia, quæ iure communi, id eſt iure ordinario ab Eccleſia peti non poſſunt, veluti quæcumque temeraria tributa, id eſt inſperata, repentina, & extraordinaria apud Feſtum dicuntur.

## DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, *vel altaris,*

### Tit. XL.

PERTINERE ad legem diœceſanam & iuriſdictionem Epiſcopi, conſtructionem Eccleſiarum, dedicationem, conſecrationem, cenſuum impoſitionem, ſuprà dictum eſt; nunc ritus conſecrationis tangendus, & quæcunque ad religionem & ceremonias dedicandarum Eccleſiarum ſpectant. Titulus hic eſt de conſecratione Eccleſiæ, vel altaris: altare differt ab Eccleſia. Altaria primis temporibus ædificata fuerunt, cùm nondum Baſilicas & Eccleſias habere liceret ob tyrannorum ſæuitiam, quæ vſque ad Maximini Imperatoris obitum durauerat, poſteà enim Eccleſiæ, pace redditâ ædificari templa, & Eccleſiæ parœciales, Baptiſteria beneficio Conſtantini Imperatoris cœperunt, vt eſt apud *Euſebium lib.* 10. *cap. 2. & 5.* & adhuc Romæ ipſius baptiſterium videtur, Niceph. *lib. 7. cap. 35.* Inter conſecrationem autem & dedicationem parum intereſt: ſiquidem dedicatio fiebat ſemper in conſecratione; dedicatio reſpicit memoriam illius cuius nomini, & honori templum deuouebatur; conſecratio ceremonias & ritus obſeruandos. Frequentia martyria cauſam dedicationis præbebant; ſic enim B. Petro altare dicatum, quod confeſſio, & martyrium dicebatur, *can. ſi quis ſuper. 2. q. 7.* Cornelius in prædio Lucinæ martyrium D. Paulo dicauit, vt refert Damaſus: &

Digitized by Google

hanc dedicationem, Martyrum triumphum vocat *D. Hieronymus epiſt. 34. ad Iulianum.* In dedicandis verò & conſecrandis Eccleſijs hic ordo ſeruatur: Primò vt oratio in fundamentis iaciendis fiat, proceſſio ſolennis celebretur, deinde Crux figatur, Balſamon ad *canonem 86. Synodi Carthag.* & *No. Iuſt. 67.* ſtatuit, vt nullus audeat ædificare Eccleſiam vel oratorium, πρὶν ἂν ὁ τῆς πόλεως ἐπίσκοπος παραγενόμενος εὐχὴν ἐν τῷ τόπῳ ποιήσαιτο, καὶ σταυρὸν πήξαιτο, δημοσίαν ἐκεῖσε πρόσοδον ποιησάμενος. Id eſt, *antequàm Epiſcopus ibi vota faciens, ſanctiſsimam Crucem infixerit in eodem loco, publicè procedens, & rem omnibus manifeſtam faciens.* Adde *Nou. 5. & 123.* Iuſtiniani, & hoc vocatur à Græcis σταυροπήγιον in *Baſil. ecloga 4.* Celebrari etiam debet Miſſa, *can. Omnes. de conſecrat. diſt. 1.* Tum altaria vnctione chriſmatis perunguntur, *can. Altaria. eàd.* ex præcepto nempe legis diuinæ, exemplo Iacob qui oleum ſuper lapidem in ſignum conſecrationis fudit, *cap. 28. Geneſ.* atque ex conſuetudine, exemplo S. Syluestri, vt ſcribit Innocentius III. *cap. vnico.* §. *vlt. ſuprà, de ſacra vnct.* quibus altaribus, vt dedicatio perficiatur, apponendæ ſunt reliquiæ, teſte Gregorio Magno *epiſt. 12. lib.* 1. *& epiſt. 19. lib. 2.* aliiſque locis innumeris. Olim quidem hæc erat obſeruatio, vt non ſolùm maiori altari reconderentur, ſed alijs quoque omnibus apud eundem Gregorium *epiſt. 50. lib. 5.* quin & ſinè reliquijs Eccleſia conſecrata non cenſetur, *can. 7. Syn. VII.* Reliquiarum condendarum in altaribus, ſeu aris proceſſit mos ex eo, quòd olim tumuli & ſepulchra Martyrum altaris miniſterium præbebant, conſtitutione Felicis I. *apud Damaſum*: & hæc altaria vocabantur tituli, ob nomen Martyrum, qui in eis conditi erant: demum Chriſtiani omnes Eccleſias ſuas vocare cœperunt titulos, ad exemplum Iacob, qui erexerat lapidem in titulum, vt eſſet ei monumentum viſionis ſuæ; *Lapis iſte*, inquit, *quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei*: quæ ratio forſitan eſt, cur altaria lapidea eſſe debeant, *can. altaria. 31. de conſecrat. diſt. 1.* Porrò ità ſoliciti erant veteres conſecrandarum Eccleſiarum & altarium, vt ante conſecrationem Miſſas in eis celebrare nefas ducerent, *can hic ergo. can. Sicut non alij. ead.* Imò & dubitatum fuit, num Epiſcopus deponendus eſſet, qui in Eccleſia non dedicata ſacrificium Miſſæ celebraſſet: ex decreto enim Lucæ Patriarchæ Conſtantinop. ſtatutũ fuit hunc non eſſe deponendum, ſed Synodi arbitrio alio modo puniendum, vt ſcribit Balſamo, *ad can. 8. Syn. Conſtantinop. VII.* Sed ſucceſſu temporis, graſſantibus Eccleſiæ hoſtibus, qui templa incenderunt & deuaſtarunt, viſum interim fuit tabulas quaſdam lapideas conſecrare quæ ſuperponerentur aris, & altaribus nouiter erectis, *can. concedimus.*

*eàd.*

Digitized by Google

*ead.* quo factum, vt in dedicandis & conſecrandis altaribus remiſſiores hodiè ſint Epiſcopi. Hoc autem operatur conſecratio, vt ex profano & impuro, locus fiat ſanctus & purus, dæmones inde pellantur: refert enim Sigeb. *in chron. anno 870.* Coloniæ celebratâ ſynodo ad dedicationem Eccleſiæ S. Petri voces malignorum ſpirituum auditas, conquerentium ſe à poſſeſſis diu ſedibus expelli. Fit etiam locus publicus è priuato, *l. 6. & 9. de rerum diuiſ.* & extra commercium ponitur, *§. Sacra. Inſtit. eod.* quam quidem mutationem encæniorum ſolennia denotant à vocabulo ἐγκαινόω quod eſt *innouo*, *dedico*, ἐγκαινισμὸς, *innocatio, dedicatio, apud Feſtũ,* quia aliquid innouatur, vt refert Suidas. Id etiam dicebatur initiari, quemadmodum qui ad Ordines promouentur & conſecrantur, dicuntur ſacris initiari, quia noui homines aliquatenùs fiunt, *can. 77. Syn. VI. in Trullo.* Sic Tullius 1 *de nat. Deorum,* initiari dixit gentes, id eſt ſacris imbui. Initia quoque & initiorum dies dicuntur feſta ſacrorum, *Varro 3. de re ruſt. cap. 1. Sacra Cereris initia* dixit Catullus de Aty: *Tympanum tubam Cybele tua mater initia.* Igitur initia Eccleſiarum, ſunt conſecrationes, & innouationes, quas vt ſignificarẽt veteres, lugubres veſtes in candidas lætitiæ causâ mutabant, vt refert D. Hieron. *epiſt. 34. ad Julianum*: & quia res conſecratæ mutant priſtinam naturam, vendi, vel alenari nullo pacto poſſunt, *l. Sancimus. C. de ſacroſ. Eccleſ.* quamuis tamen ſacræ non remaneant, deſinunt enim incendio, violentâ ſanguinis effuſione, & alijs modis, *can. Eccleſiis. de conſecrat. diſt. 1.* ſi adulterio violentur & polluantur, *can. Eccleſia, ead.* ſi in eis excommunicati ſepeliantur, *cap. Conſuluiſti. hoc tit.* ſi hoſtes & infideles eas inuaſerint, *arg. l. cùm loca. ff. de relig. & ſumpt.* ſi moueantur ea quæ rem ſacram faciebant, *l. Sacra. §. illud. ff. de rerum diuiſ.* vt ſi motum fuerit omninò altare, ſi fractum, ſi imminutum priſtinam formã amiſerit; ſic enim intelligẽdus *can. Si motum. de conſecrat. d. 1.* & *c. 1 hoc tit.* quòd ſi modicè læſa fuerit tabula, denuò Eccleſia non eſt conſecranda, *cap. ligneis. hoc tit.* qua tamen in re dubium fuiſſe indicat Iuo *epiſt. 72. & 80.* ſed concluſum fuit ſufficere reconciliationem per aquam, cum vino, & cinere benedictam, *cap. Propoſuiſti. hoc tit.* & hoc ex veteri Eccleſiæ inſtituto: Alexander enim I. ex præcepto Apoſtolorum aquam aſperſionis benedici cum ſale iuſſit, quâ fieret conſecratio rerum Eccleſiæ, id eſt, reconciliatio, *epiſt. 1. cap. 5.* quæ reconciliatio per Epiſcopum, non verò ſimplicem presbyterum fieri debuit, *cap. Aqua. hoc tit.* Nec ſolùm Eccleſia polluitur modis ſuprà dictis, ſed etiam omnia quæ illi adhærent, vt cœmeterium, non è contrario: ſi cœmeterium, vel quid aliud acceſſorium profanatur, non



Digitized by Google

ideò Eccleſia labefactatur, *cap. Si ciuitas. inf. de ſentent. excommunicat.* & *cap. vnico, hoc tit. in 6.*

## *DE CELEBRATIONE MISSARVM, ET Sacramento Euchariſtiæ, & diuinis Officijs,*

### TIT. XLI.

IN Eccleſijs conſecratis celebrantur Miſſæ, & diuina Officia peraguntur, rectè igitur de his agendum. Tria ſunt quę ex hac rubrica eliciuntur, celebratio Miſſæ, ipſum Sacramentum, & diuinum Officium. Miſſa, eſt ritus peragendi incruenti ſacrificij à Chriſto inſtituti, & ab Apoſtolis primùm, tum deinde ab eorum ſucceſſoribus obſeruatus: liturgiæ D. Iacobi, Marci, Baſilij, & Chryſoſtomi fidem faciunt, tum Conſtitutiones Apoſtolorum, & Pontificum, qui D. Petri ſedem tenuerunt: Alex. I. *in epiſt. ad Orthodoxos*, apertè id ſe à patribus accepiſſe ſcribit: & de Miſſa loquitur, de qua etiam cogitauit Anaſtaſius *in vita Clementis*, dum ad miniſterium ſacerdotale Cletum, & Linum primùm à D. Petro ordinatos fuiſſe tradit. Teleſphorus poſteà Papa IX. conſtituit, vt nocte Natalis Domini Miſſæ celebrarentur, alijs verò diebus ante auroram, & horæ tertiæ curſum, nunquam. Pius vndecimâ ſacrificium Domino offerre ſolebat: Zephyrinus ſtatuit, vt Epiſcopo Miſſam celebrante patenas vitreas miniſtri ſacerdotes portarent: Felix, vt ſupra ſepulchra Martyrum Miſſæ celebrarentur. S. Sylueſter, vt Miſſæ ſacrificium non in ſerico, neque panno tincto, ſed in linteo celebraretur. Hæc ſunt prima temporà, in quibus licèt vix Eccleſia reſpirare poſſet vi & tyrannide Ethnicorum principum, tamen hoc iuge ſacrificium tam ſolicitè procuratum fuit: auxerunt verò ſequentes Pontifices Miſſarum ſolennia, & plurimùm varijs tum orationum, tum cæremoniarum ritibus illuſtrarunt, vt Anaſtaſius, Cæleſtinus, Leo, Gregorius III. Leo III. & omnes hi fere intrà quadringentos à Chriſto annos, vt Nouatorum fronti calumnia inuratur. Cur verò hoc ſacrificium dicatur Miſſa, plerique à vocabulo Hebraïco, quod ſpontaneam oblationem ſignificat, deducunt, ex *cap. 16. Deuter.* alij Latinum nomen eſſe aſſerunt, vt Miſſa dicatur, quaſi miſſio, ſicut remiſſa, remiſſio apud D. Cyprianum *epiſt.* 70. Zenonem Veron. & alios: eſt etenim Miſſa, ſiue miſſio, abſolutio, ἀπόλυσις: quia erat finis; ſicut dies vltimus cuiuſque feſti, quia tunc populus ſoluebatur, ἀπόλυσις dicitur apud Codinum, de Offic.

aulæ Conſt. Baſilium Seleuciæ *epiſt. de S. Tecla lib.2. cap. 18.* Denique Miſſa ſumitur pro quocunque Officio Eccleſiæ, vt optimè ſcripſit Sicardus Cremonenſis, *cap.* 1. *lib.3.* quem ex penu literaria Reuerendiſſimi noſtri Antiſtitis Toloſani, Caroli, & eius munificentiâ videre licuit. Hanc autem abſolutionem Diaconus pronuntians, Catechumenos poſt Euangelij lectionem mittebat foras, quibus ſacris myſterijs intereſſe non dabatur, vt ſcribit Florus Magiſter, in expoſitione Miſſæ, & Beatus Remigius tractatu *de celebratione Miſſæ.* Illorum erat Miſſa poſt lectiones & Euangelia ante munerum oblationem, ait *canon* 1. *Concilij Valent.* Miſſa verò fidelium poſt confectionem & participationem ſacramentorum, quibus non licebat egredi ante abſolutionem, ſeu dimiſſionem, teſte Cæſario Arelat. *Homil.* 12. antequàm populus benedictionem accepiſſet ſacerdotis, ait canon, *conuenit, de conſecrat. diſt.* 5. abuſus enim increbuerat, vt cum Catechumenis fideles etiam exirent, de quo conqueritur Iuo Carnot. *epiſt.* 219. *Qui audiebat*, inquit, *Miſſam Catechumenorum, ſubterfugiebat Miſſam ſacramentorum.* Antequàm abirent fideles poſt peractam Miſſam ſolebat cani Canticum trium puerorum, ex conſtitutione Toletani Concilij, vt idem Sicardus annotauit, *cap. 8. eiuſdem lib.* & ità factum fuit, vt nomen Miſſæ, quod denotabat finem myſteriorum, pro ipſis myſterijs fuerit acceptum. Hæ duæ Miſſæ erant partes præcipuæ totius Officij; nam præter has, alias quinque ſtatuit idem Sicardus, vt ità ſeptem partes totius Miſſæ efficiat. Fuit porrò olim duplex Miſſa, ſeu oblatio matutina, & veſpertina, *d. can. Conuenit.* Cyprianus *epiſt.* 63. ſolebant enim quidam bis in die offerre manè, & veſpere, quod pro regionum diuerſitate factum D. Auguſt. refert *epiſt.* 118. Quin & S. Leonem octo & nouem vicibus celebraſſe Miſſam vnâ die ſcribit Vualafridus Strabo *cap.* 21. & plerunque multi poſt eſum ſacrificabant, quidam ieiuni manè, tum deinde poſt cœnam, & hoc ſacrificium dicebatur veſpertinum, quod licèt deſierit; tamen feriâ quintâ in Cœna Domini vulgò fiebat; quapropter vetitum fuit ne ampliùs niſi à ieiunis fieret Miſſa, *can. 29. Syn. VI. in Trullo*, quod ex more receptum in Eccleſia videtur innuere D. Auguſt. *Placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus intret, quàm ceteri cibi; nam ideò per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.* Vide Bar. *tom.* 1. *Annal.* Die verò Cœnæ Domini pomeridiano tempore, ſi aliquorum commendatio eſſet facienda, id à pranſis, ſolis orationibus fieret, *can. 29. Concil. Carthag. III.* ſub Leone IV. & ieiunus exiſtimatur etiam qui nullâ præcedenti dormitione Miſſam cantaſſet, vt eſt *in epiſt.* 15. *Alexandri III.* edita à Sirmundo. Ideò etiam cautum,

Mm 2

vt ſacerdos ſemel tantùm in die celebret, excepto feſto Natiuitatis Domini, *cap. Conſuluiſti. cap. Te referente, hoc tit.* atque etiam in feſto Paſchæ, quibus diebus olim licuiſſe bis, aut ter celebrare, & præter hos dies, quotidiè bis licuit vnam Miſſam ſcilicet de die, alteram pro defunctis, temporibus Honorij III. vt conſtat Concilio Oxonienſi; causâ neceſſitatis hoc exegit, nempe pro defunctis, vel in locis ſemotis, in quibus ſacerdotum copia non eſt, *can. Sufficit. de conſecrat. diſt.* 1. & tunc debet ſacerdos manere ieiunus, & ſumendo corpus Chriſti non perfundere vinum, vel aquam ad ablutionem cuius hauſtus celebrationem ſecundam impediret, *cap. Ex parte: hoc tit.* Primis temporibus longè aberat vt quilibet ſacerdos bis ſacrificaret, quia & diu mos fuit, vt in vna Eccleſia vna tantùm Miſſa celebraretur, vt notat *Iuo* 2. *parte, cap.* 87. quod Græci maximè obſeruarunt: creſcente verò multitudine Chriſtianorum celebrari cœperunt Miſſæ, quæ priuatæ dicuntur, in *can. Et hoc. ead. diſt.* & *cap. Quidam: hoc tit.* quòd in priuatis Oratorijs fierent, ne à publicis ſolennitatibus populus auocaretur, vt ſcribit Theodulphus *ad Presbyteros Aurel. cap.* 46. Primus Deusdedit Pontifex binas cantari Miſſas, & publicè fieri permiſit, ſic enim intelligenda ſunt verba Anaſtaſij in eius vita: *hic conſtituit ſecundam Miſſam in clero*: ad id pertinet *epiſtola* 79. *c.* 2. *Leonis ad Dioſcorum*, & *cap. Cùm creatura. hoc tit.* Porrò tota Miſſæ celebratio principaliter conſiſtit in ſacrificio panis, vini, & aquæ, quorum ſubſtantia vertitur in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, *cap. Cùm Martha. hoc tit.* plus autem vini quàm aquæ apponendum eſt; quia aqua debet in vinum conuerti quæ mutatio fieri bene non poſſet, & deinde vinum mutatur in ſanguinem, *cap. Pernicioſus. hoc tit.* damnatâ hac in parte eorum opinione qui aquam in vinum conuerti non putabant, ſed in phlegma & humorem aquoſum, quem de latere Saluatoris noſtri, non verò aquam fluxiſſe dicebant, *cap. In quadam. hoc tit.* qua de cauſa grauiter plectitur ſacerdos, & ab officio, & beneficio eſt deponendus, qui ſinè aqua ſacrificat, vt de peſſima Armeniorum religione refert S. Nicon, quod damnatur in *cap. fin. hoc tit.* in quo Honorius quatuor præcipua requirit in confectione ſacramenti, aquam cum vino, panem abſque fermento, ignem, & calicem. Panem fermentatum Eccleſia Romana non recepit; Chriſtus enim hoc ſacramentum inſtituit primo die azymorum, *Matth.* 26. *Marci* 14. & *Lucæ* 22. azyma enim demonſtrant fidelium ſinceritatem 1. *Corinth.* 5. Græci contra in fermentato ſacrificabant, & hoc in deteſtationem Nazaræorum, qui veterem legem Euangelio miſcebant, & vſus azymorum fuit legalis ceremonia; vtro-

Digitized by Google

quę autem pane confici ſacramentum B. Gregorius in ſuis Epiſtolis demonſtrat; ſed tamen Græcorum pertinaciam ſuggillat hac in parte Gregorius VII. *epiſt.* 1. *lib.* 8. Ideò verò ignem deſiderat ſummus Pontifex, quia vt ait *D. Hieron. in Marcum, cap.* 11. ignis denotat Spiritus ſancti gratiã; & hoc eſt ex veteri inſtituto Eccleſiæ, vt referunt Scriptores Eccleſiaſtici, tum quòd primùm Chriſtianis ſacrificantibus & conuenientibus in cryptis, & locis tenebricoſis, cùm etiam peruigilijs nocturnis faces accendere neceſſe erat; ideóque de oleo ſacro mentio fit in pleriſque auctoribus; vnde laudatur liberalitas Eudoxiæ Auguſtæ apud *Niceph. lib.* 14. *cap.* 50. In ſignum quoque lætitiæ & honoris lychnuchi appendebantur, ex inſtituto Apoſtolorum, *can.* 72. qui mos creber fuit apud Gentiles, teſte Suetonio *in Julio, & Aeſchilo, in choro Agamemnonis.* Calix etiam in conſecratione deſideratur, quem ligneum ampliùs fieri noluit Zepherinus, ſed vitreum; tum deinde propter fragilitatem Vrbanus I. ex argento, vel auro, vel ſaltem ex ſtanno fieri iuſſit, *can. vaſa. & ſeq. de conſecrat. diſt.* 1. De diuinis Officijs eſt vltima pars Rubricæ, ad quam pertinet *caput* 1. quo ſacerdos antequàm ad Miſſæ ſacrificium veniat, penſum ſeruitutis ſuæ debet perſoluere: *penſum ſeruitutis* dixit, eodem ſenſu, quo Iuo Carnot. *epiſt.* 19. penſum canonicum: tranſlatione enim ſumptâ à fuſis mulierum, omne officium ſiue onus, dicitur penſum, vt apud Columellam *lib.* 3. *cap.* 10. *vnúmque eſt ei propoſitum, operis ſui penſum peragere*: alij curſum canonicum vocant, quem Matutinali Officio, Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, & Veſpertinâ horis fieri debere tradit Clemens in Conſtitutionibus Apoſtolicis, & diuiſim expendi debere *D. Hieron. epiſt.* 22. *ad Euſtochium*, ſtatis ſcilicet temporibus, quibus ſigna pulſari debent, *cap.* 168. *lib.* 6. *Capitul.* erant olim ſeptem horæ ad Officium peragendum quatuor diurnæ, Tertia, Sexta, Nona, & Veſpera; Nocturnæ tres reliquę, teſtibus D. Baſilio & Ioanne Chryſoſtomo, *homilia* 49. *ad populum Antioch.* quam diuiſionem ſeptenariam poſteà aliter factam eſſe conſtat ex *d. cap.* 1. in Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperam, & Completorium: quapropter grauiter errant Chronographi, qui Sabiniano Papæ primam Horarum Canonicarum diuiſionem tribuunt, quam ab Apoſtolis manaſſe eorum Acta teſtantur. His horis hymnos, rythmos, & orationes, tum etiam pſalmos decantabant, vt ex D. Baſilio conſtat *epiſt.* 69. *ad Neocæſarienſes*: ideóque falluntur etiam qui putant Damaſum Pſalmos primùm in Eccleſiam inuexiſſe: nam quod refert ex eius vitæ ſcriptoribus Valaf. Strabo *cap.* 21. eum conſtituiſſe vt diu, noctúque Pſalmi canerentur, vel ad cantilenam re-



Digitized by Google

ſciendum eſt, vel veriùs ad curam, quam in augenda celebritate ca-
nendi & pſallendi adhibuit: quo etiam ſenſu Hormiſdam & Gregorium magnum, clerum compoſuiſſe, & Pſalmis erudiſſe referunt Anaſtaſius, & Luitprandus. Diuum quidem Hieronymum, & S. Benedictum exemplo ſancti Ambroſij induxiſſe, vt ſingulis ſeptimanis totum pſalterium perſolueretur non negabimus, vnde & Officium illud, ſeptimanæ dicitur in Concilio Tarraconenſi ſub Hormiſda; ſicut cantum Pſalmorum alternis vicibus in Antiochena Eccleſia ſtatuiſſe Flauianum, & Diodorum temporibus Conſtantij Imperatoris, teſtatur Radulphus Tung. *1. lib. de canonum obſeruantia, cap. 8. & 10.* D. quoque Gregorium conſtat initio precationum induxiſſe dicendum verſiculum; *Deus in adiutorium meum intende*: & D. Hieronymum; *Gloria Patri, &c.* in fine vniuſcuiuſque Pſalmi: Pelagium verò II. ſingulis diebus penſum illud, ſeu curſum canonicum à presbyteris perſolui iuſſit. Antequàm ità compoſita & diſtincta eſſent Officia inter Pſalmos, lectiones non recitabantur, quod fuit ſtatutum *can. 17. Synodi Laodicenæ,* vbi Balſamon ſcribit, ideò in varias ſeſſiones Pſalteriun fuiſſe diſtributum, & lectiones interponi cœptas, vt aliquantulum quieſceret populus, & rurſum poſteà caneret. In veſperis olim quatuor tantùm pſalmi dicebantur, vt ex regula D. Benedicti *cap. 17.* liquet, & adhuc apud Cartuſianos obſeruatur, qui antiquam regulæ puritatem illæſam cuſtodierunt. Quâ verò linguâ tùm Miſſæ ſacrificium, cùm diuina Officia peragi debeant, non eſt dubium; ob principatum enim Rom. Sedis Latinâ linguâ ab omnibus gentibus vſurpari debuit, & licèt Græci propriâ linguâ vſi fuerint, tamen feſtis ſolennibus, quibus Chriſtianæ & Catholicæ fidei imperium demonſtrabatur, Latinâ linguâ res ſacras faciebant, vt patet ex Synodo VI. *in Trullo.* Macario hæretico damnato tantam fuiſſe lætitiam populi, & Concilij, vt Miſſæ publicè Latino ſermone fuerint celebratæ, & omnis populus Latinis vocibus acclamarit, refert Anaſtaſius in *vita S. Agathonis.* Quin & libertatem huius linguæ Conſtantinopoli conceſſam à Zenone Imp. ſcribit Victor Vticenſis, *lib. 2. de perſecut. Vuandal.* Hæc ſola eſt quæ Chriſtianæ religioni congruit, licèt variæ ſint linguæ, quarum quiſque populus peculiarem habet, Macarius *homil. 32. Chriſtiani,* inquit, *vnam linguam ediſcunt, cunctíque ſub vna ſapientia erudiuntur.* De ſilentio & attentione Officiorum, vnicum *cap. eſt ex Concil. Later.* ſub Innoc. III. cui adde *cap. ſi diligenti, in 5. compil.* & ne ſacerdos ſolus celebret eſt *cap. 7. in Capitulis* incertæ editionis, *to. 1. Concil. Angliæ cap. propoſuit. ſup. de filijs presbyt. & epiſtola Theodulphi Aurelian. c. 7.*

Digitized by Google

## DE BAPTISMO, ET EIVS EFFECTV,

## TIT. XLII.

DE ſacrificio Miſſæ dictum: ſed quia baptiſmus ianua eſt ſacramentorum omnium, ſinè quo nemo ad illa admitti poteſt; ideò de baptiſmo agendum fuit; qui fit per trinam merſionem in aquis, his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, ſinè quibus Sacramentum nihil operatur, *cap.* 1. *hoc tit.* trinam hanc demerſionem olim neceſſariam fuiſſe notum eſt, quam ad triduanæ Chriſti ſepulturæ imaginem inſtitutam fuiſſe ſcribit Dionyſius *lib. de Eccleſiaſt. hierarch. cap.* 2. & D. Gregorius *epiſt.* 41. *lib.* 1, alij verò ob Trinitatis myſterium in *can. eodem modo. de conſecrat. diſt.* 4. vtraque ratio probatur in *can. de trina, ead. d.* tandem tamen ad vitandos varios errores, & ſchiſmata ſopienda, vnicam merſionem ſufficere conſtitutum eſt, in *can. Propter. ead.* Ex quibus conſtat duo ſemper in baptiſmo requiri, verbum & aquam: ſinè verbo nullum eſt ſacramentum, ſed aqua, *can. Detrahe* 1. *q.* 1. *cap.* 5. *hoc tit.* Locus etiam requiritur, vt nempe fiat in Eccleſia, *can. In nomine, diſt.* 23. non verò in priuatis ædibus, niſi ad baptizandos filios regum, & principum, *Clement. vnicâ, hoc tit.* vel neceſſitate tali exigente, quod periculum mortis incutiat, *can. ægrotantes. de conſecrat. diſt.* 4. Similiter nec omnis aqua ad baptiſmum aſſumi debet, ſed conſecrata, niſi cogente neceſſitate: tunc enim aqua fontis, fluminis, ſtagni, vel paludis ſufficit ex conſtitutione Victoris Papæ *epiſt.* 1. non omnis quoque perſona ad baptizandum idonea eſt, ſed Epiſcopus tantùm, vel presbyter, niſi in eorum defectu; nam tunc & diaconis, imò & laicis conceditur, *can. conſtat. ead.* dummodò bigami non ſint, ait Concilium Valent. & Eliberitanum: non quidem mulieribus, *can. Mulier* 23. *diſt. can. Mulier, de conſecrat. d.* 4. contrà hęreſim Marcionitarum, teſte Epiphanio, hęreſi 42. niſi abſentibus viris; quia tum demum eis licere docent Theologi. Præter hæc, tempus conſideratur, quod olim duplex fuit, in feſto Paſchæ & Pētecoſtes, *can. Duo tempora, & ſequentib. de conſecrat. diſt.* 4. alijs verò non licuit, niſi ob infirmitatem, & aliquod ingens periculum, *can. Baptizari, diſt.* 5. *& can. de Catechumenis, & ſeq. de conſecrat. diſt.* 4. donec propter frequentia pericula prouiſum fuit, vt quandocumque libuerit baptiſmus concedatur, vt ſcribit Rupertus *lib.* 4. *de diuinis Officijs, cap.* 18. iuxta *canonem, celebritatem. de*

Digitized by Google

*conſecrat. diſt. 3.* Illud magis inſtitutum fuerat ad ſolenniorem celebrationem, quàm Sacramenti neceſſitatem: nam, vt ait Tertull. *lib. de Baptiſ. cap.* 19. *diem baptiſmi ſolenniorem Paſcha præſtat, ceterùm omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile eſt baptiſmo, ſi de ſolennitate intereſt, de gratia nil refert.* quod confirmat D. Ambroſ. *ad cap. 4. Pauli ad Epheſ.* quo tempore, id deſierit pro certo non habetur, cùm duorum illorum temporum obſeruatio ſenſim & deſuetudine potiùs, quàm lege euanuerit, vt colligere eſt ex Cōcilio Matiſc. ſub Pelagio II. *can. 3.* quo reprehenduntur Chriſtiani ob contemptum legitimorum dierum, ità vt duo, vel tres in ſancto Paſchate non reperirentur baptizandi. Deſijt quoque ſolennis & ſtricta illa obſeruatio in recipiendis baptizandis, quam tamen ſcire non ingratum erit, imò perutile; cùm eam non planè cognitam exiſtimem. Duplex erat ordo eorum qui baptizandi erant, quos communi vocabulo Catechumenos dici certum eſt, ſcilicet tam eos qui inſtruendi erant, quàm inſtructi. Inſtruēdi peculiari nomine dicebātur Catechumeni ἀπὸ τȣ̃ κατηχεῖν, qui quidem aut erant penitentes, aut audientes; ſiquidem inter penitentes, non ſolùm fideles referebantur, qui ob crimen aliquod ab Eccleſia deiecti erant, ſed etiam gentiles, qui baptiſmum optabant, quos primùm penitentiam agere neceſſum erat, *can. omnis, & can. agunt. de conſecrat. diſt. 4. can. tres ſunt. de penitentia. diſt.* 1. dicebantur verò audientes, quia in auditorium & tyrocinium veniebant, vt ibi audirent rudimenta, & principia fidei, *can. Ante baptiſmum. ead. diſt. 4. de conſecrat.* his enim Catechiſtæ ſacram paginam exponebant, incipientes à creatione mundi, & libris Geneſeos vſque ad præſentis Eccleſiæ tempora, vt refert D. Auguſtinus *lib. de catechizandis rudibus*; rudes vocat quos canon *14. Syn. Nicana* ἀκροωμένους, *Tertull. lib. de pœnitentia,* nouitiolos, & catulos infantiæ recentis renouandos *D. Leo l. ep. 89.* qui autem eis legebāt diuinas ſcripturas erant Lectores, ἐπὶ κοινῇ ἀκροάσει, id eſt *in communi auditione*, ait Balſamon *ad can. 22. Synod. Laod. can. 90. Syn. Carthag.* Aliud genus Catechumenorum conſtituebant Competentes, ſic dicti quaſi ſimul gratiam Chriſti petentes, teſte D. Auguſt. *Sermone 116.* in Dominica Palmarum, & Iſidoro *lib. 2. de Eccleſ. officijs, cap. 21. electos vocat* Siricius *ep. 1. ad Himerium,* & Albinus Flaccus *lib. de diuinis off. cap. de baptiſ.* quia ſolebant nomina ſua dare ſacerdotibus, qui ea in tabulas referebant, vt eſt apud Gregorium Nyſſ. *Oratione aduerſùs eos, qui differunt baptiſ.* Clemens *epiſt. 3. de officio ſacerdot. accedat autem qui vult ad ſacerdotem ſuum, & ipſi det nomen,* quod fiebat vt plurimum initio Quadrageſimæ, vt totis quadraginta diebus ieiunarent,

Digitized by Google

narent teſte D. Hieron. *in epiſt. ad Pammachium*; adeò vt qui poſt duas hebdomadas recipi peteret, non audiretur, *can. 45. Syn. Laod.* qua in re falluntur, qui totum tempus ad Catechiſmum complendum aliquando fuiſſe 40. dierum, aliquando 18. dicunt, quod eſt intelligendum de Competentibus tantùm, quibus poſt nomina data, & petitionem baptiſmi factam, ſupradictum tempus exigendum erat; primitùs etiam vltra, nempe per tres menſes, vt ex Clemēte conſtat loco citato, *vt tribus menſibus iam conſummatis in die feſto poſsit baptizari*, quod de Competentibus tantùm locum habuit, nam audientibus tres anni conſtituebantur, *can. 2. ſyn. Nicanæ, can. 95. ſyn. VI.* quod Iuſtinianus ab biennium contraxit *Nou. 145.* & aliquando longiùs productum fuiſſe, aliquando coarctatum non eſt ambigendum. Intrà verò tempus Competentium ſeptem fiebant ſcrutinia, id eſt, interrogationes, ſiue inquiſitiones: D. Auguſt. vocat *examina, cap. 1. ad Catechumenos*, & Siricius *epiſt. 1. ad Himerium*: horum ſex à tertia potiſſimùm hebdomada Quadrageſimæ fiebant: ſeptimum verò die ſabbati quo baptiſmus impendebatur ante Reſurrectionis feſtum, vel Pentecoſtes, *cap. 2. de capell. monach. cap. his quæ. de maior. & obedient.* In eo verò conſiſtebant ſcrutinia, vt à Competentibus tum fidei Articuli, cùm etiam Oratio Dominica, & Symbolum Apoſtolorum exigerentur publicè in Eccleſia, *can. Baptizandos, de conſecrat. diſt. 4. D. Auguſt. homil. 42. de expoſit. orat. Dominicæ.* Licèt quoque, vt alibi ipſe teſtatur, tenerentur tantùm neceſſariò reddere ſymbolum, quod fidei fundamentum eſt, & idcirco πίςιν vocat *Syn. Laod. can. 45.* vt plurimum die Dominicâ Palmarum, & ſequentibus deinde ferijs, *cap. 13. Concilij Agath.* qui dies dicebantur etiam Capitilauium, quòd moris eſſet capita vngendorum lauare, apud Tertull. *lib. de baptiſmo, cap. 14.* Conſtat ergo ex ſuprà dictis diuiſionem ritè factam fuiſſe, vt baptizandi primò dicerentur Penitentes, tum Audientes, poſtremò Competentes: nec eam debet turbare confuſio & promiſcua acceptio Catechumenorum, quo nomine omnes crebrò acceptos fuiſſe non eſt dubium. His diuerſæ manſiones in Eccleſia dabantur, vt præter alios videre eſt apud Authorem *lib. de ſeptem gradibus Eccleſiæ*, qui vulgò D. Hieronymo tribuitur. Vnâ penitentes & audientes continebantur in ferula ſcilicet, ſeu auditorio, id eſt in veſtibulo, & atrijs quibus patebat ingreſſus ad Eccleſiam. In altera manſione erant qui propriè dicebantur Catechumeni tam Competentes, quàm non Competentes, qui locus protendebatur vſque ad ambones duos, ſeu pulpita in quibus Epiſtolæ canonicæ, & Euangelia Chriſti decantabantur, vt docet Balſamon *ad can. 12. Syn. Nicanæ, &*



Digitized by Google

*can. 4. Syn. Ancyr.* ad quos ambones aſcendebatur gradibus, vt ab his in eminenti & edito loco conſtitutis facilè quilibet audiret, vt docet Clemens II. *Conſtit. cap.* 57. *&* *can.* 15. *Syn. Laodic. Non oportere præter Cantores qui ſuggeſtum aſcendunt aliquos canere*, μὴ δεῖν πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων. Id eſt, *& ex membrana legunt.* hinc Antiphonę & Reſponſoria, quæ ab Epiſtolis ad Euangelia canuntur, Graduales, & Tractus dicti fuerunt, & hodiè adhuc nomen retinuerunt. Ab ambonibus versùs altare erat manſio fidelium, quam σύστασιν, *congregationem ſeu conſiſtentiam* vocabant, in qua fideles vſque ad finem Miſſæ perſiſtebant: tum deinde erat altare, ſeu participatio ſacramentorum, quod cancellis claudebatur, intrà quos clerici tam maiores, quàm minores ſtabant, nec vllus ingreſſus laicis patebat, niſi communicaturis, *cap. 1. ſup. de vita & honeſt.* & illæ manſiones dicebantur etiam ſtationes primi chori, *can. Nonnulli. 93. diſt.* ſtationes ſecundi chori erant vbi populus ſtabat, *cap. 3. Concil. Turon. II.* Hanc etiam diuiſionem manſionum notat D. Baſilius *epiſt. ad Amphilochium 3. can.* 56. & ità propriè Catechumeni, fideles, & clerici erant intrà Eccleſiam, penitentes & audientes extra: nec enim porticus & veſtibula Eccleſiæ cenſebantur, quia in his Gentiles & pagani ſtabant, vt ait D. Hieronymus *epiſt. 17. ad Marcellam. Atrium, autem*, inquit, *quod eſt foris templum nec metiaris, quoniam datum eſt gentibus.* Statio ſiquidem Catechumenorum Eccleſiæ pars erat, vt docet Balſamon *ad d. can. 12. Syn. Nicænæ, & ad d. can. 4. Syn. Ancyr.* quamuis & aliquandiu dubitatum, an pars illa quæ ſubſtractio dicebatur, in qua erant Catechumeni, Eccleſiæ adſcriberetur, vt idem notat ad *can.* 99. *Syn. VI. in Trullo.* Completo igitur baptiſmi tempore baptizatos indui veſtibus albis tritum eſt ex Aymoino, & Gregorio Turonen. *lib. 5. cap. 11. Albicabat tota ciuitas de grege candido*: rationem reddit D. Ambroſius in *can. Accepiſti. de conſecrat. diſt. 4. quòd exuerint inuolucra peccatorum, & induerint innocentiæ caſta velamina.* Hæc innocentia denotatur per infantiam, quæ propria baptiſmo, non tantùm ex numero annorum infra ſeptennium concluditur, *can. Paruuli: ead. d.* apud D. Auguſt. *in epiſt. ad Renatum*: ſed etiam ſupra ſeptennium, tales enim infantes dicuntur: omnis ſiquidem ætas imperfecta quæ Græcis χεῖρα, infantia eſt, notante Balſamone ad *can.* 85. *Syn. VI. in Trullo. in can. 28. Syn. Carthagin.* χεῖρα πρεσβεβηκυῖα, ſumitur pro ἡλικία, hoc *eſt ætate prouecta*: quin & omnes cuiuſlibet prouectæ ætatis per baptiſmum exiſtimantur paruuli & infantes; iuxta illud Marci 10. *Si quis non receperit regnum Dei, ſicut puer, non intrabit in illud*: quod con-

firmat D. Auguſt. in pſalmum 112. quiità intelligit hæc Prophetæ verba, *Laudate pueri Dominum.* S. Gaudentius *Serm. 8. regeneratos vos eſſe per baptiſmum, & renatos nuncupatione ipſa, quâ infantes vocamini poteſtis aduertere:* fuit equidem error infantibus baptiſmum non eſſe dandum, eò quòd, vt ait Innocentius III. *in cap. Maiores. hoc tit.* paruuli nec ſentiant, nec conſentiant, nec charitatem habeant; quam rationem ipſe nullius momenti facit, & iuris regulis deſtruit: ait enim duplex eſſe peccatum, originale & actuale, illud ſinè conſenſu contractum, etiam ſinè conſenſu per baptiſmum tolli; hoc conſenſu contractum, conſenſu etiam abolendum, *can. Non ex quo, & can. Regenerante, ead. d.* quod & de mutis, ſurdis, & amentibus dicitur in *d. cap. Maiores.* dummodò ante morbum tale propoſitum habuiſſe noſcantur, quia voluntas præſumitur durare, *cap. 1. ſup. de his quæ vi met. cau.* Quapropter cùm tales ob infantiam, vel alium defectum obloqui, & reſpondere non valent, fideiuſſores ſolent habere, qui pro eis reſpondeant quorum fides ipſis prodeſt, teſte D. Auguſt. *ead. diſt.* ſunt etenim noui patres baptizatorum, ſicut manumiſſores & adoptiui, ideóque & compatres quaſi ſimul patres, ſicut competentes ſimul petentes, apud D. Auguſt. σύντεκνοι apud Cedrenum & Conſtantinum Cabaſilam, fidei ductores apud Tertull. *lib. de baptiſ. cap. 18.* patrini, *can. in catechiſmo, ead. diſt.* ſed & alijs nominibus, quæ hîc recenſere nimis eſſet otioſum. Initio naſcentis Eccleſiæ non erat receptum vt patrini illi, & ſponſores adhiberentur, quia, vt dixi, nulli infantes ad baptiſmum admittebantur, vt ex D. Hieronymo *lib. 3. ad Pelagium* conſtat, quod cùm graue & damnoſum eſſet, ſublatum fuiſſe refert D. Auguſt. *1. de ciuit. Dei, cap. 27.* nec diu id ſtetit, cùm & in *d. can. in catechiſmo*, Hyginus iam receptos patrinos oſtendat, tum Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, & D. Dionyſius *lib. de cœleſti hierarch. cap. de baptiſ.* Fuit præterea error, ne ante diem octauum infantes baptizarentur, quod D. Cyprianus adhibito conſilio ſe improbaſſe refert, *epiſt. 69.* & D. Greg. *in reſponſionibus ad Auguſt. epiſt. 31. lib. 12.* & ſtatim ei, qui editus eſt baptiſmum conferri poſſe ait. Hæc opinio proceſſerat ex circunciſionis lege, quâ dies octauus exſpectabatur, *Gen. 17.* qui dicebatur luſtricus, vel ſanctificationis luſtratio, *can. 75. Concil. Carthag.* quem morem obſeruarunt etiam Ethnici; aliquando verò etiam ſeptimum, nonum, vel decimum apud Plut. Ariſtotelem, & alios: M. Aurelius Imp. tertium diem ſtatuit Iulio Capitolino. Solebant autem patrini die baptiſmi, baptizatorum nomina in tabulas profeſſionis referre, teſte D. Dionyſio loco citato, vt ità ſponſionis ab eis factæ



Digitized by Google

fides haberetur, ſi quando pueri facti adulti à fide aberrarent, vt ait Tertull. *lib. de baptiſ. cap. 18.* his tabulis non omnino alienæ profeſſionum tabulæ, de quibus in *l. 1. C. Si ſapiùs in integ. reſt.* παιδογραφίας *l. 2. de excuſat. tut.* quas ad obſeruandas ætates hodiè cuſtodiri præceptum eſt Concilio Trident. ſicut olim in templo Saturni, vel apud præfectos ærarij, teſte Capitolino in Marco, & Gordianis. Quæ ad vnctionem pertinent *tit. de ſacra vnct. ſuprà attigimus.*

## *DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO,*

### Tit. XLIII.

HIC titulus apertè pendet ex ſuperiori, in quo agitur peculiariter de eo qui ſinè baptiſmo Ordines ſuſcipit, cùm baptiſmus ſit ianua aliorum ſacramentorum, Ordines conferri non poſſunt, aut collati nullius ſunt effectus, *cap. Veniens. hoc tit.* niſi per ignorantiam id factum fuerit; quandiu enim ordinatus putat ſe baptizatum, non periclitatur, *cap.* 1. *hoc tit.* imò & ſi ſciat ſe carere baptiſmo, ſi tamen impeditur ad baptiſmum accedere, votum ei ſufficit; per fidem enim Deus hominem ſanctificat, cuius potentia ſacramentis viſibilibus non alligatur apud D. Auguſt. *q. 84. in Leuit.* Hic enim eſt baptiſmus flaminis, qui non minùs iuuat, quàm fluminis, aut ſanguinis, *can. Nullus exſpectet. de pœnit. diſt. 7. can. baptiſmi, & can. Catechumenum. de conſecrat. diſt. 4.* Debet verò purgari ignorantia, quandocunque fieri poteſt, & tunc cùm innotuit presbytero ſe non fuiſſe baptizatum, laicus fit, & nouus homo, ità vt baptizari, & omnes denuò Ordines recipere teneatur, *cap. 1. hoc tit. can. Si quis per ignorantiam 1. q.* 1. imò, quod putauerunt quidam, ab eo baptizatos iterum baptizandos, propter verba quæ leguntur apud Burchard. *lib. 4. cap. 74.* Iuonem *parte 1. cap. 268. Baptizetur & ordinetur iterum, & omnes quos priùs baptizauit*: quæ poſteriora verba abſunt à *cap. 1. hoc tit. & in prima compil.* & meritò; nec enim baptizatus gratiam accipit à baptizante, ſed à ſacramento, adeò vt à quocunque impendatur baptiſmus, ſeruatâ Eccleſiæ & fidei Chriſtianæ normâ, valeat, *can. hanc regulam & ſequentibus 1. q. 1.* & iterari non debeat, *l. Nulli. C. ne ſanctum baptiſma reit.* cui tamen ſententiæ aduerſantur *can. 45. & 46. Apoſtolorum*, in quibus deponendum eſſe Epiſcopum aſſeritur, qui baptiſmum hæreticorum admiſerit, & baptizatum iterum non baptizauerit: qui loci intelligendi ſunt de ficto & imperfecto baptiſmo,

Digitized by Google

qui non eſt verè baptiſmus, quod indicant verba illa, quibus è contrario deponi iubet baptizantem eum qui ſecundùm veritatem habet baptiſmum, *κατ' ἀλήθειαν βάπτισμα*. Nouatiani hâc inſaniâ acti fuerunt, vt iterari ſæpiùs poſſe & debere crederent, quos redarguit D. Paulus ad Rom. *cap. 6. quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*; ſi enim plures eſſent baptiſmi, oportuiſſet etiam ſæpiùs Chriſtum paſſum fuiſſe, ſcribit Eulogius Alexand. *lib. 2. contra Nouatianos*.

## *DE CVSTODIA EVCHARISTIAE, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum,*

### TIT. XLIV.

QVI baptizantur oleo chriſmatis vngi, tum deinde ad communionem corporis Chriſti admitti ſolebant; ideò rectè ſubiungitur hic titulus, quo proſpicitur ſacramentorum cuſtodiæ & curæ, ne temerè à profanis & ſacrilegis manibus polluantur, præſertim ſacroſancta Euchariſtia, quam in vſum ægrotantium à presbyteris reſeruari veteres voluerunt, *can. presbyter. de conſecrat. diſt. 2. cap. officium. ſup. de offic. Archipresb.* Imò & eam primis temporibus domum aſportare licuit, & linteis mundis & precioſis inuolutam in arculis ſuis recondere, vt de ſorore ſua Gorgonia teſtatur Greg. Nazian. *orat. funeb.* & Cyprianus *lib. de lapſis*; Tertull. *lib. de oratione*. In altaribus ſolebant è columna arculæ quædam, vel ciſtæ ſuſpendi in quibus ſacrum Domini corpus aſſeruabatur, ideóque toties videmus apud Authores qui vitas Pontificum ſcripſerunt, Damaſum, Anaſtaſium, Luitprandum, ſummos pontifices ciboria donaſſe; vt nominatim Sergium II. & Leonem III. qui ciboria cum columnis ſuis ſuper altare miræ magnitudinis feciſſe narrant. Ciborium erat arcula illa. Græca vox, ſicut *κιβώρια*, ſeu *κιβώτια*, pocula ſignificant, apud Athenæum; ciſtam vel arcam in qua reponuntur veſtes, apud Pollucem. Hinc D. Paulus *ad Hebræos, cap. 9.* arcam fœderis appellat *τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης*. Peculiariter tamen ciborium vſurpari cœpit, pro vaſculo illo, quo Euchariſtia ſeruatur, vocatur ſacra pyxis, apud Odonem Pariſienſem *in ſtatutis ſynodalibus, cap. 35.* & alibi paſſim; ſicut & columba, eo quòd ſæpiùs in formam columbæ aureæ, vel argenteæ facta eſſet, vt notum eſt ex *petitionibus cleri & monachorum in Concilio V. Conſtantinop.* aduersùs Seuerum, qui columbas altaris abſtulerat: Quod



Digitized by Google

verò licuit aliquando domi aſſeruare, originem habuit à naſcente Eccleſia liberam diuini cultus facultatem non habente, adeò vt in cryp tis, & foueis conuenire Miſſarum cauſâ oporteret; ſed recuperatâ pauliſper libertate, is mos euanuit propter fraudes impiorum & hæreticorum, qui ne detegerentur in Eccleſijs non communicaſſe, ſacrum corpus ſecum auferentes polluebant & profanabant: contra Priſcillianiſtas legem tulit Concilium Cæſarauguſt. I. *can. 3.* ſub Damaſo; *Euchariſtiæ gratiam ſi quis probatur acceptam in Eccleſia non ſumpſiſſe, anathema ſit in perpetuum.* Fuit quidem error non tantùm domi, ſed & in Eccleſia corpus Dominicum non debuiſſe aſſeruari in *epiſt. 2. ad Iacobum, fratrem Domini,* quæ nomine Clementis ſcripta eſt, relata in *can. Tribus. de conſecrat. diſt. 2.* vetatur omnino ſeruari, vbi Gloſſ. id ità interpretari voluit, ſed malè; ne ſacerdotibus liceat ad opus ſuum aſſeruare, nominatim enim loquitur de Euchariſtia populo eroganda, quam ideò ſeruari opus fuit. Hanc conſtitutionem vim non habuiſſe dicendum eſt, ſicut ſuprà de baptiſmo infantium diximus, æquiori ſanè & ſanctiori ratione, ne fideles ſubitis & ſpontaneis morbis affecti ſinè ſacro viatico decederent, *d. canone Presbyter.* Fuit ſanè iniunctum presbyteris frequenter hoc ſacramentum renouare, octauo quoque die ab Odone Pariſien. *can. 21.* *Ne vetuſtate* inquit, *aliqui ad indeuotionem moueri valeant, aut errorem.* ab Huberto Cantuar. Archiepiſcopo in ſuis decretis, apud Rogerum de Hoüeden in Ioanne Rege: *Renouetur,* inquit, *hoſtia ipſa ſingulis diebus Dominicis.* Igitur in his ſcrinijs & ciborijs reponi debere corpus Dominicum conſtat, & ità concludi; vt contra ſacrilegas manus ſint firma & ſub clauibus poſita, ait Innocent. III. *in cap. 1. hoc tit.* & idem Odo *d. can. 35.* Quod non tantùm de Euchariſtiæ cuſtodia, ſed etiam olei, chriſmatis, & fontium decreuit & nuper Trident. Synodus *ſeſſ. 13. cap. 6.* tutiùs ſtabiliuit; adeò vt presbyter, cui cura commiſſa eſt ob negligentiam & culpam graui pœnâ mulctetur, *can. qui bene. de conſecrat. diſt. 2.* tenetur enim non ſolùm ob dolum & latam culpam, verùm etiam ob negligentiam, arg. *can. ſi per negligentiam, ead.* Sub fideli cuſtodia commendantur quoque ſacra vaſa & veſtimenta, ne à profanis laicorũ manibus contingantur, *can. in ſancta. de conſecrat. diſt. 1.* & vt ſint honeſta & munda, *can. ſeq. cap. Sanè, ſup. de celebrat. Miſſ.* & ſi quando ſordida fuerint intrà ſacrarium ablui debent à Diaconis & miniſtris, *can. Nemo. ead.* oportet ea nitida & integra eſſe; corrupta verò igne conſumenda ſunt, ait Gregorius VII. *in Concil. Rom. cap. 27.* Hæc prohibitio tangendi vaſa ſacra reſpicit omnes, præter eos qui ad ſacros Ordines ſunt promo-

Digitized by Google

ti, vt ſunt presbyteri, diaconi, & hypodiaconi; imò & olim ſubdiaconis id non licuit, *can. 21. Syn. Laod. can. non oportet. 21. d.* quia ordinibus ſacris ſubdiaconatus non erat adſcriptus: ſed tamen in *can. 28. Synodi Carthag.* contrarium definitur; Balſamo enim reſpondet, adhibitâ differentiâ inter ψηλαφεῖν, quod eſt *contrectare, transferre*, & loco mutare, & ἅπτεσθαι, quod eſt *tangere*, qui nec tamen conſtans eſt in ſua diſtinctione, ſed aliam fingit ad *d. can. 21.* vtrùm vaſa ſacra ſint inania & vacua κενῶν ὄντων, inquit; & tunc liceat eis tangere, non verò ſi inſit corpus Dominicum; motus forſitan ea ratione quòd hypodiaconus in ſua ordinatione calicem vacuũ, & patenam vacuam recipiat *can. ſubdiaconus. 23. d.* qui deſumptus eſt ex Concilio perantiquo Carthagin. IV. *can. 5.* quod fuit celebratum iuxta ſententiam Baronij, anno *398.* ſed faceſſit negotium *d. can. 21. Synodi Laodic.* qui prohibet ὑπηρέτας, id eſt, *miniſtros*, ſiue *ſubdiaconos* ingredi diaconicum, & ſacra vaſa tangere, contra mentem *d. can. 28.* Ideò recurrit ad aliam diſtinctionem, temporis nempe, quo tractantur ſacra myſteria ἐν τῇ θυσίᾳ, vt tunc tantùm vaſa ſacra tangere non poſſit, ſed tantùm transferre, & alibi aſportare, quæ mens eſt etiam Zonaræ, qui quidem mox ab hac opinione recedit, & hoc ex more Carthaginis, & regionis Africæ ſuſpicatur: quod, ſi verum amamus, magis placet; quippe tota Africa vſum Romanæ Eccleſiæ ſequebatur, vt demonſtrat *in præfatione dicti Concilij*, & *Commonitorium Zozimi* ad idem Concilium. Fuit autem vetus conſuetudo Rom. Eccleſiæ, vt quamuis ſubdiaconatus non eſſet adhuc ordo ſacer, à coniugio tamen eſſet alienus, & ideò ſacra vaſa tangere poſſet: hæc probatur ex *can. ante triennium. 31. diſt. vt more Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconi nullatenus ſuis vxoribus miſcerentur.* quem morem antiquiſſimum eſſe dubium non eſt: nec exiſtimare debemus, vt vulgò creditur, Gregorium primum hoc decreuiſſe, *in can. nullum. 28. diſt.* cùm anteà & Pelagium prædeceſſorẽ ſuum idem ſtatuiſſe profiteatur *in can. multorum 32. diſt.* fruſtra enim dixiſſet Gregorius morem hunc fuiſſe Rom. Eccleſiæ, ſi Pelagius, vel ipſemet auctor fuiſſet, vt latiùs tractaui ſup. *ad titulum de clericis coniugat.* morem non allegaſſet, quem vſum multis ſeculis habitum cum Iſidoro *in can. 4. diſt. 1.* debemus accipere, *ſecundùm conſuetudinem præteritorum temporum*, vt loquitur Plinius *epiſt. 299.* quam tantam fuiſſe colligere fas eſt, vt initio naſcentis Eccleſiæ nata ſit, & hypodiaconi ſacra vaſa tangere potuerint: probatur illud ex *cap. 21. lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum*, quæ licèt dubiæ ſint quantùm ad auctorem, quem Clementem vulgò eſſe exiſtimant, ius tamen vetuſtiſſimum demonſtrant;

Digitized by Google

agit in eo D. Thomas Apoſtolus de ordinatione ſubdiaconi, *καὶ δός αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον, πρὸς τὸ ἐπαξίως ἐφάπτεσθαι τῶν λειτουργικῶν σου σκευῶν*, id eſt, *Tribue ei Spiritum ſanctum, vt vaſa ad miniſtrandum tibi facta dignè attrectet*; ità Turrianus vocem, ἐφάπτεσθαι, vertit, quaſi nullam differentiam ponat cum voce ψηλάφειν. Et fruſtrà Balſamo laborat in ponenda differentia, Græcus homo non poterat probare ſententiam Latinorum, qui vxores hypodiaconis tollebant, quæ tamen lex non omnino improbata erat, vt dixi, à Græcis, præſertim tempore ſacrificij, id eſt, *κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἐφημερίας αὐτῶν, ἤγουν καθ' οὓς καιροὺς μεταχειρίζοντας τὰ ἅγια*, id eſt, *tempore vicis ſuæ, ſcilicet quando tractant ſacra*. Et hic eſt ſenſus dicti *can.* 28. Quantùm attinet *ad can. 21. Synodi Laodic.* vel mos Romanus locum tunc habuit, vel ſubaudienda dicta diſtinctio *d. can. 28.* Quod verò ſpectat id quod dicitur de diaconico, ſeu ſacrario in eo *can.* 2. aliquid tangam in Obſeruationibus meis. Poſtremò in hoc titulo decor & reuerentia Eccleſiarum procurantur, ne ex Eccleſijs horrea fiant, in quibus aliena ſupellectilia recondantur, præterquàm in ſumma neceſſitate, veluti ob incendia repentina, & hoſtium incurſus, *cap. 2. hoc tit. arg. can. ſicut de conſecrat. diſt.* 1. antiquitus ingraueſcentibus bellis hoc fuit obſeruatum, vt ruſtici in Eccleſijs res ſuas tutarentur: Anonymus Floriacenſis, *4. de miraculis S. Benedicti, cap. 24. Vt verò moris agreſtium eſt*, inquit, *in aduentu militum formidare, ruſtici omnia ſua ad Eccleſiam conuehunt, tam annonam, quàm ſupellectilem variam.*

## *DE RELIQVIIS, ET VENERATIONE SANCTORVM,*

### TIT. XL.

HIc titulus optimè quadrat ſuperioribus, tum quòd Eccleſiæ ſinè reliquijs conſecrari, & dedicari non poſſint; cùm quòd olim Miſſa tantùm celebraretur ſuper memorias, & ſepulchra Martyrum; quamobrem reliquiæ ſumma in veneratione ſunt, quibus Chriſtiani reuocant ſibi in mentem virtutes & merita Sanctorum, vt horum ſuffragijs & meritis adiuuentur, vt de SS. Apoſtolis Petro & Paulo Cornelius Papa *epiſt.* 1. ſcribit, quorum corpora in ſummo honore habita, pretioſis loculis recondita fuerunt, ædificatis illis Eccleſijs & ſumptuoſis monumentis, quæ D. Hieronymus *aduersùs Vigilantium, & quæſt. 11. ad Elpidiam, trophæa* nominat; quia eorum paſſio, & pro Chriſti nomine ſanguinis effuſio, fuit celebris triumphus, & gloria; & quamuis vbicumque locorum



Digitized by Google

inuocari Sanctorum animæ poſſint, maximè tamen vbi eorum habentur memoriæ, vbi ſepulchra, vbi reliquiæ, D. Auguſt. *lib. de cura pro mortuis gerenda*, & D. Cyprianus *in epiſt. ad Cornelium.* Ex quibus conſtat, fundamenta Eccleſiæ fuiſſe martyria, baſilicas, & aras ipſorum honori dicatas, ideò Anacletus V. Pontifex à D. Petro, & ipſius diſcipulus memoriam ipſi exſtruxit, quod deinde ſemper in Eccleſia receptum fuit, vt eorum qui pro Chriſto mortem ſubijſſent, corpora ſummo in pretio haberentur, ità vt initio etiam naſcentis Eccleſiæ imagines eis poſitæ & erectæ fuerint, teſte Euſebio *lib. 7. hiſt. cap.* 18. exemplum præbuit nobis D. Lucas, quem proprio penicillo Virginem Mariam depinxiſſe narrat, quod vltrà non eſt probandum; innumera enim teſtimonia ſatis εἰκονοκλαστὰς tam priſcos, quàm neotericos conuincunt, quod noſtri non eſt inſtituti: hoc tantùm addimus ideò iconas & imagines Martyrum depictas in Eccleſijs fuiſſe, vt oculis Chriſtianorum repræſentaretur paſſio, quorum celebrabantur γενέθλια, ſeu natalitia; erat enim ſatius in templis talia depingi, quàm inanes & laſciuas picturas, ἀγάλματα adhiberi, quas Synodus ſexta in Trullo damnauit, vt refert Hadrianus *in can. vlt. de conſecrat. diſt. 3. Sanctorum ſiquidem imagines ad memoriam & recordationem proſunt, tum etiam ignorantes inſtruunt, & gentibus lectionem præbent*, vt ait Gregorius *in can. Perlatum, & ſeq. ead. diſt.* Natalitia verò cùm dicimus, ſæpiùs intelligimus diem depoſitionis, quem τελείωσιν Græci vocant, vt ſcribit D. Ambroſ. *Serm. 70.* Euſebius *lib. 4. cap. 14.* agens de reliquijs S. Polycarpi παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τῶν προηθληκότων μνήμην: *Dominus præſtabit vt celebrem eius martyrij diem inſtar natalis feſti recolamus.* Herricus monachus, *de vita S. Germani, lib. 4.*

*Hoc ſcitote prius mundo clareſcere nomen*
*Quattuor ante dies, hæc ſunt natalia Sancti,*
*His martyr factus felici ſorte Calendis.*

Martyrium natalem diem vocant, quod vſu & conſuetudine Eccleſiæ factum referunt Rudulphus *in Leuit.* & Haymo in ſuis homilijs. Quòd ſi dies hi maximè celebres Chriſtianis, multò magis reliquiæ, & oſſa, vt Tertull. docet *lib. de corona milit.* damnatis aduerſarijs in Græcia Aëtio & Eunomio, in Italia Iouiniano, in Gallia Vigilantio, qui hunc honorem ſoli Deo debitum iure latriæ aſſerētes δουλείαν damnabant, quæ à creatura præſtatur creaturæ, nec differentiam ponebant inter ἀνθρωπολατρείαν, & ἀνθρωποδουλείαν. Porrò reliquiarum veneratio ab Eccleſia accepta fuit, veteris Teſtamenti exemplo, quo Patrum & Prophetarum corpora ſummo cultu excipiebantur. Et vt vltrà pro-



Digitized by Google

grediamur ipſi gentiles idem obſeruarunt: refert enim Herodianus Senatum, populúmque Rom. vrnam feralem, & reliquias Seueri adoraſſe & ſalutaſſe: meliori conſilio Chriſtiani elegerunt ſibi patronos, tum Apoſtolos, tum alios qui ſanctè, piéque in ſuis ditionibus floruerunt, vel martyrium paſſi ſunt: nec hoc eſt nouum, ſed antiquiſſimum; Græci ſiquidem ſæpiùs noctu irruentes Romanis auferre & ſuffurari corpora Apoſtolorum Petri & Pauli, quaſi ciuium ſuorum & patronorum conati ſunt, vt ſcribit Gregorius magnus *epiſt. 30. lib. 3.* quæ cauſa fuit, cur Leo maximus ſuper ſepulchra eorum cuſtodes & cubicularios ex clero Rom. conſtituerit, qui nunc Capellani dicuntur, teſte Anaſtaſio, à Capella nempe, ſeu capſa quibus reliquiæ recondebantur: Marculphus, *lib.* 1. *Formul. 38. Tunc in palatio noſtro ſuper capellam domini Martini debeant coniurare*: quæ ratio eadem eſt, cur adhuc in pleriſque Eccleſijs antiquioribus excubitores ſint, ad cuſtodienda nempe corpora & reliquias Sanctorum conſtituti, vt in Eccleſia Carnotenſi antiquiſſimo templo, intrà quod viſitur puteus, in quem ôlim immerſa fuere innumera Martyrum corpora. Nec ſolùm oſſa & cineres tanti fuere apud nos, ſed etiam veſtes, ſudaria, calceamenta, refert enim D. Lucas *Act. 19.* ſudaria & ſemicinctia D. Pauli, languores ægrotantium curauiſſe: idem de vinculis D. Petri narrat Tertul. *2. ad vxorem*: quin & vela eis admota eandem virtutem habuiſſe notum eſt. Solebant Chriſtiani non audentes niſi raró ſacra illa pignora tangere, velis quibuſdam & linteis obuoluere, quibus deinde ſe iuuari experiebantur: huiuſmodi vela vocabantur ſanctuaria & braudea apud Gregorium *epiſt. 30. lib. 3.* & Greg. Turonenſem *de gloria Martyr. cap. 28.* & cum in altaribus recondebantur ſolebat relinqui foramen, quod, *feneſtella*, dicebatur, per quam fideles diebus natalitijs reliquias inſpiciebant, tangebant, vel funiculos & velamina immittebant, vt teſtatur Zozomenus *lib. 9. cap. 2.* Euodius *lib. 1. cap. 2.* Frodoardus *hiſt. Rem. lib. 3. cap. 9. Feneſtra inibi vnde ſancti ſepulchrum videri fecit*: inſpectio illa & contactus reliquiarum ad venerationem ſpectat, & ritum antiquorum inferias celebrandi, vt de Adriano Imp. narratur, cum digreſſum Antiochiâ fuiſſe ad inſpiciendas reliquias Traiani, quas Tatianus, Plotina, & Mattidia deferebant, apud Ælium Spartianum. Præter hęc mos erat etiam vino immergere reliquias, cuius hauſtus multùm ducebat ad ſanitatem; Anonymus *lib. de mirac. S. Benedicti cap. 44.* in fine, & Author vitæ S. *Genulphi, cap. 33.* hoc vinum vocabatur ſanctum vinagium. Vetitum verò fuerat tangere reliquias, & frequenter oſtendere; tum quòd populus facilè in contemptum duceretur,

Digitized by Google

cùm quòd res ſacræ & religioſæ à prophanis manibus contrectari non debent; imò nec à clericis minorum ordinum, ſed à ſolis presbyteris, ex conſtit. Bonifacij V. apud Anaſtaſium: multò minùs igitur & vendi poſſunt, *cap. vlt. hoc tit. l. Nemo. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Harmenop. *lib. 3. tit. 3.* Per reliquias intelligit Gregorius hoc tit. corpora Sanctorum, λείψανα τῶν ἁγίων: non omnium qui pro Chriſtiana fide obierunt, ſed quæ autoritas Eccleſiæ comprobauit, *cap. 1. & 2. hoc tit.* & hoc ex veteri inſtituto Eccleſiæ in *can. 14. Concil. Carthag. V. in can. placuit. de conſecrat. diſt. 1. Quæcunque per ſomnia, & vanorum hominum reuelationes fiunt, omnino reprobentur.* Ius hoc fuit Epiſcoporum, vt ab his tantùm examinarentur reliquiæ, & non niſi ab his approbatæ populo exhiberentur: de quo tamen non inuenio conſtitutionem antiquiorem, quàm Cæſarauguſtanæ ſynodi II. ſub Gregorio I. *can. 2. Statuit Synodus, vt reliquiæ in quibuſcumque locis inuentæ fuerint, prolatæ à ſacerdotibus, Pontificibus præſententur, igne probentur.* Ea examinatio ſæpiùs fiebat in conuentu Epiſcoporum ſuffraganeorum, *accerſitis Epiſcopis in gyro degentibus*, ait Rodulphus Glaber *lib. 4. cap. 2.* Zozomenus, Socrates, Theodoretus, & alij, idem notant. Primus Innocentius III. conſtitutionem edidit in Concil. Later. *can. 62.* ne reliquiæ venerationi eſſent, niſi à ſummo Pontifice approbatæ, quod deinde Epiſcopis omnibus licuit; ſicut anteà, *can. 5. Synodi Rauennatis II.* Et demum generali conſtitutione cautum eſt, nullâ habitâ ratione locorum quantumlibet exemptorum Concilio Trid. *ſeſſ. 25.*

## *DE OBSERVATIONE IEIVNIORVM,*

### Tit. XLVI.

IN conſecrationibus Eccleſiarum Miſſæ ſacrificio, vigilijs, & ſolennitatibus Sanctorum præuia debent eſſe ieiunia, quo fit vt hic titulus optimè ſequatur. Ieiunia enim in lege veteri ſolennia fuiſſe docet D. Hieronymus *in cap. 58. Iſaiæ, & 45. Ezechielis*: tres enim erant præcipuæ ſolennitates Paſchæ, Pentecoſtes, & Scenopegiæ, ſeu fixionis tabernaculi, ante quas ieiunium fiebat, vt idem in *Pſalmum 80.* ſcribit. Apud Chriſtianos ſtata, determinatáque fuerunt ieiunia, & ab ipſo Chriſto Domino inſtituta, poſtmodùm ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus piè cuſtodita, dicebantur ſtationes, tum quòd ſtatis & certis diebus iuberentur, tùm quòd conuentus & ſynaxes fierent ad exemplum ſta-

tionum militarium, vt ſcribit Tertull. *lib. de corona milit.* in fine : vel potiùs ad exemplum ſtationum quas Hebræi fecerunt in deſerto, vt ait Caſſianus *coll. 21. cap. 28. & 29.* quarum exemplo communiter in Eccleſia fiebant ieiunia, quæ *Syn. Gang. can. 29.* vocat τὰς παραδεδομένας νηστείας εἰς τὸ κοινὸν : veſtigia ſuperſunt adhuc Romæ, vbi in Eccleſijs videmus diſpoſitas ſtationes. Licèt autem ſynaxes illæ paulatim exoleuerint, tamen ſolennia illa ieiunia durarunt, in primis Quadrageſima, quæ ſeptem hebdomadas complectitur, quam Apoſtoli obſeruarunt Chriſti exemplo, Moyſis, & Eliæ, qui primi quadraginta dies ieiunarunt, vt expreſſum eſt ſub pœna anathematis in *can. 69. Apoſtolorum* : quam traditionem Teleſphorus Papa decreto confirmauit, vtpotè præceptum Domini, ſic enim appellat S. Ambroſ. *Serm. 38.* & Leo Magnus *diuinam inſtitutionem, ſerm. 4. de quadrag.* Præter Quadrageſimã ex inſtituto Apoſtolorum Quatuor Temporum ieiunia recepta fuiſſe conſtat ex Leone, *Sem. 7.* vernum in Quadrageſima, æſtiuum in Pentecoſte, autumnale in menſe Septembri, hybernum Decembri, vt idem ait *Serm.* 8. ad exemplum Iudæorum, qui quatuor ieiunia obſeruarunt, *Zachar. 8. can. igitur, & ſeq. diſt. 76.* nec inſtitutio huius quaterni temporis Calixto I. danda eſt, vt ex Pontificali in eius vita colligi poteſt, ſed potiùs id confirmaſſe quàm condidiſſe credendum eſt, vel vt Theologi quidam putant, id ipſum locupletaſſe: quòd cùm primùm eſſet ternum, ab eo quaternum factum fuiſſe dicunt, quod apparet tam ex Pontificali, quàm ex Anaſtaſio, vbi Cardinalis Baron. legendum non, *ter*, ſed, *quater*, exiſtimat, quam ſententiam firmat, ex eo quòd quatuor illà ieiunia ſecundùm quatuor anni tempeſtates diuiſa fuerint, teſte Micrologo, *lib. de Eccleſiaſticis obſeruationib.* ſed non ità omninò ſentiendum alij exiſtimarunt, imò primitùs tria ieiunia fuiſſe ab Apoſtolis obſeruata contendunt; etenim ea ieiunia ad exemplum Iudaïcorum fuiſſe inſtituta, quæ tria tantùm fuiſſe diximus, & conſtat ex *cap. 23. Exodi: Et dixit Dominus Moyſi; Loquere filijs Iſraël, tria anni tempora mihi cuſtodite* : quam ſententiam videtur amplecti D. Anaſtaſius Nicænus, *quæſtionib. in ſcripturas*, & confirmat *can. 1. d. 76.* sũptu, ex *epiſt. 1.* Calixtis in qua nominatim profitetur ſe hactenùs obſeruatum triplex ieiunium, quaternum efficere, iuxta ſermonem Zachariæ *cap.* 8. Eſt aliud quoque ſolenne ieiunium Apoſtolicâ traditione inſtitutum, *can. 69.* Apoſtol. εἴ τις οὐ νηστεύσοι, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευὴν, καθαιρείσθω : *ſi quis non ieiunat, vel quartum diem, vel paraſceuen, deponatur* : ratio redditur in *can. Ieiunia, de conſecrat. diſt. 3.* quod quartâ feriâ Iudas traditionem molitus, & ſextâ in cruce Dominus poſitus

ſit, vt refert Petrus Alex. in *can. vlt. epiſt. canonica*. Porrò ſabbato primitùs non ieiunari ſolitum, imò vetitum oſtendit *epiſtola 8.* D. Ignatij, qui eo die ieiunantes Chriſti interfectores appellat; quæ ſententia non paruas excitauit lites, eò quòd Romani Pontifices ieiunare eodem die præceperint: rationem reddit Innocent. I. *in can. Sabbato, de conſecrat. diſt.* 3. *Sabbatum prætermittere non debemus, quoniam inter triſtitiam & lætitiam temporis illius videtur incluſum*: Nec ſolùm Romæ fuit peculiaris hic mos, ſed pleriſque alijs tum vicinis, cùm remotis regionibus, teſte D. Auguſt. *epiſt. 19. ad Hieronymum*; vt in Hiſpania, teſte Hieronymo *epiſt. 28.* licèt multæ Orientis ciuitates, & multò maior Chriſtiani orbis pars aliud ſenſerit, etiam in Africa, vt conijcitur ex eo, quòd mater D. Auguſtini Mediolanum profecta contrarium ſeruari à D. Ambroſio videns, fluctuare cœpit, vt ipſe refert *epiſt. 118. ad Januarium*, relata in *can. Illa. 12. diſt.* Græci hac in parte nimiâ pertinaciâ ſuæ ſententiæ adhæſerunt, ità vt Romanos damnare auſi fuerint *can. 55. Syn. VI. in Trullo*, ad quem Balſamo temerè partes Græcorum tuetur. Latini remiſſiores in accuſandis legibus paternis & traditionibus antiquis fuerunt, ſequuti quod D. Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, & alij conſtanter aſſeruerunt, qui nec Græcos damnantes, nec Latinos accuſantes, regionum conſuetudini detulerunt; ſanctiori tamen conſilio ieiunium Sabbati commendarunt, cùm non ampliùs ſit ſabbatizandum, vt ait Tertull. *aduersùs Iudæos*: imò omnis honor olim Sabbato debitus in diem Dominicum transfuſus fuerit, propter reſurrectionem Domini, *d. can. Sabbato*, ſaniori, inquam, conſilio, ne cum Iudæis commune quidquam noſtri habeant, & ſolennitates iam ſublatas renouent, *cap. 1. Iſaiæ, & cap. vlt. D. Pauli ad Hebræos*: ſed Græci peiori conſilio qui tam enixè hoc feſtum tuebantur in odium hæreticorum, qui originem ſui erroris à Simone mago duxerunt, vt contumeliam Sabbato inurerent ieiunantes, teſte D. Irenæo *lib. 1.* & Epiphanio *hæreſi 42.* Præter ſuprà dicta ieiunia aliud eſt, quod fit in vigilijs Aſſumptionis B. Mariæ, & SS. Apoſtolorum *cap. 1. & 2. hoc tit.* hæ enim vigiliæ fuerunt ieiunia, quia vt plurimum vigiliæ ſinè ieiunio non fiebant, & in his ſolebant Chriſtiani ter noctu conuenire, teſte D. Hieronymo *epiſt. 7.* ad veſperam, mediâ nocte, & manè, tum deinde ad ſolis ortum, & ità quatuor erant vnius vigiliæ ſtationes, quas Arnobius quatuor vigilias vocat in *Pſalmum 129.* Fuerunt & alia ieiunia, quæ ob neceſſitatem in locis diuerſis indicebantur, dicta ieiunia bannita, de quib. *Obſeruat. 17. lib. 1.* Videndum nunc de modo & qualitate ieiuniorum, in quibus ſeueriores fuêre antiqui,



Digitized by Google

qui vſque ad veſperum nihil edere ſolebant, D. Hieronymo teſte in *Pſalm. 80.* & id fuiſſe verum ieiunium docet Paulinus *epiſt. 7. ad Seuerum, & epiſt. 24. ad Amandum: Cùm in diebus Quadrageſimæ aduenißet, quotidiana ieiunia non refugit, & pauperem menſulam veſpertinus conuiua non horruit.* Hora autem ſoluendi ieiunij fuit nona potiſſimum, *cap. 86. lib. 6. Capitul. & cap. 34. Concilij Mogunt.* Prudentius *hymno S. Fructuoſi.*

*Ieiunamus, ait, recuſo potum,*
*Nondum nona diem reſignat hora.*

Aliquando ſub noctis crepuſculum, quo tempore antiqui cœnare ſolebant. Virgil. *Nunc eadem labente die conuiuia quærunt.*

Vbi Seruius refert prandia in vſu non fuiſſe, ſed tantùm tenues cibos, veluti ad medicamentum, apud Plutarchum, *4. ſympoſ.* Chriſtiani verò impranſi & omnino ieiuni ad ſolis occaſum diem protrahebant, & tunc in cœna non lautioribus epulis ventrem reficiebant, ſed vilibus & ruſticis tantùm cibis, vt ait Saluianus *lib. 1. de prouid.* Carnium quidem eſus primis temporibus fuit prohibitus, vt conſtat ex Teleſphori *epiſt. 1. can. Statuimus. 4. diſt.* non ſolùm clericis, ſed etiam laïcis, teſte D. Auguſtino, *Serm. 64.* & Prudent. *hymno 3.* Græci tam rigidè id obſeruarunt, vt propter corporis imbecillitatem, etiam ſi quis extremum ſpiritum ageret carnibus veſci non poſſet, niſi licentiâ ſynodicè petitâ, vt refert Balſamon in *can. 69. Apoſtolorum*: quæ lex maximè facit ad vitam Cartuſianorum, qui etiam in extremis à carnium eſu abſtinent. Imò & à vino abſtineri ſolitum liquet ex ipſo Prudentio & Theophilo Alex. qui vixit circa annum CCC. *in epiſt. de Paſchæ celebratione.* Denique ſolebant ieiunantes ξηροφαγίαν obſeruare, & ab omnibus eſcis iurulentis, & pinguibus caſeo & lacticinijs abſtinere, *can. denique ead. diſt.* Tertull. *lib. de ieiunijs* aduersùs Pſychicos, & alibi ſæpiùs: imò quod maius eſt ſolebant veteres ſinè vllo cibo & potu plures dies tranſigere, quod maximè feciſſe monachos Ponti, & eos viginti dies & noctes exegiſſe ſcribit Gregorius Nazianz. *ad Hellenium*, D. Auguſt. *epiſt. 86. ad Caſulanum*: alios integras hebdomadas peregiſſe, teſte Luciano in Philopatro; quod ità intelligendum putem, vt non ab omni cibo penitùs abſtinerent. Per cibum & potum intelligimus omne edulium, & eſcam præter panem & aquam: vnde eſt quòd apud Donatum *in Terent.* cibus ſumitur pro eo quod delicatis præberi ſolet, victus verò de aridis & inanibus alimonijs, rejecto etiam ſi lubet pane, & ſumptis tantùm oleribus & herbis agreſtibus, ſicut de Iuſtiniano Imp. narrat Procop. *lib. 1. de ædificijs*, quem tranſactis duobus diebus ſolidis, agreſtes herbas ſale & aceto conditas, rejecto pane & vino comediſſe

Digitized by Google

tradit. Nil prorſus edidiſſe per integram hebdomadam, vel viginti dies, abſurdũ eſſet omnino, nec vltra tres dies potuiſſe fieri quiſquã affirmare audeat, licèt D. Auguſt. *lib. 1. de moribus Manich.* quoſdam vltra tres dies omnimodo abſtinuiſſe recenſeat, ſed vt rem miram; *Ieiunia prorſus incredibilia*, inquit, *exercere didici, non quotidiè ſemel, ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaque vſitatiſſimum, ſed continuum triduum, vel amplius ſinè cibo, ac potu ducere.* Nec verò ieiunia ſolum attendebantur in potu & cibo, ſed etiam in alijs; ità vt negotia vlla non exercerentur diebus ſtatis, *cap. 12. Concil. Aquiſgran. II.* Nicol. ad *conſulta Bulgar. cap. 45.* Theodulphus ad presbyteros Aurelian. *cap. 42.* ſed omne tempus pijs occupationibus impenderetur, vt in viſitandis pauperibus & captiuis, quod munus proprium eſt Epiſcoporum diebus eſurialibus cuiuſque hebdomadæ, quartâ nempe & ſextâ olim feriâ, *l. Neminem. C. de Epiſcopal. audientia*: ſed nec licuit feſtos dies celebrare πανηγυρίζειν; imò quod eſt maius, ſacrificium Deo offerre, præterquàm diebus ſabbato & Dominico, & Annunciationis B. Mariæ feſto, *can. 52. ſyn. ſexta in Trullo*: nec Martyrum natales peragere, *can. 51. ſyn. Laod.* quòd, vt docet Balſamon, hi dies feſti gaudium adferrent, & incongruum mœrore ſimul & gaudio diffundi; ſed hic exceſſus fuit Græcorum, non Latinorum.

## *DE PVRIFICATIONE POST PARTVM,*

### TIT. XLVII.

AD myſteria diuina audienda & ſacramenta percipienda qui, & quomodo admittendi ſint, diximus; ſed quia nemo ad ea accedere poteſt niſi dignus ſit Eccleſiam ingredi, ideò agitur de purificatione, ſinè qua mulieres poſt partum non admittebantur ex lege Moſis, *cap. 12. Leuit.* certi enim dies erant quibus mulieres poſt partum à templi ingreſſu arcebantur, ſi maſculum peperiſſent 40. ſi fæminam 60. ſeptem quidem diebns mariti cum vxoribus verſari prohibebantur, qui vocabantur dies ſeparationis, reliquis vſque ad 40. vel 60. cum eis loqui & veſci, non tamen debitum exigere fas erat, *can. Cùm enixa, & can. Ad eius, d. 5.* ſed quia omnia illa ceremonialia præcepta ſublata ſunt, reſpondet Innocent. III. in *cap. vnico, hoc tit.* ſtatim à partu mulieres, vt Deo gratias agant Eccleſiam ingredi poſſe, nec pœnam in culpam vertendam eſſe ait *can. Si mulier. ead. diſt.* niſi ex veneratione & reuerentia id libenter agant, quod non

ſolùm obſeruarunt primitùs mulieres, ſed etiam mariti, qui poſt copulam coniugalem lauacri purificationem quærebant, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululum abſtinebant, vt ſcribit Gregorius Magnus *lib. 12. epiſt. in reſponſione ad Auguſt.* x². *Vir*, inquit, *cum propria coniuge dormiens, niſi lotus aquâ intrare Eccleſiam non debet, ſed neque lotus intrare ſtatim debet, can. vir. can. propria. 33. q. 4.* Refert & ipſe matronam quandam, quæ cùm carnis æſtu à viri ſui complexibus abſtinere non potuiſſet, & ſubſequente die ad dedicationem Oratorij S. Sebaſtiani acceſſiſſet, à malignis ſpiritibus correptam fuiſſe, *lib. 1. Dialog. cap. 10.* In more fuit & hoc antiquis Ægyptijs & Græcis, vt numquam niſi loti templum adirent, & Iouem precarentur, apud Herodotum in Euterpe, eo quòd, vt ait Tullius *1. de legib.* labes corporis aquæ abſterſione tollatur. Chriſtiani primitùs hoc obſeruarunt, vnde ad fores Eccleſiarum erant fontes quibus ingreſſuri lauarentur, teſte Euſebio *lib. 10. cap. 4.* Paulinus *epiſt. 12. ad Seuerum.*

*Sancta nitens famulis interluit atria lymphis*
*Cantharus, intrantúmque manus lauat amne miniſtro.*

Non quòd crederent aquâ vitia purgari, ſed vt eâ lotione ad mentem purgandam excitarentur: Tertull. *lib. de orat. Hæ ſunt veræ munditiæ, non quas plerique ſuperſtitiosè curant ad omnem orationem, tum etiam cum lauacro totius corporis,* quod agnouit Ouid. 2. *Faſtorum.*

*Ah nimiùm faciles qui triſtia crimina mentis*
*Flumineâ pelli poſſe putatis aquâ!*

Apud nos in mulieribus enixis purgatio neceſſaria non eſt, licèt hoc ſtatuerit purificationis lex; cùm propter fluxum ſanguinis qui eas facit immundas, tum propter ſecundas ſeu ſecundinas, quæ ſunt membranæ quibus in vtero partus obuoluitur, de quibus Plin. *lib. 20. cap. 9.* In hac purificatione propter periculi & doloris euaſi gaudium ſolebant fœminæ conuiuia cum placentis & ferculis facere, quæ dicebantur, feſta ſecundarum, qui ritus eò deuenerat, vt etiam in honorem Virginis Mariæ, ſecundinæ fierent, quod damnauit Synodus VI. *in Trullo, can. 80.* eo quòd abſque vllis ſecundis, abſque fluxu ſanguinis, abſque dolore mundi Saluatorem pepererit: error proceſſerat ex eo quòd in Eccleſia feſtum Præſentationis, ſeu Purificationis celebrabatur; licèt enim huic legi adſtricta non foret, eam tamen voluit adimplere, vt tradit D. Auguſt. *hæreſi 5.* & S. Cyprianus *ſerm. de Natiuitate Chriſti.* Hoc autem Purificationis feſtum primùm inſtitutum fuiſſe à Iuſtiniano ſub Vigilio Papa, refert Cardinalis Baronius ad annum 544. quod confirmatur ex Landulpho in eius vita, cui etiam ſuffragatur Siffridus *lib. 1.*

*epiſt.*

*epiſt.* niſi in eo quod ſub Pelagio, non Vigilio factum aſſerit, ídque Conſtantinopoli: *Sub Pelagio*, inquit, *Papa, & Iuſtiniano Imp. ſumpſit initium apud Conſtantinopolim, vt ὑπαντὴ Domini celebraretur*: cauſam fuiſſe ingentem mortalitatem refert Sigebertus in Chronico, ad annum *542.* Albinus Flaccus *lib. de diuinis officijs* in deteſtationem Lupercaliorum ſtatutum fuiſſe dicit, & errat Cedrenus, qui non ſub Iuſtiniano, ſed Iuſtino vltimo imperij anno factum narrat. Hoc feſtum deinde litanijs auxiſſe Sergium ſcribit præfatus Albinus Flaccus *d. lib. de diuinis Officijs*.

## *DE ECCLESIIS ÆFICANDIS, vel reparandis,*

### TIT. XLVIII.

CVM de conſecratione altarium, de ſacramentis in Eccleſia miniſtrandis, & de ipſo ingreſſu templi dictum ſit, meritò agendum de ædificatione & reparatione Eccleſiarum hoc tit. in quo duo potiſſimùm tractantur; ædificatio & reparatio. Ædificari quidem Eccleſiæ, niſi causâ cognitâ & probatâ ab Epiſcopo non debent, *can. Quidam. 18. q. 2.* & vbi neceſſitas populi id requirit per congrua & vtilia loca, vt ait *can. Eccleſias. 16. q. 7.* veluti ſi talis ſit diſtãtia, quæ incommodum plebibus adferat, quo minùs diuinis Officijs intereſſe poſſint, *cap. 3. hoc tit. can. cùm longè. diſt. 63.* licèt noua hæc conſtructio vergat in perniciem antiquæ Eccleſiæ, ait Cæleſtinus in *cap. fin. hoc tit.* quod eſt contrarium vniuerſo iuri in *can. Eccleſia, & ſeq. 16. q. 1.* in quibus veteres Eccleſias nouarum erectione poſſeſſionibus, decimis, iuſtitijs, non eſſe defraudandas aſſeritur; quod intelligendum eſt quoties adhibetur conſenſus Epiſcopi & Rectoris, in cuius diœceſi vel parœcia noua fit Eccleſia, *can. Multis. ead.* adeò vt is qui nouiter inſtituitur, ſit propriè vicarius perpetuus, cuius præſentatio pertineat ad Rectorem primarium, *cap. 3. hoc tit.* ſimiliter de Epiſcopatu dicendum eſt, hic enim titulus hùc ſpectat; nomine enim Eccleſiæ frequenter Epiſcopalem intelligimus; & totam congregationem fidelium diœceſis vocabulo, *can. Scire. 7. q. 1. cap. Relatum. ſup. de teſtament.* Si excreuerit in immenſum populus, & tales ſint ciuitates quæ dignæ cenſeantur eo priuilegio, tunc conſtitui poteſt Epiſcopus, *can. 6. Syn. Sardic. & in cap. fin. 65. diſt.* non verò in pagis & vicis, ne vileſcat nomen Epiſcopi, ait Anacletus *epiſt. 3. can. Epiſcopi & ſeq. diſt. 80.* ſed in his χωρεπίσκοποι, aut περιοδευταὶ ponendi ſunt, li-



Digitized by Google

cèt aliquando & Epiſcopi poſiti fuerint, quos tamen non vt Epiſcopos habendos cenſuit *can. 57. Syn. Laodic.* imò eos ditionem & poteſtatem Epiſcoporum, qui in ciuitatibus ſunt, agnoſcere debere, καὶ μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου ἐν τῇ πόλει; vbi Balſamon ſcribit talem Epiſcopum vicanum & ruſticum ſinè mente Metropolitani nîl agere poſſe, contra ipſorum verborum ſignificationem,& mentem ipſius Synodi; quod apparet ex eo quòd nouum non eſſet decernere, vt Epiſcopi Metropolitano ſubſint, quod de iure communi fit; ſed id fuit nouum, vt tales vicani Epiſcopi ſubſint Epiſcopo ciuitatis; quia ſcilicet propriè non ſunt Epiſcopi, ſed exarchi, circumcurſatores ad animarum cûram deſtinati. Pari ratione nec Metropolitani noui, nec primates inſtitui debent, niſi gens aliqua deinceps ad fidem fuerit conuerſa, *can. Nulli. 99. diſt.* licèt aliquando in gratiam principum id effectum fuerit, vt de Toletana vrbe, quam primatus honore ornauit Summus Pontifex, ad inſtantiam Chindaſuinti Gotthorum Regis, vt ſcribit Rodericus *lib. 2. cap. 21.* noſtra vrbs Toloſa olim Narbonenſi ſubdita prouinciæ, metropolis effecta beneficio Ioannis XXII. *cap. nuper certis. Extrauag. de præbend. & dignitatib.* Nec ïd abſque ratione, eo quòd regia vrbs quondam, imò & metropolis fuerit: iure definitum fuit vt Primatus, Metropoles, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus conſtituantur pro ratione & dignitate prouinciarum & ciuitatum, *can. Prouinciæ. 99. diſt. 1.* ſed forſan longiùs progreſſus ſum quàm debui, & hunc ſermonem meliùs & conuenientiùs titulo de præbendis & dignitatibus tribuiſſem, ad ſemitam redeo. Non ſolùm parœciales Eccleſiæ condi poſſunt cum ſupradicto temperamento, ſed etiam monaſteria, *cap. penult. & vlt. hoc tit.* adhibito Epiſcopi conſenſu, vel ſolâ Summi Pontificis autoritate,inſcijs Epiſcopis & plebanis: quod tamen raro olim fiebat, eâque dumtaxat lege,vt parœcianos ad quotidiana officia, aut ad ſepulturam non reciperent, *cap. hoc tit. in 2. compil.* Præterea inſpicienda eſt opportunitas locorum, in quibus Eccleſiæ ædificari debeant,& doti earum ſufficienter prouideatur, non ſolùm ad ſarta tecta,ad ornamenta & luminaria, ſed etiam ad cuſtodum & deſeruientium, τῶν προσεδρευόντων alimenta, vt loquitur *Nou. Iuſt. 67. can. Nemo. de conſecrat. diſt. 1.* quâ dotẽ pro ratione dignitatis Eccleſiæ, vel Oratorij aſſignari debere,ſcribit Gregorius in *epiſt. 6. lib. 7. epiſt. 18. lib. 11.* & ædificator intrà quinquennium complere debet ædificium, & ſi antè deceſſerit,heredes eius tenentur, *Nou. 123. cap. 18. & No. 131. cap. 10.* Formam Eccleſiarum ſi quæras, ea potiſſimùm fuit quæ crucis formã referret,vt de Eccleſia in Narnio narrat Baronius

Digitized by Google

ex Marco Diacono ad annum 401. vel in modum nauis; ex præcepto Clementis *lib. 2. Conſtit. cap. 57.* quòd præfigurata fuiſſet in arca Noe, vt tradit Gaudentius *Serm. 8. Paulinus epiſt. 34.* vnde hodiè dicimus nauem Eccleſiæ Gallicè, *la nef.* Fuit verò ex primæuo ordine vt ædificiùm eſſet versùs Orientem, *can. Eccleſiaſticarum. diſt. 11.* apud Tertull. *in Apolog.* προσευχέσθω δὲ κατὰ ἀνατολάς: id eſt, *precetur verò versùs Orientem, Conſtit. Apoſtolicarum 46. lib. 7.* tum quòd Oriens ſit Chriſti figura, vt idem ait *lib. aduersùs Valentinian. cap. 3.* tum quòd alijs mundi partibus ſit præſtantior: quam conſuetudinem ab Apoſtolis manaſſe ſcribit Iuſtinus Martyr *reſp. 118. ad Orthodoxos.* Alij dicunt id ideò fieri, quòd paradiſus in Oriente eſſe credatur, & ſol ſupra paradiſum oriatur, vt refert Moſes Barcepha, Commentario de paradiſo, *parte 1. tom. 1. Bibl. SS. PP.* Gentiles quoque ad Orientem precabantur, ſed longè diuerſo ſenſu; ſiquidem ſolem Orientem adorantes ſpectabant, Apul. *lib. 2. Tunc Orientem obuerſus, & incrementa ſolis Augusti tacitus imprecatus.* Iudæi contrà Occidentem ſpectabant *3. Reg. 8.* ne ſicut gentiles viderentur ſolem adorare, vt ſcribit Anaſtaſius Sinaïta *q. 48.* in Scripturam: quâ ratione intelligendus eſt Ioſephus, qui *lib. 8. Antiq. cap. 2.* dixit templum Salomonis ad Orientem verſum fuiſſe, quia ſcilicet facies & ingreſſus Orientem proſpiciebat; ſicut è contrario Chriſtianorum templorum portæ ſolem occiduum reſpiciunt, vt orantes in eis vultum dirigant ad ortum, vt de templis paganorum refert Vitruuius *lib. 4. cap. 5.* Olim veterum templorum apud Chriſtianos introitus erat ad ortum, vt ſol æquinoctialis radios ſuos contra medietatem templi protenderet, vt ijs quibus ingreſſu interdictum erat, ſaltem proſpectum præberent, vt tradit Vualafridus Strabo *lib. de Eccleſiaſt. offic. cap. 4.* quod confirmat Sidonius *epiſt. 10. lib. 2.*

*Ædes celſa nitet, nec in ſiniſtrum,*
*Aut dextrum trahitur, ſed arce frontis*
*Ortum proſpicit æquinoctialem.*

Euſebius quoque deſcribens templa à Chriſtianis erecta ingreſſum & aditum ad ortum ponit *lib. 10. hiſt.* Quî ergo fieri potuit vt ſupplices orarent versùs Orientem, ſi ab ortu ibant ad templum? ſecundùm figuram templorum noſtri temporis neceſſariò precari versùs occaſum debuiſſent. Res eſt non exiguæ diſquiſitionis, nec huic difficultati facilè poteſt ſatisfieri, niſi dicamus Eccleſias patuiſſe olim ad ortum, & fideles intùs preces ſuas ad ortum etiam feciſſe, nec id incongruum erat, quia altare poſitum erat in introitu templi, vbi & ſacrificia fiebant, vt idem Strabo docet, & *Ariſteas lib. de lxx. Interpretibus*: Procopius *lib.*

*de ædificijs* deſcribens templum ſanctæ Sophiæ, innuit ſanctuarium fuiſſe versùs templi frontem & ſolem orientem: καὶ τὸ μὲν τοῦ νεὼ πρόσωπον (εἴη δ' ἂν αὐτοῦ τὰ πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον, ἵνα δὴ τῷ Θεῷ ἱερουργοῦσι τὰ ἄῤῥητα) τρόπῳ τοιῷδε δεδημιούργηται. Id eſt: *Et frons quidem templi* (*eſt autem pars vbi ſacra arcana Deo faciunt versùs orientem ſolem*) *ratione huiuſmodi fabricata eſt.* Hoc vt clariùs conſtet, ſciendum ità diſpoſitum fuiſſe templum, vt facies ipſius, ſeu frons tres portas haberet, quarum media longè amplior & præſtantior obicibus & repagulis clauſa à cuſtodibus ſeruabatur, per quam ſacerdotes & miniſtri ad altare & ſanctuarium ingrediebantur. Alijs duabus portis minorib. patebat aditus ingreſſuris, qui per porticus ex vtraque parte diſpoſitas ducebantur in interiora templi loca, in quibus manſiones pro ratione perſonarum diſtinctæ, & diſpoſitæ erant, ità vt non pateret aditus ad ſanctuarium, quod cancellis vndique circunſeptum erat; quæ omnia perſpicuè demonſtrat Euſebius dicto loco. Ingreſſus ergo erat ad Orientem tam apud Chriſtianos, quàm Gentiles, qui templorum extremitatem per anticam & poſticam partem denotabant; antica erat ad ortum, poſtica ad occaſum: per anticæ nomen intellexerunt veteres ianuam, autore Verrio Flacco, in verbo, ***anticum***; quo ſenſu etiam Iſidorus *lib. Orig.* partes templi quatuor ponit anticam ad ortum æquinoctialem, poſticam ad occaſum, ſiniſtram ad ſeptentrionem, dexteram ad meridiem. Apud Iudæos licèt antica pars, ſiue aditus pateret ad ſolis ortum; tamen orantes ad poſticam, ſiue occaſum conuerſi erant, ideóque grauiter arguuntur Gentiles, qui ſolem adoraturi terga vertebant Domini templo & facies Orienti, *Zacharia* 8. Chriſtiani imitari voluerunt formam templi Salomonici, quod faciem habebat versùs ortum; attamen ne more Iudæorum ad Occidentem precarentur, Sanctuarium & altare ad Orientem locarunt in introitu, in antica, non in Occidente ſiue in poſtica: & ità templum D. Petri Romæ conſtructum refert Leo Magnus *lib. 7. de Natiuitate*, & Vualafridus Strabo, dicto loco. Et hanc formam prioribus ſeculis ſeruatam fuiſſe credendum eſt; ſed ſucceſſu temporis immutata eſt, conſtitutâ facie templorum ad occaſum, vt interiora penetralia, vbi eſt altare, ad Orientem vergerent, quod oſtendit ſatis Paulinus *epiſt. 12. Proſpectus*, inquit, *baſilicæ non, vt vſitatior mos eſt, orientem ſpectat.* vbi per proſpectum, faciem templi, vbi atrium eſt denotat. Gentiles quoque, vt hoc addam, licèt templa ſua ad ortum paterent, preces etiam hùc fundebant, teſtibus Porphyrio, & Luciano *lib. de domo*, & Clemente Alex. *Strom.* 7. Hic autem mos non ad ſuperſtitionem vſque ſeruatus eſt, ſed aliquando ad occaſum,

& alias mundi partes templa ſua & preces verterunt; vnde eſt quòd Iuſtinus Martyr *q. 118.* ait in omni loco eſſe orientem precantibus, ἐν πάντι γὰρ τόπῳ ὑπάρχει ἡ ἀνατολὴ τοῖς εὐχομένοις. De magnitudine Eccleſiarum nonnihil addendum eſt: ſiquidem non conceſſum erat pro arbitrio amplitudinem conſtituere, ſed ſolebat in eis ædificandis Epiſcopus loci aduocari, qui locum conſignabat, & lineâ circumſcribebat, teſte D. Hieronymo in vita Hilarionis: *Mira Domini gratia*, inquit, *non priùs abire paſſi ſunt, quàm futuræ Eccleſiæ lineam mitteret*: & hoc eſt quod conſignationem vocat Gregor. in *cap. 1. ſup. de religioſ. domib.* Sic & lineâ miſsâ condebantur vrbes, teſte Euſtathio, vbi Dido bouis corio Carthaginem deſignauit, apud Herod. *lib.* 5. & Virgil. I. *Æneid.*

*Taurino quantùm poſſent circundare tergo.*

Vt plurimùm Eccleſiarum amplitudo, ſeu circuitus ex veteri Eccleſiæ inſtituto non fuit vltra 40. paſſus, Capellarum & Oratoriorum 30. vt refert Nicolaus in *can. Sicut. 17. q. 4.* Quapropter Euſebius Conſtantinum ingens & memorandum ædificium in animo habentem, locum amplioribus terminis circumſcripſiſſe refert: frequentiùs ambitus Eccleſiarum triginta paſſibus concludebatur, *can. Quiſquis. 17. q. 4.* Alterum huius tit. membrum reparationem Eccleſiarum reſpicit, ad quam tenentur quicunque prouentus Eccleſiarum percipiunt, *cap. 1. & 4. hoc tit.* ſecundùm antiquam diuiſionem, quâ partes quatuor fiebant, quarum vna fabricis deputabatur, *can. vobis, can. conceſſo, & ſeq. 12. q. 2.* ſartis tectis apud Gregor. *epiſt.* 42. *lib. 4.* & hæc portio decima fabricalis dicebatur, quæ ſeparatim exigi ſolebat, nec aliò diuerti poterat ſinè expreſſa Epiſcopi, vel ſummi Pontificis licentia: vnde & videmus Clementem IV. in *epiſt. 24. & 103.* ad Archiepiſcopum Hiſpal. decimas fabricales Regibus Caſtellæ, & Legionis conceſſiſſe, vt Eccleſiam aduersùs Sarracenos tuerentur. Hæ decimæ, ſicut aliæ, pertinent ad ipſorum cognitionem quorũ autoritate diſpenſari à presbyteris & diaconis debent, *can. præcipimus. 12. q. 1. can. de reditibus. 12. q. 2.* nec ſolùm quarta fabricalis in reparationem Eccleſiæ conuerti debet, ſed etiam quod ſupereſt ex portionibus clericorum, *cap. 1. & 4. hoc tit.* & ne minùs ſolicitè id fiat, Epiſcopo viſitationis munus iniungitur, vt exquirat diligenter, quibus vnaquæque Baſilica reparationibus indigeat, *can. decreuimus, & ſeq. 10. q. 1.* & ſi quæ fuerit diruta, vel clericorum ſolatio, & populi frequentiâ deſtituta, vt nulla reparationis ſpes remanſerit, tunc eam proximiori vnire debet Epiſcopus, vt reſcribit Gregor. *in epiſt. 8. lib. 1. & epiſt. 35. lib.* 2.



Digitized by Google

## *DE IMMVNITATE ECCLESIARVM, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium,*

### Tit. XLIX.

PARVM fuiſſet dixiſſe de conſecratione, dedicatione, & ædificijs Eccleſiarum, & de ritibus qui obſeruantur, niſi & priuilegia earum & immunitates proponantur. Immunitas, eſt vacatio, & exemptio munerum, onerum, & officiorum, quæ libertas vocatur à Tullio, *Orat. de Fonteio*; ſicut immunis dicitur, qui nullo fungitur officio, munis qui adſtrictus oneri eſt; officioſus ideò dictus à Feſto, vectigalis à Tullio 3. *Offic.* Græcis λειτουργὸς, ſicut ἀλειτούργος immunis, & ἀλειτουργησία immunitas. Conſideratur dupliciter immunitas, ratione templorum, & ratione perſonarum, quæ in eis deſeruiunt. Primùm, quod in *cap.* 1. ſtatuitur tangit immunitatem Eccleſiarum, ne in eis placita & iudicia ſecularia exerceantur, non tantùm intrà ipſas, ſed nec in earum atrijs & porticibus, *can. 22. Syn. Arelat.* ſub Carolo Magno, *cap. 91. lib. 5. Capitul.* Moris erat olim ſub dio cauſas agere, atque in portis ciuitatum, ſed plerumque ob ingruentes pluuias, aut ſolis ardores in templum iuris dicundi cauſâ ſeſe recipiebant Comites, quod prohibuit Carolus, iubens vt ipſi domos ſibi conſtituerent in quibus mallum tenerent, non verò in Eccleſijs, *cap. 28. lib. 4. Capitul. Mallus tamen neque in Eccleſia, neque in atrio eius habeatur*: extant formulæ talium immunitatum apud Flodoardum *hiſt. Rem. lib. 11. cap. 9.* & apud Marculph. *lib.* 1. *cap. 3.* Proceſſerat hic abuſus à gentilibus; nam apud Romanos Senatus poſtquàm ſacrificatum fuerat, in templo ius dicebat, teſte Gellio: nec ſolum in ciuilibus cauſis, ſed etiam ijs quæ corporalem pœnam ingerunt; nec enim iudicium ſanguinis exerceri debet, vbi eſt tutela refugij, *cap. 5. hoc tit.* Habuit prætereà hanc immunitatem Eccleſia, vt ab ea extrahi ſontes non poſſint, *cap. ſeq. & can. definiuit. 17. q. 4.* quod ſancti canones exemplo legum Romanarum effecerunt, *can. id conſtituimus. 17. q. 4.* nec ſolum templa, ſed etiam ſtatuæ aſylum præbebant, *l. 2. de his qui ſunt ſui vel alien. l. 1. de offic. præf. vrbi.* contrà facientibus crimen maieſtatis inditum eſt à Theodoſio *l. 2. C. de his qui ad Eccl. confug. l. 4. C. Theod. eod.* quod diu non eſt paſſus Arcadius; imò omnes debitores & rationibus obſtrictos ab aris & templorum ſeptis auelli poſſe ſtatuit, *l. 3. C. Theod. de his qui ad Eccleſ.* idque ſuaſu Eutropij, quem ob id di-

uinam vltionem expertum fuiſſe narrat Chryſoſtomus *homil. in Eutropium.* Contrà Leo ſub pœna capitali Theodoſij ſanctionem renouauit, cum tanta religione, vt talia audentes ſolius etiam cogitationis pœnam non effugerent, *l. præſenti. C. eod.* hinc obſeruatum fuit ſemper, vt pro omni debito vel crimine, Eccleſia præſidio eſſet confugis, *can. Eos qui. 87. d.* adeò vt nec læſæ maieſtatis rei inde extruderentur, *Syn. Matiſc. II.* Cùm enim Eberulphus Chilperico regi necem intuliſſet, & eum ab Eccleſiæ atrio extraxiſſent ſatellites, vltio diuina ſecuta eſt interfectores, teſte Greg. Turonenſi *lib. 6. hiſt. Franc. cap. 21. & 22.* poſteriores tamen Pontifices cum licentia Epiſcopi reos extrahi poſſe cenſuerunt; homicidis quoque, & adulteris, & virginũ raptoribus terminos Eccleſiarum non prodeſſe, imò nec alijs, ſed tantùm ijs qui vim, iniuriam, & ſæuitiam potentiorum, & dominorum pertimeſcerent ſtatuit Iuſtinian. *Nou. 17. cap. 7. & Nou. 117. cap. vlt.* Ius canonicum hac in parte criminoſis fauere voluiſſe non eſt credendum, quum & publicos latrones & depopulatores agrorum ab Eccleſiæ aſylo expellat *cap. inter alia. hoc tit.* homicidas quoque eijciendos eſſe, & eis victũ denegari debere ait, *cap. 23. lib. 9. Capitul.* ſed & omnibus atrocium criminum reis ſinum ſuum claudit Eccleſia, cum aliquo tamen temperamento ſuæ benignitatis, nẽpe vt confugis, mortis, & pœnæ corporalis immunitatem præſtet, tactis priùs à vindicibus ſacroſanctis Euangelijs coram clericis, *d. cap. Inter, & can. de raptoribus, 26. q. 1. can. id conſtituimus. 17. q. 4.* Idem eſt de cœmeterijs, ex quibus ſontes abſtrahi non debent, ex decreto Innocentij II. *in Syn. Rom. cap. 22.* in his collocatæ erant cruces, quibus ſepta & ambitus deſignabantur, ne quis terminos auderet transgredi: Anonymus *4. de mirac. S. Benedicti. Denique cruces aliquantulum excelſas per gyrũ cœmeterij poſuerunt, quas nemo ſuum perſequens inimicum transgredi audeat.* Imò quod ſanctius & laudabilius olim fuit, cruces in triuijs & itineribus poſitæ ſecuritatem præbebant, ex decreto Vrbani II. in Syn. Claromont. *cap. 29. & 30.* Non eſt hoc loco omittenda pulchra conſtitutio Bonifacij Archiepiſcopi Cantuarien. tit. de immunitate Eccleſiæ, quę impedientes miniſtrari alimenta confugis, pœnâ ſacrilegij plectendos decernit: & in eo notanda conſuetudo Angliæ, vt qui abiurabant regnum, non poſſent ab Eccleſia, vel cœmeterio abſtrahi, ſed deducebantur ad proximũ portũ vt exirent è terra, ſaluis ſibi vitâ & membris, vt ſcribit Guillelmus Lyndevuode ad Prouinciale, ſeu Conſtitutiones Angliæ: qui & addit, quod notatu dignum eſt, confugientem ad Eccleſiam, ſe clericum eſſe aſſerendo, tutũ eſſe à iuriſdictione regia, etſi non abiuraſſet regnum. Præter has im-

Digitized by Google

munitates & priuilegia, prohibetur etiam ne Eccleſiæ, & earum ſepta hoſpitio ſint laïcorum, nec tabernæ, aut cauponæ in eis fiant ad cibos vendendos, *can. 77. Syn. VI. in Trullo*, nec vlli accubitus, *κατασκευάσματα*, vel lectuli in medio templi ſternantur, *can. 74. ead. can. 4. d. 42.* niſi ſummæ neceſſitatis causâ, *can. Nulli, 41. d.* quæ neceſſitas efficit aliquando vt & iumenta in Eccleſiam introducere liceat, omni alio diuerſorio deficiente, *can. 89. eiuſd. Syn.* ad quam Balſamo etiam volucres, perdices, paſſeres, & columbas introduci poſſe putat, ſed raro, ne ſanctum per excrementa contaminetur. Sed eò deuentum hodiè eſt, vt ex templis fiant horrea, meſſes, & fœnum in his recondantur, quod acriter reprehendit Theodulphus ad presbyteros Aurelian. *can. 8.* menſas & arcas illic inferri etiam vetat Gregor. VII. *Concil. Rom. cap. 32.* niſi belli tempore, *can. 19. Concil. Later.* vt ſuprà *tit. de cuſtodia Euchariſtiæ* diximus. Altera immunitas reſpicit perſonas Eccleſiæ, quas ab omnibus muneribus & oneribus eximi voluit Conſtantinus in *l. 1. & 2. C. de Epiſcop. & cleric.* quod Iuſtinianus renouauit in *l. Generaliter. eod. relata in can. Generalietr. 16. q. 1.* & vilibus præſertim miniſterijs, vtpotè calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, & ſimilium, quæ enumerantur *in l. maximarum. de excuſat. mun. lib. 10. Cod.* à procurationibus & ratiocinijs; nec enim clerici fieri debent procuratores, actores, villici. *l. Officiales, C. eod. cap. vnico, ſup. de obligat. ad ratiocin.* tunc enim iniuriam fieri clero ait Iuſtin. *Nou. 123. cap. 15.* Denique liberi eſſe debent ab omnibus adſcriptitijs conditionibus, *cap. 116. lib. 6. Capitul.* ab extraordinarijs verò muneribus non excuſari debere ſanxerunt Conſtitutiones Imperatorum; extraordinaria dicuntur quæ ad tempus & ex improuiſo indicuntur, veluti angariæ, & paranigaræ belli tempore, *l. Neminem. C. de ſacroſ. Eccleſ.* inſtructiones itinerum, pontium, portuúmque, *l. 7. C. eod.* reparationes & cuſtodiæ murorum & portarum vrbis, *cap. peruenit, hoc tit. can. ſi nulla. 23. q. 8.* Conſtant. Harmenop. *lib. 2. tit.* 5. Benignior fuit Carolus Magnus, qui clericos ab omnibus perſonalibus & extraordinarijs oneribus liberos fecit, *cap. 190. lib. 7. Capitul.* ratio ab ipſo Imperatore redditur, ob conſecrationem quæ eos iuris diuini facit, vt præſtent tantùm diuina ſeruitia, *cap. 116. lib. 6. Capit.* & vt ait Euſebius, *lib. 10. hiſt. cap. 7.* μᾶλλον ἄνευ τινος ἐνοχλήσεως τῷ ἰδίῳ νόμῳ ἐξυπηρετῶνται, id eſt, *abſque vlla moleſtia propria legi obſequium præſtent.* Non ità de oneribus patrimonialibus, ſeu poſſeſſionum, quæ Harmenop. λειτεργία κτηματικὰ vocat, Balſamon in *can. 4. Syn. VII.* ζευγολόγιον, *iugationem*, *iugum*, vt Conſtantinus Imp. *in l. 3. C. de Epiſc. & cleric.* vocat; ab his immunitatem non præbuit ipſe
in

in *d. l. 3. eod.* nec Theodoſius in *l. 15. C. Theod. eod.* Emanuël bullâ aureâ per totam Romaniam ſacerdotibus omnibus non ſolùm omnis muneris publici, ſed etiam ζευγολογίκ ἀτελείαν conceſſit, vt idem Balſamon refert: quod tamen veteres æquum non exiſtimarunt, vt D. Ambroſ. oſtendit in *can. conuenior, & can. tributum. 23. q. 8.* de eo tamen conqueſtio maxima fuit, eò quòd apud Ethnicos ſacerdotes à tributis omnibus, exactionibus, & oneribus immunes legi cenſoriæ adſtricti non eſſent; quod cùm temperamento accipiendum eſt, vt ſcilicet agri & poſſeſſiones clericorum cenſum præſtent; non verò agri & poſſeſſiones ipſius Eccleſiæ, quæ ſacræ, & nullius ſunt, *can. nulli. 12. q. 2.* quas verò clerici iure ſuo & peculiari nomine, non verò Eccleſiæ poſſident, immunitas ſequi non debet, in quibus principis dominatum agnoſcere debent, *can. Magnum. 11. q. 1.* vel potiùs ne in immenſum excreſcant patrimonia clericorum in ceterorum perniciem, quibus licet poſſidere manſum integrum, ſinè vllo ſeruitio, vt eſt in *cap. 1. ſup. de cenſib.* & ità intelligenda præcepta tam regia, quàm imperialia, quæ olim emunitatem clericis dederunt, quorum formulæ ſunt apud Marculphum paſſim, & apud Flodoardum, & *can. 7. Synodi Aurel. I.*

## *NE CLERICI, VEL MONACHI ſecularibus negotijs ſe immiſceant,*

### Tit. L.

IMMVNITAS non tantùm vtilitatem & commodum Eccleſiæ reſpicit, ſed etiam honeſtatem; & ideò ſicut ſuarum prærogatiuarum, ità dignitatis ſuæ, & decoris leges habere debet, quas miniſtri ipſius obſeruent, vt à laicis & profanis hominibus in vtroque diſſimiles ſint vitæ modo. Igitur non debent ſe negotijs ſeculi implicare, *ſe ſeculari*, vt loquitur Anonymus Maioris Monaſterij; *Archiepiſcopus Tutinenſis monachos accuſauit, vbi indecente petulantiâ laſciuire ſolent, & ſeculari, quod dictu nefas eſt, & ad hoc dedecus maius redigere monaſterium.* Nec quidquam cum ſecularibus commune debent habere clerici, cùm ſua ſtipendia ſeparatim capiant, *can. hi qui. 21. q. 3.* quod ex inſtitutis Apoſtolorum proceſſit, *can. 6. Apoſtol.* Imprimis iudicio ſanguinis interdicitur clericis, *ex Concil. Tolet. in cap. 5. hoc tit.* adeò vt contrà facientes gradus clericalis honore priuentur, *can. Sæpè, & ſeq. 23. q. 8.*



Digitized by Google

quod & Innocent. III. in Concil. Later. renouauit, *cap. Sententiam, hoc tit. reos tormentis afficere, vel ſupplicijs extorquere cenſura curiæ eſt, non Eccleſiæ diſciplina*, ait Hildebrandus *epiſt. 30.* multò minùs & placitis ſecularibus intereſſe, vel præeſſe poſſunt, vt illic præpoſiti ſint, vel Miſſi Comitum, vel Vicecomites, *d. cap. 5.* vel principum Iuſtitiarij, *cap. ſed nec. 4. hoc tit.* vt fusè tractatùr in *cap. 2.* ſententiarum ſynodalium Lucæ Patriarchæ; qua tamen in re Innocentij III. temporibus abuſus maximè inualuerat, præſertim in Anglia; refert etenim Matthæus Paris, monachos S. Trinitatis conqueſtos fuiſſe apud Innocent. III. quòd Hubertus Cantuarienſis Archiepiſcopus contra ordinem dignitatis ſuæ, ſe iuſtitiarium Angliæ & ſanguinis iudicem gereret, quod ſub pœna interdicti Richardo primo Innocentius vetuit, & huic præcepto Rex obtemperauit. Inhibetur etiam clericis negociatio, ſiue mercatura turpis lucri causâ, *cap. Secundùm. hoc tit. can. Quoniam, & ſeq. 14. q. 4.* iuſta enim & honeſta negociatio licita eſt, *cap. 1. hoc tit.* quia & Apoſtoli neceſſitatis causâ id egerunt, & B. Paulus de ſe profitetur *Act. 20. can. 1. 21. q. 1.* licet clericis & monachis mercaturam exercere, vt quæſtus in vſum pauperum conuertatur, ait Conſtantin. in *l. 2. C. de epiſc. & clericis:* quod ità intelligendum eſt, vt quidem καπηλικὴν ἐργαστήριον ἔχειν liceat ad alijs elocandum, non verò vt intelligimus ἔχειν, *habere*; id eſt, exercere; non enim hoc licet *can. Nulli. 44. diſt.* ſicque interpretatur Balſamon in *can. 9. Syn. VI.* Longiſſima porrò differentia eſt, inter mercaturæ, ſiue negotiationis, & laboris, induſtriæque propriè quęſtũ; ſiquidem quòd proprijs manibus faciunt, & operantur clerici iuſtũ eſt; ſic enim ex præcepto fecerũt olim Monachi ad vitãdũ otiũ: lucra verò quę ex fœnore captãtur dãnat *can. 17. Syn. Nicæna.* vnde cõqueritur Sidonius *epiſt. 8. lib. 1.* clericos fœnerari, ſyros pſallere, ordine præpoſtero, quod & arguit quoddam genus idololatriæ: Tertull. *lib. de idololat. cap. 12.* idẽ de procurationibus & cõductionibus ſtatuitur in *d. cap. 1.* nec enim officiales fieri debẽt, & alijs ratiocinijs occupari, *cap. vnico, ſup. de obligat. ad ratiocinia. l. officiales. C. de Epiſcop. & clericis:* non villici, non inſularij, id eſt exactores penſionũ ex inſulis locatis, *l. Imperatores, de offic. præf. vigil.* Tutelis quoque & curationibus ſeſe implicare non debent; hoc prohibitum Epiſcoporum concilio ſcribit Cyprianus *epiſt. 9. lib. 1.* & vetat Leo *Imp. No. 68. & Iuſtinianus Nou. 123. cap. 5.* quæ omnia nominatim cauentur in *can. Peruenit. 86. d. & can. 3. Syn. Chalced.* ad quem Balſamo refert, clericos poſſe fieri executores teſtamentorum, imò & ad tutelam vocari legitimam, non teſtamentariam, adductâ Nouellâ Leonis ſapientis, quod tamen ius canonicum non admiſit, niſi eo caſu,

Digitized by Google

quo quæſtio eſt de miſerabilium perſonarum tuitione, vel cura, *cap.* 1. *& can. Epiſcopus. 88. diſt.* Non poſſunt etiam clerici ſuſcipere tabellionatus officium, *cap. Sicut hoc. tit.* in quo Innocentius III. abuſum coërcet, quo paſſim in Eſculana ciuitate presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi tabellionatus officio fungebantur, vt eſt in *epiſt. integrâ Regiſtri nuper editi.* Indignum enim eſſet eos ſeruos fieri, qui pro dominis agnoſcuntur; tabelliones ſunt ſerui publici, *l. non aliter. ff. de adopt.* Aliud eſt quod alienum à propoſito monachorum vult Alex. III. in Concilio Turon. ſcientiam legum & medicinæ, *cap. Non. magnopere. hoc tit.* quod decretum Honorius III. ad omnes clericos dignitate aliquâ præditos & quoſlibet presbyteros traduxit, in *cap. vlt. hoc tit.* Quantùm attinet ad iuris ciuilis cognitionem, inhibet Innocent. III. *epiſt.* 144. *lib.* 1. quâ electum Brixienſem reprehendit, quòd cùm ei conceſſiſſet in ſcholis morari, legibus ſecularibus incubuiſſet: non abs re id monachis vetitum, ne eo prætextu à contemplationis & ſilentij terminis auocentur, vt ait *d. cap.* 3. quod non eſt extendendum ad Ius Canonicum, cuius ſtudium nobile, purum, & planè diuinum, licèt aliquando à Benedicto XII. ſub pœna excommunicationis monachis nigris & Ciſtercienſibus fuerit interdictum, expenſis ſcilicèt & ſumptibus Ordinis, vt refert Anonymus in eius vita; quod & retractauit in ſuis conſtitutionibus regularibus, *cap.* 7. *de mittendis ad ſtudia*, vbi nominatim Theologiæ, vel Iuris Canonici ſcientiam præſcribit. Quantùm verò eſt de clericis ſecularibus, durum nimis & aſperum videtur à ciuilis iuris ſcientia arcere, quòd veram philoſophiam veteres nuncuparunt *iudicare, promere, & exercere iuſtitiam*, Plinius *lib.* 1. *cap.* 1. ideóque Bonifacius VIII. decreta hæc temperauit, prohibens plebanis, & dignitatem habentibus ſcholas huius ſcientiæ aperire, & publicè id ius profiteri: habebant illi in parœcijs ſuis ſcholas, vt conſtat ex *can.* 56. *lib.* 2. *apud Burchardū, can.* 5. *in addit. Capitul.* & Theodulph. Aurel. *cap.* 20. non vetando quin priuatim huic ſtudio incumbant, *cap.* 1. *hoc tit. in* 6. non vt forenſium diſceptationum periti fiant, vt eſt in *l. Repetita. C. de Epiſc. & cleric.* ſed vt vtilitatibus ſuis, & alienis proſpiciant, *cap. vnico.* 39. *diſt.* Phyſices verò ſcientia omnibus interdicitur; Phyſica nihil aliud eſt quàm medicina, ſicut Phyſici dicuntur medici, quorum alij theorici ſunt, alij practici, vtraque horum doctrina improbatur; dum enim nimiùm autoritatis naturæ tribuunt, in autorem naturæ ſæpiùs impingunt, vt loquitur Ioannes Sariſbérienſ. *cap.* 29. *lib.* 2. hanc ſcientiam parum proficere Chriſtiano ſcribit D. Auguſt. *Enchiridio ad Laurentium*, ar-



Digitized by Google

guens eos qui pro ſua ſententia adducunt hunc verſiculum,

*Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.*

Practicam medicinam olim presbyteris vſitatam fuiſſe docet Theodoret. in *epiſt. 115. ad Apellam* : εἷς τούτων ἐστὶν ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος Πέτρος, λογικῶς μὲν μεταχειρίζων τὴν τέχνην κοσμῶν δὲ ταύτην τοῖς ἤθεσιν. Id eſt: *Vnus horũ eſt religioſiſsimus presbyter Petrus, qui rationabiliter artem exercet, ac illam moribus exornat.* quam tamen poſteà damnarunt noſtræ conſtitutiones, tum propter frequens mortis periculum, *l. illicitas. ff. de offic. præſid. diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt*, inquit, *Plinius lib. 29. cap. 1.* cùm quòd Chirurgicam artem exercent, vrunt, ſecant, cucurbitas admouent, *l. lege. ad l. Cornel. de ſica. l. 53. ad l. Aquil. Paulus 3. ſent. tit. 6. can. 1. Concil. Nicani* : & ad hanc Chirurgicam artem medicinæ partem reſtrinxit Innocent. III. ſupradictas conſtitutiones, in *cap. Sententiam. hoc tit.* & *in epiſt. ad Gebennenſem Epiſcopum, lib. 14. regiſtri*, in qua cùm monachus quidam ferro tumorem gutturis mulieri cuidam aperuiſſet, ipſa poſtmodum cùm ſe vento & aëri expoſuiſſet è viuis exceſſit; vnde conſultus Summus Pontifex, an ſacris interdicendus monachus? reſpondet, non ideò cùm non ſuâ culpâ mulier obierit ab altari arcendum, ſatisfactionem tamen condignam ab eo præſtandam, quòd alienum officium vſurpaſſet, ſibi minùs congruum.

Finis libri tertij

# LIBER QVARTVS DECRETALIVM.

## DE SPONSALIBVS, ET MATRIMONIIS.

## TITVLVS I.

TOTVS hic liber ad iura connubiorum ſpectat, & contractuum, de quibus ſuperiori libro materiam complet; eſt etenim matrimonium contractus ad quem perficiendum conſenſus potiſſimùm requiritur, *can. 1. 27. q. 2.* & ad hunc confirmandum & roborandum alij contractus veniunt, quales ſunt ſponſalia, dotis, vel arrharum datio, donatio propter nuptias. Sponſalia ſunt contractus, qui nuptias præcedunt, & conſenſu fiunt, ſiue re, ſiue verbis, ſiue literis exprimatur, *can. Noſtrates. 30. q. 5. cap. is qui fidem. hoc tit.* definitio propria eſt in *l. 1. ff. de ſponſalibus; ſponſalia ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum*, quam noſtri canones ſequuntur: per hanc repromiſſionem, ſeu ſponſionem reciprocam fides habetur de futuris nuptijs, duplici tamen modo; nam aliquando fides illa reſpicit conſenſum præſentem, & tunc verum & ratum eſt matrimonium, quod diſſolui iure non poteſt; aut reſpicit conſenſum futurarum nuptiarum, qui non ità adſtringit, nec complet matrimonium: & hæc eſt differentia, quæ habetur inter fidem pactionis, & fidem conſenſus, in *can. vlt. 27. q. 2.* Olim quidem veteri lege omnia ſponſalia vtroque modo concepta contractum matrimonij perficiebant, quod & definit *Syn. VI. in can. 69.* omnia fidei verba ad præſens tempus referebantur, interpoſitis ſtipulationibus, ſpondes, ſpondeo, *l. 2. ff. eod. & l. ſponſio, de verb. ſignif.* vnde ſponſi nominantur, quaſi inuicem repromiſſi, & ſtatim actio naſcebatur ex ſponſione: Seruius Sulpitius apud Gellium *lib. 4. cap. 4. Si poſt eas ſtipulationes vxor non dabatur, qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat, iudices cognoſcebant*: quo fiebat vt ſponſi ſeiungi, & ſeparari non poſſent, & ſi quis

alij deſponderetur, reus adulterij eſſet, *d. can. 99.* & ad priorem redire cogeretur, eodem modo, quo hodiè ſponſalibus factis de præſenti fœdus matrimonij contrahitur, *cap.* 1. *hoc tit.* nec enim amplius ſponſi erant in poteſtate patris, ſed ſponſus ſponſæ dominus erat. Pauſan. *in Meſſeniacis* refert cùm Ariſtodemus filiam ſuam dediſſet immolandam, ciuem quendam Meſſenium ex ſponſu agentem puellam vindicaſſe, negantē eam ampliùs in patris poteſtate eſſe, ſuā eſſe qui ſpōſus ſit, in illam ius omne ſe habere: αὐτὸς δὲ ἐγγυησάμενος κυριώτερος ἐκείνου γίνεσθαι. Paulatim hoc vinculum imminutum eſt, pœnâ primum quadrupli ſtatutâ, tum deinde dupli contra perfidum, *l. vnicâ. C. Theod. Si rector prouinciæ. l. penult. ff. de ſponſalib.* iure noſtro penitentia iniungitur, *cap.* 5. *& cap. Sicut. hoc tit.* fides illa, ſeu repromiſſio iureiurando contrahitur, quo fit vt fidem frangentes periuri dicantur, *cap. Quemadmodum. ſup. de iureiur.* imò & Deorum contemptores olim haberentur, ob ſacrificium in ſponſalibus fieri ſolitum, quod dicebatur προγαμεῖα, & προτελεία apud Iul. Pollucem, *lib. 3. cap. 3.* Latinis confarreatio apud *Vlp. in fragm.* hinc etiam ſponſi & ſponſæ nomen quidam deducere malunt, quòd σπονδὰς, id eſt, libationes in fœdere ſanciendo adhiberent, teſte Feſto. Hoc iure periurium naſcitur ex iureiurando, ſacrilegium, ſeu diuini numinis contemptus, ob ἱερολογίαν, per quam conciliatur matrimonium, *can.* 1. *& 2. 30. q. 5.* & tunc ſponſalia fiunt de præſenti, & eſt matrimonium, licèt copula non interceſſerit, *can. cùm initi atur & ſeqq. 27. q. 2.* ſicut enim iure ciuili emptionis, & venditionis contractus ſolo conſenſu fit, licèt res nondum tradita fuerit; ità & matrimonium ſinè copula conſiſtit, ſolus concubitus matrimonium facere non poteſt, ſolus conſenſus poteſt. *l. Nuptias. de reg. iur. l. penult. C. de inceſt. nupt. cap. Cùm locum. hoc tit.* ſicut enim ſeparatio corporum diuortium non facit, ſed animorum; ità nec matrimonium coniunctio facit corporum, ſed voluntatum, *can. Matrimonium. 27. q. 2. Nou. Juſtiniani.* 127. vetus opinio Aegyptiorum erat, vt matrimonium non cenſeretur, nec nuptiæ exiſtimarentur contractæ, niſi corporum conuentio interceſſiſſet; tunc enim re contractas nuptias dicebant, quod damnat Zeno in *l. penult. C. de inceſt. nupt.* per Aegyptios intelligimus Iudæos. Inter matrimonium quidē & nuptias propriè differentia eſt, nuptiæ enim dicuntur cùm ſponſa traditur viro, cùm mancipatur: Quintilianus *decl. 306. Vis ſcire quid ſint nuptiæ? aſpice illam virginem quam pater tradidit*: traditio fiebat per deductionem in domum, *l. 5. de ritu nup. l. 3. §. Mulieri. de vſu & habit.* vnde Nonius ait, *innubere*, pro, *tranſire*; quòd hæ quæ nubunt in domum marito-

tum tranſeunt : ſunt enim hæc ſolennia vnius diei epulæ nuptiales γαμήλια, quaſi δαμήλια; nuptias enim γάμον, quaſi δάμον dixerunt, à verbo δαμάζειν, quod eſt *domare*, ideò Græci diem primum γάμους vocabant, ſecundum verò ἐπαύλια, Latinis *repotia*. Matrimonium differt à nuptijs, quòd ſit totius vitæ ſocietas, *cap. præterea. hoc tit.* & mentium coniunctio, ἔννοια, ſtabile coniugium Virgilio : indiuidua vitæ conſuetudo , ex definitione Iuſtiniani, qui hanc differentiam ponit in *§. ſi aduersùs, Inſt. de nupt. §. nuptiæ. de patria pot. & §. quibus. de heredit. quæ ab int.* quâ ratione factum arbitror, vt hic titulus ſit conceptus de ſponſalibus & matrimonijs , non de nuptijs, cùm nuptiæ, quibus commiſtio fit corporum, non ſint neceſſariæ ad matrimonium, *can. omnis. 27. q. 2.* contrarium tamen videtur probari in *can. Non eſt dubium, & ſeq. ead.* in quibus matrimonium non creditur, niſi per ſexuum coniunctionem, ideóque Alex. III. in *cap. 2. hoc tit. in 1. compil. ait: Non ſunt vna caro vir & mulier, niſi cohæſerint copulâ maritali*, quod temperatè ſumendum eſt; ſcilicet matrimonium perfectum non eſſe in quo commiſtio ſexuum, id eſt poteſtas reciproca corporum non eſt, vt poſſit alter ab altero debitum exigere, *can. ſunt qui dicunt. in fine, ead. can. Si dicat. 33. q. 5.* poteſtas illa mutua corporum oritur ex conſenſu , ſinè qua tamen conſiſtit matrimonium; quod ideò non ſolùm canonibus, ſed etiam legibus eſt conſtitutum, ne plus tribui concubitui , quàm conſenſui videretur: concubitus perficit & adimplet matrimonium, adeò vt petentibus denegari nequeat, & hinc matrimonium dici ait D. Auguſt. contra Fauſtum, quòd vxor mater fiat: cui ſimile eſt quod dicitur in *can. Requiſiſti. 33. q. 1.* dum agitur de vxore , quæ impleri matrimonium poſtulat; *volo eſſe mater , & filios procreare.* Vt tamen conſenſus ille , non concubitus facere nuptias videretur, primis Eccleſiæ temporibus ſponſi ſeſe continebant diebus nuptiarum, *can. 13. Concilij Carthag. 4.* quem Burchardus citat ex Synodo Valentina *lib. 9. cap. 5.* Balſamon ad *can. 3. Syn. Carthag.* D. Auguſt. *ruſticum eſſe*, ait, *vt ſtatim pactæ traderentur, ne viles haberent mariti, 8. Confeſſionum.* Per biduum vel triduum decreto Euaxiſti abſtinebant in *can. 1. 30. q. 3.* & Sotheris, vt idem Burchard. refert *eod. cap. 7.* ob reuerentiam nempe ἱερολογίας, quæ tunc impendebatur , & ſinè qua nec matrimonium, nec nuptiæ conſiſtere poſſunt, *can. Nullus 30. q. 5.* imò, quod maius eſt, cùm miſcebantur coniuges , ab Eccleſiæ ingreſſu per dies 30. prohibebantur, *cap. 2. Concil. Mediol. I.* apud eundem Burch. Ad contractum matrimonij alia deſiderantur, arrharum nempe dotíſque datio , & donatio propter nuptias, ſed præcipuè dos, *can. Nullum. ead.* ius enim publi-

Digitized by Google

cum læditur cùm ſinè dote ſit matrimonium, *l. 2. ff. de ritu nupt.* & indigniſſimum eſſe ait Vlp. vt mulier dotem non habuiſſe exiſtimetur, *l. Cum pater, de pactis dotalib.* ſinè dote legitimum non eſt coniugium, *can. aliter 30. q. 5.* vel ſinè dotali titulo, vt ait *canon. conſanguineorum, 3. q. 4.* Nouel. Iuſtiniani *117.* id eſt, dotalibus inſtrumentis. Tria ad matrimonij fœdus requiri docet Matthæus Blaſtares; εἴτε δι' εὐλογίας, εἴτε διὰ ςεφανώματος, ἢ διὰ συμβολαίȣ, *per benedictionem, per coronationem, & per inſtrumentum, tit.* ὅρος γάμȣ. No. Alexij Comneni oſculum, annulum, & benedictionem requirit: nam quod de coronatione dicit, idem, nî fallor, cum benedictione: ſiquidem ſacerdos contrahentes coronabat, vt *ex epiſtola 3.* Michaëlis Cerularij conſtat, dum loquitur de pœnis ſacerdotis, qui citra conſenſum parentum coronauerit, ἐςεφάνωσε. *lib. 4. iuris Græco-Rom.* quòd prohibetur monachi κρατεῖν ςεφάνȣς γάμων, id eſt, *coronas nuptiales tenent,* inquit Harmenop. *ad can. vlt. tit. 2. ſect. 4.* Hæc inſtrumenta dotalia olim à ſacerdote ſubſcribenda erant, nec aliàs rata habebantur: Damaſcius in vita Iſidori philoſophi apud Photium: ȣ̓κ ἦν δὲ γνήσιος ὁ γάμος εἰ μὴ ὁ ἱερεὺς ὁ τȣ̃ θεȣ̃ ἐν τοῖς γαμικοῖς συμβολαίοις ὑπεσημήνατο χειρὶ τῇ ἑαυτȣ̃: id eſt, *Non erant legitimæ nuptiæ, niſi ſacerdos Dei matrimoniales contractus, ſeu nuptialia inſtrumenta, ſua manu notaſſet.* hoc ius Imperatores non agnouerunt in *l. Neque C. de nuptijs, l. vlt. C. Theodo. eod.* qui ſinè dotalibus inſtrumentis nuptias contrahi poſſe ſanxerunt: Iuſtinianus *Nouella* 18. *c. 4.* ait nuptias non conſtitui dotibus, ſed mutuo cohabitantium affectu, εἰ καὶ μὴ προῖκες τοῖς γάμοις ἀκολȣθήσαιεν, ἀλλὰ διάθεσις ὡμολογημένη, καὶ σαφὴς μεταξὺ τῶν συνοικȣντων ȣ̓̃σα. Id eſt, *Licèt non ſint ſecutæ nuptias dotes, ſed affectus indubitatus & manifeſtus inter coniuges exiſtens.* Idem *No. 22. c.* 18. Harmenop. *lib. 4. tit. 4.* καὶ χωρὶς προικῴων συμβολαίων συνίςαται. hoc aliàs in dubio fuiſſe oſtendit Iuſtinanus *d. Nou.* ideò nuptias illuſtrium perſonarum ſinè his præmiſſis contrahi noluit, *can. Lotharius. 31. q. 2.* humiliores verò, quibus nulla, aut tenuiſſima dos eſt, ab hac lege exemit, quod & refert idem Harmenop. de omnibus qui aliquâ dignitate fulgent, τȣ̀ς ἐν ἀξιώματι μέτρι, vſque ad Protoſpatharium, quem illuſtrem nominant Gloſſæ Baſilicorum, & Nicolaus I. ad Michaëlem Imp. glorioſum; tanto enim honore fulgebat, vt etiam præfecturas prouinciarum gereret, vt ex Curopalate & Phranze *lib. 1. cap. 35.* conſtat: ſed quare hæc dotalia inſtrumenta fieri præcipiantur, cùm non ſint de ſubſtantia matrimonij, ſicut eſt benedictio, dicemus *inf. tit. de inceſt. nuptijs.*

*De*

Digitized by Google

## DE DESPONSATIONE IMPVBERVM,

### Tit. II.

DE his qui per ſe ſponſalia contrahere poſſunt dictum eſt titulo ſuperiori; nunc de his qui ob ætatis imbecillitatem parentum conſilio contrahunt, ideò titulus inſcribitur de deſponſatione impuberum, ſiue, vt alij legunt, de deſponſione impuberum: *deſpondere*,&,*deſponſare* idem ſonant, & tam ad eos qui per ſe, quàm per parentes coniunguntur referri poſſunt, vt annotauit Cuiac. *Obſ. 30. lib. 16. ex l. Si quis tutor. §. quamuis. de ritu nupt. l. Cùm hic ſtatus. §. fin. de donat. inter vir.* cui addo *caput* 1. *ſup. tit.* propria quidem ſignificatio pertinere videtur ad eos qui à parentibus copulantur, tam maſculos, quàm fœminas, licèt Donatus, *in Andriam*, dicat patrem puellæ ſpondere, adoleſcentem deſpondere: Tullius orat. pro Cluentio *deſpondit ei filiam ſuam.* Paulus *l. 5. de ritu nupt.* ait tutorem non poſſe vxorem ducere adultam, niſi à patre deſponſam, deſtinatámque; vbi notanda vis verborum, quæ coniunctionem monſtrant à patre factam; deſtinare, eſt, *vincire*, *alligare* apud Apuleium *lib. 6. lorum quo fueram deſtinatus abrumpo.* Plautus in Rudente, *ſibi puellam deſtinat & iureiurando alligat.* Nec moror diſtinctionem Cuiacij, vt deſpondere ſit cum ſtipulatione, deſtinare nudo conſenſu, & ſolo animi motu. Per impuberes hoc loco intelligimus eos qui ſeptennium egreſſi ad 12. vel 14. annum nondum peruenerunt, *cap. 3. hoc tit. & l. 14. de ſponſalib.* Ante ſeptennium non conſiſtunt ſponſalia, quia in ea ætate non cenſetur adhiberi conſenſus, *can. vnico 30. q. 1. & d. l.* 14. *de ſponſal.* ὥστε μὲν ἥττων τῶν ἑπτὰ ἐνιαυτῶν, διακρίσεως ἐντελοῦς ἀμοιρεῖ. Id eſt, *nimirum eam quæ minor ſit annis ſeptem iudicio omnino deſtitui*, reſpondet Alexius patriarcha *in ſententijs Synodal. c. 3.* Auguſtus decennio tantùm voluit ſponſalia contrahi poſſe, teſte Dione, *lib.* 54. τοῦτ' ἔστι δεκέτιν παντὼς ἐγγύασθαι, Id eſt, *vt omnino decennem deſpondere opus eſſet*, tales nuptias inter infantes cùm penè in cunis ſint imaginarias vocat Iuo Carnot. *epiſt. 243. ſinè fide, ſinè prole, ſinè conſenſu, ſinè omni bono coniugali.* Quòd ſi in ea ætate attentatus ſit pudor puellæ, licèt nullus exiſtimetur eſſe conſenſus, propter publicam honeſtatem ſponſalia eſſe creduntur, *l. 14. §. ſeruiles, ff. de ritu nupt.* & tunc affinitas contrahi dicitur, *cap. 3. ſup. tit.* impetus ille in puellam nondum ſeptennem, quaſi contra ſtatum & ordinem naturæ factus, vocatur extraordinaria libido, in *cap.*

*Fraternitati, inf. de eo qui cognouit conſang. & in can. Extraordinaria, 35. q. 3.* nec ad genus libidinis aliud cum Gloſ. referas, quicquid enim ſinè lege, ſinè ratione fit, extra ordinem, pro libidine, pro libito fieri dicit Tertull. *in Apolog.* Septennium cenſetur tempus legitimum ſponſaliorum, quod Alexius Comnenus tempus ſtatutum nominat, *No. 3.* ὅσαι μετὰ τῆς ἱερᾶς ἐυλογίας κατὰ τὸν ὡρισμένον δηλονότι καιρὸν τελεσθεῖσαι. Id eſt: *Sponſalia quæ cum ſacra benedictione, ſtatutóque tẽpore peracta eſſe noſcuntur.* Poſt ſeptennium, licèt pubertas iure communi non computetur, niſi à duodecimo anno in fœminis, à 14. in maſculis, conſenſu ſponſalia cotrahuntur, quæ diſſolui niſi diſſenſu non poſſunt, ſi ambo, vel vnus eorum ad pubertatem peruenerit, adhibito Eccleſiæ iudicio, *cap. de illis. hoc tit.* cum pubertate, & numero annorum ſuccedit ætatis iudicium, & ratio, ideóque rectè Iuo *epiſt. 134.* annos pubertatis vocat *rationales*: & antiquitas non tam dignoſcebat puberes ad nuptias contrahendas, quàm eos qui rebus agendis idonei ad negotia deputabantur: Tertull. *lib. de vel. virg. cap. 11. & lib. de anima.* Quod ſi ante dictam ætatem commiſtio corporum interceſſerit, & paucitatem annorum maturitas corporum præuenerit, tunc ſinè dubio matrimonium cenſebitur, & malitia ſupplebit ætatem, *cap. à nobis. hoc tit.* & tunc conſenſus præſumitur, vt ait Gloſſ. *in. d. cap. de illis*, vbi & proximos pubertati copulâ carnali coniungi poſſe dicit Pontifex: hanc vicinitatem pubertati ſtatuit in maſculis ad annum vndecimum, vel circa duodecimum *cap. Continebatur, hoc tit. cap. Ad id quod, ſup. tit.* Quin etiam tantùm huic deferunt Pontifices, vt quamuis concubitus non interuenerit, naſcatur tamen publicæ honeſtatis iuſtitia, & affinitas contrahatur inter eorum conſanguineos, etſi pubertate accedente ſolutum fuerit matrimonium *cap. 11. hoc tit. in 1. compil.* quod quidem ſingulare eſt, vt matrimonium diſſenſus impediat, & tamen affinitas remaneat; quod hoc iure locum habet propter ſuſpicionem, quæ eſt inter pubertati proximos: quod ſi nondum vicinitas pubertatis acceſſerit, tunc nulla naſcitur affinitas; niſi & ſimul cohabitauerint, *cap. Duo pueri, hoc tit.* ſimiliter quando attentata eſt pudicitia puellæ nondum viripotentis, viripotis, vel viropis, quòd opus habeat viro, vt loquuntur Gloſſ. Pithœi, vel etiam nondum ſeptennium egreſſa fuerit, licèt virginitatis flos corrumpi non poſſit, tamen pudor & honeſtas læditur, quæ ideò inducit ſpeciem quandam affinitatis, *cap. Iuuenis. ſup. tit.* cùm & ſuſpicio quædam remaneat; nam & ſeptimo anno nubiles & maturas eſſe puellas apud quoſdam populos conſtat, vt apud Indos, autore Arriano *lib. rerum Indic. Plin. lib. 7. cap. 2.* Macrob. Ariſtophanes,

Digitized by Google

& alij puellas ſeptimo, octauo, & nono anno peperiſſe referunt, nec illa libido cenſetur extraordinaria, quæ poſt ſeptennium emergit, quia naturæ leges non ſuperat, licèt rarò id contingat, ideóque Sabiniani pubertatẽ non ex annis, ſed ex corporis habitu iudicabant, *apud Vlp. lib. reg. tit. 11. §. vlt.* quorum ſententiam probant noſtri canones, ratione matrimonij tantùm, vt optimè notat Gloſ. in *cap. 2. hoc tit.* publicæ honeſtatis tuendæ causâ; incongruum enim eſſet eos qui cùm nondum pubertatis annos attigiſſent, naturæ tamen exuberantis viribus & facultatibus vtuntur, impunè à ſponſalibus potuiſſe recedere *d. cap. de illis*; ætatem pubertati definitã non ità obſeruant noſtri canones, vt præcoces naturæ ignes contemnant, quamuis habitum corporum ſtrictè non ſeruent, ſed conſenſum. Fuit hæc lex Platonis *lib. 11. de legib.* in nuptijs adhibendum eſſe iudicem, qui de ſtatu, menſura, & qualitate corporum cognoſceret, quam inſpectionem vtpotè impuram & indecoram damnañt Imperatores *in l. vlt. C. quando ex facto tut. §. 1. Inſtit. quib. mod. tut.* quod & noſtri ſinè dubio faciunt, aſpectum corporis approbantes, tunc demùm tantùm, cùm neceſſitas id exigit, ne iam completum & conſummatum matrimonium reſcindatur, & ſacramento illudatur, *cap. penult. ſup. de probat.* Huic verò inſpectioni fidem rarò adhibendam cenſent; quippe manus & oculi obſtetricum ſæpè falluntur, *can. Nec aliqua, & ſeq. 27. q.* 1. leges ciuiles nuſquam hanc explorandi rationem improbarunt, ſed indecoram illam & inhoneſtam conſuetudinem, quâ quicumque fraudare vellet ſuos creditores, vel tutelæ iugum excutere, adibat præſidem prouinciæ, qui eius ætatem ex corporis ſtatu iudicabat non tantùm ad pubertatem, ſed etiam legitimam ætatem explorandam, *l. minor. 33. ff. de minorib.* Quod attinet ad ius commune duodecimus annus in fœminis, decimus quartus in maſculis ſeruatur, ante quem nulla rata matrimonia ſunt, nec pubertas cenſetur, niſi contrarium facto comprobetur. Puella creditur immatura, ἄχαρις, ἄνυμφος *illocabilis, cruda*, vt loquitur Claudianus, *paneg.* 30. *acerba* apud Nonium; nec ſcire, nec velle exiſtimatur, *cap. à nobis. hoc tit. l. vlt. de iuris & facti ignor.* niſi concubitus interceſſerit ex quo conſenſus naſcitur, *cap. continebatur. hoc tit.* aliter ſponſalia quantumlibet fuerint facta per verba de præſenti, ad futurum referuntur, *cap. vnico. hoc tit. in 6.* & licèt parentes pro filijs ſponſalia fecerint, non tamen firma ſunt, niſi poſt pubertatem rata fiant, *can. vnico. 30. q. 2.* excepto caſu *cap. 2. pro bono pacis* inter illuſtres, *ratione dilatandæ, vel conſeruandæ pacis*, vt loquitur Iuo Carnot. *epiſt. 99.* quia tunc licèt partes reſilire cupiant, Eccleſia non patitur,

*cap. 6. in 1. compil.* Conſenſus autem, qui rata facit parentum ſponſalia, debet intercedere ſtatim atque filijs reclamandi facultas acceſſerit, vt ſentit *Panormit. in cap. ex literis. ſup. de ſponſal.* ſinè vlla procraſtinatione, vt loquitur Imperator, *l. Qui contra. C. de inceſt. nupt.* vtpotè ſi violentiam patris allegent, *d. cap. de illis, hoc tit.* data eſt patribus poteſtas in filios non tyrannica, & violenta; & deſpondendi facultas non tantùm eſt munus, ſed etiam onus, quo filiorum meliorem conditionem procurare tenentur, *l. Qui liberos. de ritu nupt.* Publicæ vtilitatis contemplatio effecit, vt filij à parentibus alligentur coniugio, vt ait Paulus, *2. ſentent.* & licèt nuptiæ, iuſtæ dici aliquatenus non poſſint (omnis enim coactio pugnat cum lege) tamen lex publica mandatum vel conſilium paternum deſiderauit, *cap. veniens. de ſponſalib.* vnde & illegitimas dixit Apul. *lib. 6.* & Tertull. *2. ad vxorem.* Conſenſus patris non minùs firmat ſponſalia, quàm iuſſus, *can. Noſtrates. 30. q. 5. l. Nec filium. C. de nupt.* Catull. *in Epithal. Pelei,*

*Tum Thetidi pater ipſe iugandum Pelea ſenſit.*

*Senſit*, id eſt, conſenſit: nec tamen autoritati parentum tantùm tribuitur, vt omnis libertas liberis adimatur, quin & horum, cùm puberes facti ſunt, deſideretur conſenſus, alioquin nullum eſt matrimonium, *can. ſufficiat. 27. q. 2.* Iuo epiſt. 134. *Quicquid pater neſciente virgine iurauerit, cùm ad annos rationales perducta eſt, niſi ipſa virgo conſentiat, irritum erit.* Quæ mens eſt Pauli in *l. Titia. de verb. obligat.* tota poteſtas non ità hæret capiti parentum, quin particula aliqua liberi arbitrij filijs relinquatur: eleganter Catull. *in carmine nuptiali 67.*

*Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt,*
*Tertia pars patri data, pars data tertia matri,*
*Tertia ſola tua eſt.*

## DE CLANDESTINA DESPONSATIONE,

### Tit. III.

QVÆ potiſſimùm in ſponſalibus & matrimonijs deſiderentur dictum ſuprà; nunc defectus exprimuntur quibus inutilia fiunt, quorum vnus eſt clandeſtina deſponſatio: per deſponſationem intelligimus tam nuptias, quàm ſpōſalia. Fit autem quatuor modis, cùm nulli ſunt arbitri, nulli teſtes, *cap. 2. hoc tit.* cùm ad Eccleſiam alienam decurritur, ex Concilio Tridentino; ſi ἱερολογία non interceſſerit, poſtremò inuocatis & inconſul-

tis parentibus, quæ omnia exprimuntur in *can. 1. 30. q. 5.* his omiſſis nuptiæ clàm, & furtim fieri dicuntur, κλεψιγάμους vocant Græci; ſi teſtes non fuerint, quibus conſtet matrimonium fuiſſe contractum: ſæpe enim inter ipſos contrahentes naſcebatur diſſenſio de matrimonio facto, *cap. 4. de ſponſa duorum, in 1. compil.* duo, vel tres deſiderantur, Concil. Trident. vel paranymphi, *can. Qualis. 30. q. 5. cap. 5. lib. 9.* apud Burch. Coram ſacerdote, id eſt, parocho, *can. nullus, ead. cap. 165. 166. lib. 1. Capitul.* qui Miſſam celebrare debet, & ambos deinde benedicere, *cap. 8. lib. 9.* apud Burchard. Per ſacerdotem, intelligimus proprium tantùm parochum, non extraneum; nam & officium erat olim, ſicut hodiè, interrogare eos qui ad ſacramenta veniebant, cuius eſſent territorij, ſeu parochiæ, *can. 1. Concil. Nannet. apud Iuonem, parte 2. cap. 122.* ab eo tantùm ritè benedictio impenditur, ſinè qua nullos iure matrimonij potiri vult Imp. Iuſtinianus *Nou. 24.* Leo *Nou. 89.* S. Ambroſius *epiſt. 70. lib. 9. Coniugium,* inquit, *velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oportet:* & hoc intelligitur fieri in facie Eccleſiæ, vt eſt in *cap. ex tenore. infr. qui filij ſint legitimi*, vel in conſpectu Eccleſiæ, vt eſt, *in d. cap. cùm inhibitio.* vbi, *parochia*, ſumitur, pro *Eccleſia* non vt neceſſariò id fieri debeat in Eccleſia parochiali, ſufficit enim in domo priuata, coram parocho & teſtibus: imò nec partes cogi poſſunt alibi contrahere, vt eſt definitum *in deciſionib. Concilij Trid. cap. 1. ſeſſ. 24.* Hic autē antiquus ritus εὐλογίας in precibus & velamine conſiſtebat, vt hoc velo, tum quaſi aliquo iugo cognoſcant fœminæ ſe ſubditas viris fore, cùm quòd quaſi vittâ, ſeu vinculo copularentur, ne compagem vnitatis poſteà dirumperent, *can. fœminæ. 30. q. 5.* flammeum vocant veteres quod accipiebant nubentes, ne facerent diuortium, Catull. *in nuptijs Iuliæ & Manlij:* Seuerus Sulpit. *Hiſt. ſacræ lib. 11. Poſt Pythagoræ cuidam in modū ſolennium coniugiorum nuberet, inditúmque Imperatori flammeum.* Parentum quoque præſentia deſideratur, non tantùm patris & matris, vt *ſup. tit.* diximus, cognatorum minimè, *l. in copulandis. C. de nuptijs*; niſi tunc demum cùm alij deceſſerint, *l. in coniunctione, C. eod.* quod partim factum ne ipſis inſcijs cognatis & affinibus clandeſtinum dicatur matrimonium, *cap. ad diſſoluendum ſup. tit. prox.* qua etiam de cauſa ſtatutum fuit vt publicè, ſpectante populo, nuptiæ celebrentur, ne de cetero inter aliquos clauculum, ſed publicè coram idoneis teſtibus ſponſalia contrahantur, *cap. 4. de ſponſa duorum, in 1. compil.* non gentilium more, qui noctu hos ritus peragebant, quod notiſſimum ex Seruio: quin & conuiuia, choreæ, & feſtiuitates fiebant, vt nuptiæ publicæ, omnibúſque cognitæ eſſent, *can. Qualis.*

*30. q. 5.* quas durare ſolitas ſeptem dies ſcribit *D. Auguſt. 1. quæſt. ſuper Geneſim, ad cap. 29. Geneſ.* Hæ celebritates erant veluti acta & teſtimonia rei geſtæ, & matrimonij perfecti, quod pulchrè notat Athenæus *lib. 5. cap. 1.* ὡς νενόμισαι ἄγειν συμπόσια περὶ τοὺς γάμους, τῶν τε γαμηλίων Θεῶν ἕνεκα, καὶ τοῦ οἱονεὶ μαρτυρίας, *id eſt: ſic enim moribus & legibus ſcitũ eſt, vt in nuptijs epulum fiat, tum nuptiales Deos vt veneremur, tum vt pro teſtimonio id ſit.* Nec vnquam conuiuia ab Eccleſia fuerunt damnata quæ procul ſunt à turpibus & ſcurrilibus iocis, non plaudere, vel ſaltare, βατταλίζειν, ſeu, βαλλίζειν, ἢ ὀρχεῖσθαι, ἀλλὰ σεμνῶς δειπνεῖν, ἢ ἀριστᾶν: *ſed modeſtè cœnare, vel prandere* præcipit *can. 53. ſyn. Laod.* Præter hæc vt furtiuis illis coniugijs remedium adhiberi poſſit, dotalia inſtrumenta confici voluerunt Imperatores ℞. *ſup. tit.* dictum fuit. Cúmque hæc nondum ſufficerent Innocent. III. conſuetudinem peculiarem Eccleſiæ Gallicanæ in ius commune conuertit, vt banna publicè edantur, quibus omnes moniti ſint de futuris nuptijs, & contradicere, & cauſas impedimenti legitimas obijcere poſſint, *cap. Cùm inhibitio, hoc tit.* Id peculiare Gallis docet idem Innocentius, *cap. Cùm in tua. de ſponſalib. in 4. compil.* ad Epiſcopum Beluacenſem, quod Raimundus repoſuit *in tit. de ſponſalib. & tit. qui matrimo. accuſ. poſſ. cap. Cùm in tua,* ſed truncum, & mutilum, deletis hiſce verbis, *in Eccleſijs ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ Gallicanæ editis:* ideò vt ius publicum ſtatueret, Eccleſiæ Papienſis eandem fuiſſe conſuetudinem dicit Alex. III. vt ſi quando controuerſia naſceretur de cognatione eorum qui matrimonio erant copulandi, publicè presbyteri nunciarent, præfixo termino, intrà quem ad accuſationem & teſtificationem venire liceret, quod & alijs commune fuiſſe docet Clemens in *cap. vlt. Qui mat. accuſ. poſſ. in 2. compil.* nec enim hoc nouum, vt pro omnibus caſibus & negotijs emergentibus presbyter publicè moneat vnumquemque, id ex Aurel. Concilio conſtat apud Burch. *lib. 2. cap. 70. can. 1. diſt. 3. de conſecrat. cap. 183. 184. & 187. lib. 6. Capitular.* Quin & debuit antiquitùs inquiri coram populo, an ſponſus & ſponſa eſſent propinqui, vel alijs per matrimonium iuncti, *cap. 8. Concil.* Trofleiani apud Ant. Auguſtinum *lib. 28. tit. 33. epitomes.* Banna verò ſunt proclamationes, edicta, ſeu denunciationes, vt notum eſt ex *Capitular. lib. 3. cap. 40. & 45.* Bannire, eſt citare, conuocare: inde *Bannum Imperiale,* apud Krantzium *lib. 10. Vuandal. bannum dominicum, bannum regium.* Tres autem denunciationes, ſeu tria banna fieri voluit Concilium Trident. cùm anteà decreto Innocentij III. vnum, vel plura arbitrio ſacerdotis fierent, *d. cap. Cùm in tua. hoc tit. competenti termino præfinito;*

Digitized by Google

quæ verba mihi ſuadent ex veteris Eccleſiæ inſtituto manaſſe; Euariſtus ſiquidem in *d. can. 1.* ait *ſuo tempore ſacerdotaliter benedicatur* : quid eſt ſuo tempore, quàm termino competenti denunciationis obſeruato.

## *DE SPONSA DVORVM,*

### TIT. IV.

ALIVS modus quo inutilia redduntur matrimonia detegitur *hoc tit.* cùm contra fidem & conſenſum priorem noua ſponſalia contrahuntur, cùm noua ſuperducitur vxor; vno verbo, cùm vno & eodem tempore aliquis duas vxores habet, vel quæ fœmina duos maritos; ſic enim rubrica concipienda, quæ amplior eſt in antiqua compilat. vbi legitur, *de ſponſa duorum, & de ſponſo duarum*: qui vxorem habet & aliam ducit, dicitur ſuperducere vxorem à Iuſtiniano *Nou. 18. cap. 5.* præpoſitio illa, *ſuper*, æquiualet præpoſitioni, *præter*, vel, *vltra*, vt notat Priſcianus, & ſuperducta eſt mulier quæ præter, ſeu vltra aliam ducitur, Græci ἐισάκτον vocant, differtque à ſubintroducta, quam Græci συνείσακτον, id eſt quæ ſimul introducitur quaſi contubernalis, licèt non dubitem ἐπείσακτον & συνείσακτον promiſcuè ſumi à Iuſtiniano *Nou. 123. cap. 19.* Superducere igitur, aliam habenti vxorem non licet, quod D. Auguſtinus dixit *more Romano ſtatutum*, lib. de bono coniugali, *more Romano ſuperducere vxorem non licet* : quod confirmant Imperatores in *l. Neminem. C. de inceſt. nupt*: *neminem qui ſub ditione Romani nominis ſit, binas vxores habere*, & quòd nuſquam licuit apud Romanos; quamuis explendæ libidinis causâ, vt Iuſtinam formoſiſſimam puellam ſuperduceret, Valentinianum legem tuliſſe falsò referat Socrates *lib. 4. cap. 26.* cuius fabulæ autorem ſequuti ſunt Zonaras, & Paulus Diaconus, quod tamen à Zozomeno, Theodorito, & alijs nuſquam relatum eſt. Irrogata ſemper fuit infamia duas vxores habentibus, *l. 1. de his qui notant. infam.* & iure diuino talia matrimonia prohibita, licèt primis temporibus Lamech, & alij Patriarchæ duas, aut plures habuerint vxores, id enim peculiari priuilegio indulſit Deus, vt refert Tertull. *lib. de pudicitia, ad vx. & de monogam.* Iure Canonico nuſquam probatum, quum & vnam ſponſam & alteram vxorem habere fuerit vetitum, ità vt ſi quis ſponſalibus contractis ad alia vota tranſierit, & ea concubitu firmauerit tale matrimonium vt falſum reſcindi debet, *cap. ſi inter. ſup. de ſponſal.* & damnatur hac in parte conſuetudo Mutinenſium, qui de duabus ductis

Digitized by Google

vxoribus, vel ſponſis, eam quæ concubitu cognita eſſet legitimam & iuſtam eſſe ſtatuebant, *cap. vlt. hoc tit.* quod & viſum quibuſdam anteceſſoribus ſuis refert Alex. III. *in cap. licèt, hoc tit.* quod ad Mutinenſium iura referendum putat Gloſ. cui non aſſentior; ſiquidem non ſolos Mutinenſes hunc morem habuiſſe, ſed paſſim ius diuerſum in Eccleſia fuiſſe aſſerit idem Pontifex in *cap. 6. & 7. in 1. compil.* qui litem hanc & controuerſiam definiuit in *d. cap. licèt & ſeq.* quod integrum videre iuuat *hoc tit. in 1. compil. de deſponſatis*: ſequuto nondum concubitu certum ius ſemper fuit primæ deſponſationi per ſecundam non potuiſſe derogari *can. deſponſatam*, & *can. deſponſatas. 27. q. 2.* adeò vt talia ambientibus infamia irrogetur, *l. 13. § item ſi alteri. de his qui not. infam.* Harmenop. *lib. 4. tit. 1*, ἡ μνηστευομένη ἑτέρῳ καὶ ἑτέρῳ γαμηθεῖσα ἀτιμοῦ), quin & præter adulterium etiam ſacrilegium committitur, *can. de coniugali. 27. q. 2.* quibus non obſtat quod eſt in *l. 1. C. de ſponſalib. vni deſponſatas alij nubere non prohiberi*, quod eſt accipiendum de deſponſatis per verba futuri temporis, *cap. Sicut ex literis. ſup. de ſponſalib.* nec ſecundò deſponſata poteſt haberi vt concubina, quia cùm concubinatus iure ciuili ſit coniunctio legitima, ſtuprum committitur, *l. unica. C. de concubinis*; nec vllo iure, (licèt aliquando concubinam habere licuerit) potuit haberi vxor ſimul & concubina, ſed & hoc impium ius, vel prauam potius conſuetudinem habendæ concubinæ damnatum ſæpius deinde fuit.

## *DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN deſponſatione, vel alijs contractibus,*

### TIT. V.

PARUM fuiſſet dixiſſe de ſponſalibus & matrimonijs, niſi & de conditionibus in eis apponendis ageretur; dupliciter ſumitur conditio, aliquando pro pactis & conuentionibus, vnde Tull. *ad Tironem lib. 16. ſtare conditionibus*, dixit, id eſt tenere pacta, & ita conditiones matrimonij ſunt pacta & leges, quas contrahentes ſibi inuicem dixerunt; vnde & ſponſalia dicuntur conditiones, Feſtus conuentum dixit primum ſermonem qui de nuptijs & earum conditionibus habetur; ſiquidem ſponſalia ſunt primi tractatus nuptiarum, primæ conuentiones, prima pacta; ideóque & repudij libellus inter ſponſum & ſponſam his verbis olim concipiebatur, *conditione tuâ non vtar*, *l. 2. ff. de diuortijs.* Conditio

ditio ſumitur quoque frequenter pro exceptione, quæ ſuſpendit obligationem, donec ex poſtfacto confirmetur, *l. 44. de act. & obligat.* vel potiùs pro cauſa quæ ſuſpendit factum, donec ex poſtfacto confirmetur, vt notauit Cuiac. *ad l. 37. de rebus creditis.* quæ definitio congruit conditionibus, quæ hiſce contractibus ſponſaliorum adijciuntur, quæ quidem ſuſpendunt matrimonij effectum, *cap. de illis, & cap. ſuper eo. hoc tit.* Qua in re aduertenda eſt natura conditionis, vtrùm ſit reſolutoria matrimonij, an verò impediens ne initium ſumat; ſiquidem illa nullius eſt momenti, vtpotè contra ſubſtantiam matrimonij, veluti ſi ità contrahant nubentes, ſi ſimul non manſerint, ſi liberos nullos habuerint, *cap. vlt. hoc tit.* quæ conditio pro non adiecta habetur vt turpis contra bonos mores, & contra iuris publici autoritatem, *l. hoc modo, de condit. & demonſt. l. 2. §. tractare, ad Trebell.* quæ facta verecundiam, pietatem, & exiſtimationem noſtram lædunt, vt ait Papinianus *in l. Filius. de condit. inſtit.* videntur illi ſibi per ſtuprum, non per connubium conuenire, & animo adulteri ſunt, licèt tamen matrimonium ſeruare teneantur, *can. ſolet, & ſeq. 32. q. 2.* Impoſſibilis quoque conditio pro non adiecta habetur, hoc vulgatiſſimum eſt, quæ non eſt ſita in noſtra poteſtate, & quæ non eſt ἐυχερής, vt loquuntur Baſilica; imò etſi ſit in poteſtate noſtra, quæ tamen non eſt completa, non ideò matrimonium impedit, præſertim quod fit de præſenti, quæ quidem licèt non eueniat, circumſcribitur, & nullius eſt momenti *cap. 1. hoc tit.* ità intelligendus Iuo Carnot. *epiſt. 183. & can. quod conditio, cum ſeq. 27. q. 2.* conditio adiecta efficere non poteſt vt fides, conſenſus, & verba præſentis temporis in verba de futuro conuertantur, & ſic mutent naturam, *cap. 1. ſup. tit. prox.* è contrario fides pactionis in fidem conſenſus per verba de futuro in verba de præſenti conuerti poſſunt, ſi concubitus interceſſerit, *cap. Tuas. hoc tit.* vbi eleganter gloſ. obijcit hoc eſſe contra regulas iuris, quibus res tradita ſub conditione, repeti eâ deficiente poteſt, *l. ſub conditione ff. de condict. indebit.* cùm & concubitus non faciat nuptias; ſed rectè addit, hoc fauore matrimonij fieri. Melior tamen ratio adduci potuit, ſolum concubitum non efficere nuptias, bene concubitum qui ſubſequitur ſponſalia, quo conſenſum adfuiſſe & contrahentes à conditione receſſiſſe præſumitur, *cap. penult. hoc tit.* Præter conditionem ſupradictam, eſt etiam tacita quæ ineſt contractibus; veluti, vt intrà biennium nuptiæ ſequantur, quo demum exacto ſint irrita ſponſalia, ex lege Auguſti apud Dionem *lib. 54.* μετ' δὲ δυοῖν διελθόντων γαμήσει ἔθων τις, quod tẽpus vſque ad quinquenniũ trahit Caius *in l. 17. de ſponſalib.* ſed iterum ad biennium reductum eſt inter præſentes, *l. 4.*



Digitized by Google

*C. Theod. de ſponſalib. l. 2. C. eod.* inter abſentes ad triennium, *l. 3. C. de repudijs.* quod iure canonico non probatur, *cap. de illis, & cap. ſicut ex literis, ſup. de ſponſalib.* quod de contractibus matrimonij per verba futuri temporis intelligendum eſt: nam quoad ſponſalia per verba de præſenti nullum tempus conſtitui potuit; imò quandocumque pars vna alteram interpellauerit, vel debitum exegerit non poterit recuſare, vt plenius dicetur infrà, *tit. de diuortijs.* Eſt prætereà hic titulus de conditionibus aliis contractibus appoſitis, quod παρεργὸν eſt, ſumptâ ſcilicet occaſione, vt videtur *in cap. 2. & 4. hoc tit.*

## *QVI CLERICI, VEL VOVENTES MATRIMONIVM contrahere poſſunt,*

### TIT. VI.

POST modos contrahendi matrimonij expoſitos, æquum eſt de cauſis diſtrahendi & impediendi agere, & de perſonis quæ contrahere illud poſſunt: qui titulus videtur ſuperuacaneus, cùm iam *lib. 3. tit. de clericis coniugatis* illud actum ſit, quod quidem non eſſet omnino diffitendum, niſi etiam de vouentibus conciperetur, quorum nomine alios intelligimus, quàm clericos, qui ad horum differentiam non ſolenni, ſed ſimplici voto ſeſe obſtrinxerunt. In primis quamvis dixerimus an clerici matrimonium poſſint contrahere, vt miſſam priorem tituli partem non faciamus, iterum repetemus quæ lucem hiſtoriæ huius iuris maiorem poſſint adferre. Certiſſimum eſt olim innuptis Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis non licuiſſe poſteà vxorem ducere, ſed tantùm Lectoribus, Cantoribus, & alijs minoris ordinis, vt refertur in *can. 26. Apoſtolorum:* ſcilicet nuptiæ non poterant ordinationem impedire, ordinatio nuptias impediebat, ideóque ordinandi, qui nondum vxoribus alligati erant, caſtitatem & continentiam pollicere cogebantur, εἰ σωφρονεῖν αἱροῖντο, ait Zonaras: qui verò vxorati ordinabantur, vxorem relinquere non cogebantur, imò nec poterant, *can. 5. Apoſtolorum,* quod confirmant Imperatores Honorius & Theod. in *l. eum qui. C. de Epiſc. & cleric.* quod & repetitum fuit à Iuſtiniano *Nou. 6.* & deinde detractum *Nouel. Leonis 3. & 79.* tum etiam diuerſis conſuetudinibus, tam durum exiſtimarunt iugum hoc Orientales, inter quos & plures nationes ordinem Occidentalium ſequebantur, vt notat Balſamon de barbaricis regionibus, in *can. 30. Synodi* VI. Certè Epiſcopos poſt con-

ſecrationem vxores retinere non diu paſſa eſt Eccleſia, quod primùm *Syn. VI. in Trullo can.* 12. effectum fuit, non vt lex diuina peſſum iret quâ ſolutio matrimonij vetatur; ſed vt honori Eccleſiæ conſultum foret, & eius ſtatus in pulchriorem ordinem reſtitueretur, vt Balſamon notat ad eum locum: fuerat hoc indultum initio naſcentis Eccleſiæ Epiſcopis, *can.* 5. *Apoſt.* ne qui recenter ad fidem conuerſi eſſent hâc continentiæ ſeueritate deterrerentur, idcircò remiſſiùs cum eis agebatur, nec adhuc ab eis integritas perfectionis deſiderabatur, vt rectè Zonaras aduertit in *d. can.* 5. Presbyteri & Diaconi diutiùs vxores ſuas retinuerunt, maximè apud Græcos; ſiquidem Romana & vniuerſalis Eccleſia vxores abegerat, vt notum eſt ex D. Ambroſio, & Hieronymo *epiſt.* aduersùs Iouinianum ad Pammachium, & aduerſus Vigilantium, & *can.* 13. dictæ Synodi ſextæ teſtatur, qui ait morem fuiſſe Romanæ Eccleſiæ. In concilio Carthaginenſi II. *can.* 2. id fuit ſtatutum, cuius pars eſt in *can.* 3. *diſt.* 31. *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi pudicitiæ cuſtodes etiam ſe ab vxoribus abſtineant*; decretis etiam ſummorum Pontificum vt ſuprà *d. tit. de clericis coniugatis* fusè tractauimus. Zonaras factionis Græcorum aſſertor ad Concil. Carthag. V. *can.* 4. titubat multùm, & neſciens quo pacto ſe tueri, recurrit ad *d. can.* 5. *Apoſtolorum*, cui ſe omninò deuouet, quem tamen fruſtra in ſuam ſententiam adducit; hoc enim tantùm vult, Epiſcopum, Presbyterum, vel Diaconum non poſſe eijcere vxorem, & diuortium cum ea facere, vt ipſa alteri nubat, ſed præcipit vt Epiſcopus cum ea maritalia iura non exerceat, & ità interpretatur D. Gregorius *epiſt.* 30. *lib.* 7. *ſicut canonica decreuit autoritas, vxores quas caſtè debent regere, non relinquant*, quod à mente ſanctorum Apoſtolorum non fuit alienum, vt ex ipſo *can.* 2. *Syn. Carthag.* cōſtat, quo Apoſtolos continentiam docuiſſe monſtratur. Nolo hac in parte autoritatē ipſius Synodi V. impugnare, & conſequenter Græcorum interpretum ſententiam, quam ſuſpectam & illegitimam fuiſſe perſpicuè docet Cardinalis Baronius; religioſi fuere patres illius Synodi ad adimēdas vxores Epiſcopis, Presbyteris verò & Diaconis retinendas, quaſi verò, & ab his non eandem continentiam exegerit Apoſtolus *1. Cor.* 7. quum ſimiliter & ſacris ordinibus inſignirentur. De Subdiaconis non ità, quos inter minores ordines conſtitutos vxores habere conceſſum erat, vt ſuprà dixi. Horum primis temporibus certum & præcipuum munus non aliud fuiſſe reperio, quàm vt miniſtri eſſent Diaconorum, & omnibus negotijs, quæ à Diaconis eis demandabantur occuparentur, ideóque ſimpliciter & abſolutè ὑπηρέτας vocant *can.* 22. & 43. *Syn. Laod.* maximè pro foribus Eccleſiæ ſtare ſolebant, vt Catechume-



Digitized by Google

nos introducerent, & pœnitentes educerent, vt notant Balſamon & Zonaras *add. can. 22. & 43.* Fuerunt etiam ad deſcribenda, & in mundum, ſiue ordinem redigenda Martyrum acta occupati, quę Notarij per notas διὰ σημείων, vt ait Tullius ad Atticum, exceperant, cui muneri præpoſuit eos Fabianus, vt eſt apud Anaſtaſ. Et ità erant Vicarij Diaconorum, qui huius dignitatis honore tumidi, paulatim ſacris miniſterijs ſe interponere conati ſunt, & orarium geſtare, ſolis Diaconis attributum, *can. Miniſtrum. diſt. 23.* Data eſt primùm facultas contrectandi vaſa ſacra, geſtandi, & loco mutandi, non verò tangendi, vt notat Balſamon, *ad can. 28. Syn. Carthagin.* non omnibus tamen hypodiaconis generaliter id conceſſum, ſed ſpecialiter quibuſdam; nec in eo laborare debet Zonaras, cur in *can. 25. Syn. Laod.* vetentur ſacra contingere; hoc verò poſſint contrectare, cùm aliud ſit ψηλαφᾶν, *contrectare*, aliud ἅπτεσθαι, id eſt, *tangere*. Ideóque *d. canon.* 28. iniungit vxorum abſtinentiam hypodiaconis, qui ſacra contrectant, ὑποδιακόνους τοὺς τὰ ἱερὰ μυστήρια ψηλαφῶντας ἐκ τῶν συμβίων ἐγκρατεύεσθαι, id eſt, *Hypodiaconos qui ſacra myſteria contrectant à contubernalib. abſtinere*, id eſt vxorib. quod & indicat *can. 33.* Concilij Eliberit. ante Nicænum celebrati *placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere à coniugibus ſuis.* Notanda verba, *in totum*, quia primùm ſacris ordinibus inſigniti non arcebantur ab vxorum amplexibus, niſi tunc demum cum officio ſuo fungerentur, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, id eſt, *in proprijs terminis*, vt ait Syn. Carthag. *d. can. 28. & 73. can. de quorundam. diſt. 84. can. Placuit. d. 32.* ἐν τῷ καιρῷ τῆς τῶν ἁγίων μεταχειρήσεως ἐγκρατεῖς εἶναι. Id eſt: *in tractandorum ſacrorum tempore eſſe continentes*: ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας tempore vicis ſuæ, *Lucæ* 1. quod facillimum erat ſacerdotibus, qui non ſingulis diebus intereſſe ſacris cogebantur, ſed ſtatis temporibus & per hebdomadas, vt ſcribit Balſamon: qui tamen obijcit quid ſentiendum ſit de his, qui quotidiè celebrare ex officio ſuo debent, quibus vinculis expedire ſe non poſſe fatetur, dum nimis Græcorum partes aduersùs Latinos tueri nititur; attamen fatendo Presbyteros continere ſe debere, tempore quo ſacris ſunt adſtricti, conſequenter admittere debet eos non potuiſſe excuſari, qui ſemper ſacris altaribus ſunt obſtricti. Quod ad minores ordines attinet, olim matrimonium non impediebant, *can. 26. Apoſtolorum, & can. 6. Syn. VI. in Trullo*, qui loquuntur de Lectoribus, & Cantoribus tantùm, non de alijs, quod & *Nou. Juſtin. 6. & 22.* nominatim obſeruat, vltra Lectorem & Cantorem nuptias prohibens; quaſi verò id non licuerit Exorciſtis, Acolythis, & ceteris infimi ſub-

Digitized by Google

ſellij? minimè, an quòd cùm de illis mentio fiat tacitè ceteri intelligantur? nec hoc quidem; ſed quia Cantores & Lectores ex numero clericorum cenſebantur, non reliqui: id dignoſcere libet ex Iuſtiniani Nou. 3. conſtituto enim numero in maiori Eccleſia Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, & Cantorum, ait Imperator; *ita vt ſit omnis numerus reuerendiſſimorum clericorum in quadringentis vigintiquinque, & inſuper exiſtentibus centum Oſtiarijs.* Oſtiarij, Acolythi, Copiatæ, Parabolani, non propriè erant clerici, ſed quaſi clericis miniſtri potiùs & famuli, vt annotauit Cuiac. ad *d. Nou.* cui tamen non aſſentior, dum eiuſdem conditionis facit Lectores & Cantores cum ceteris, cùm hanc differentiam faciat Iuſtinianus; licèt enim Lectores & Cantores miniſtri ſint, *can. 24. Apoſtolorum,* tamen aliquid præcipuum ſupra reliquos habent: nam & ſacros ἱεροψάλτας vocat Cantores Synodus VI. *can. 33.* Lectoris officium dignius ceteris fuiſſe dubium non eſt, & eos propriè clericos dictos fuiſſe, contra quorundam ſententiam vindicaui ex Balſamone ſup. *tit. de clericis non reſidentib.* reliqui non appellabantur clerici, ſed iuuenes *l. 10. C. Theod. de Epiſc. & clericis,* quia in minima ætate ordinabantur; Lectores verò & Cantores non niſi 18. annorum, *Nou. Juſtin. 123. cap. 13.* Balſamon ad *tit. 1. de fide, cap. 24. Nomocan. Photij.* Denique vbicumque agitur de Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, continuò mentio fit de Lectoribus & Cantoribus, quod notat optimè differentiam. Licuit ergo primis temporibus Lectoribus & ceteris vxores ducere, quod paulatim deinde imminutum eſt, & tandem effectum, vt omnes hi minorum ordinum clerici, cùm ad annos pubertatis venerant, continentiam profiteri, aut vxorem ducere cogebantur, *can. Seriatim. 32. diſt.* ſumpto ex Concilio Carthag. *can. 16.* quod peculiare fuiſſe in Eccleſia Africana cõtendit Balſamon: poſteà in pleriſque regionibus conſuetudo effecit, vt omninò cœlibes eſſent, aut beneficiis priuarentur, ab Innocentio III. in *cap. Ioannes, & cap. cùm decorem, ſup. de clericis coniugatis.*

Altera tituli pars eſt de vouentibus, de his qui ſe voto obſtrinxerunt, an matrimonium contrahere poſſint. Duplex eſt votum, ſolenne & ſimplex: illud impedit matrimonium tam contrahendum, quàm contractum, *cap. 3. & fin. hoc tit.* ſimplex impedit contrahendum, *cap. veniens. hoc tit.* ſicut ſponſalia de futuro, *cap. Rurſus. hoc tit.* eſt autem votum ſolenne, cùm qui ſe deuouent religioni, vel monaſterio, & habitu ſuſcepto, ſeu velamine profeſſionem faciunt, *d. cap.* 3. pœnam enim anathematis incurrunt ſi ſe vxori alligent, *can. Si qua virgo,* 27. *q. 1.* & propriæ profeſſioni iniuriam facere dicuntur, τὸ οἰκεῖον ἐπάγγελ-

μα καθυβρίζοντες, ait *can.* 42. *ſyn. VI.* pœnas fornicationis incurrere *can.* 44. eiuſdem, adulterij D. Baſilius, *can.* 60. *ad Amphil.* Cur autem in *d. cap.* 3. loquitur de eo qui ſe deuouet religioni, & habitum ſuſcipit? an quòd vtrumque ſit neceſſarium? maxime; habitus enim ſolus non facit monachum, ſed profeſſio regularis cum habitu; & ſic accipienda eſt vulgata ſententia veſtem non facere monachum, ſed profeſſionem; quod vt intelligendum ſit, memini me ſuprà *tit. de regularibus* expoſuiſſe. Hìc autem ius ſingulare aduertendum; etiam apud antiquos nunquam licuiſſe vxorem ducere ijs, qui votum continentiæ peculiare emiſiſſent: & licèt monachi non eſſent clerici, imò perinde ac laici, tamen in eo longè digniores erant minoribus clericis, quibus continentia non interdicebatur; quòd ſi clerici fierent, non ideò tamen matrimonium contrahere poterant, *Nou. Juſtiniani* 5. nempe propter votum ſolenne quod olim minores clerici non profitebantur, vt conſtat ex *d. can. Lectores, & can. ſeriatim.* Votum ſimplex fit non obſeruatis ſolennibus, ſi quis ſponte ſe obligauerit ad vitam regularem, vel habitum & veſtem mutarit, non tamen locum, nec viuendi modum, *cap. Conſuluit. & ſeq. hoc tit.* ſi votum fecerit in manibus cuiuſdam monachi, non Abbatis, *cap. vlt. hoc tit.* apud Deum non minùs quidem obligat, quàm ſolenne, inquit Cæleſtinus, & ideò frangenti pœnitentia iniungitur in *d. cap.* eâdem ratione, quâ nulla eſt differentia inter iuramentum, & loquelam noſtram, *cap.* 1. *de pactis.*

## *DE EO QVI DVXIT IN MATRIMONIVM, quam polluit per adulterium,*

### Tit. VII.

ENarrantvr alij modi quibus matrimonium impeditur, hoc, & ſequentibus titulis; quotiens vxorem habens, cum alia rem habet; mortuâ enim vxore cum ea coniungi matrimonio non poteſt; ſicut è conuerſo fœmina adultera mortuo marito non poteſt nubere adultero ſuo, quod ex conſtitutione Leonis primùm proceſſiſſe Gratianus ait, in *can.* 1. 31. *q.* 5. licèt enim morte vnius coniugum ſolutum ſit matrimonium, nec ampliùs fides duret, tamen propter grauia pericula & ſcandala, quæ ex hac libertate contingere poſſent, id vetitum fuit: ſpes enim noui coniugij votum captandæ mortis induceret, & frequentia inde veneficia, inſidiæ, fraudes, homicidia prodirent, *can. Si quis viuente. ead.* interfecti

Digitized by Google

quidem mariti vxor nubere occiſori non prohibetur, dummodò hic adulter non fuerit, nec eâ mente, & conſilio mors illata fuerit, *cap. 1. de conuerſ. infidel.* Et licèt Dauid adulterij & homicidij reus, peractâ pœnitentiâ vxorem Vriæ habuerit, *Reg. 2. cap. 12.* vt eſt in *can. Si qua. ead.* lex tamen Chriſti ſeuerior, coniugium non permiſit, niſi priùs vir & mulier innocentes eſſe ab adulterio & homicidio diſtrictâ examinatione probarētur, ait Iuo Carnot. *epiſt. 170.* imò & adulterij accuſationē ſupereſſe aduersùs eam quæ cōmiſſo adulterio poſteà mortuo marito ſuo non violentâ, ſed naturali morte, conſtupratori nubit, *l. Commiſſum, & l. Si qua adulterij. C. ad l. Iul. de adult.* non tantùm autem crimen homicidij & mortis illatæ punitur, ſed etiam conſilij, *can. Si qua mulier. 31. q. 1.* æquali enim pœnâ plectitur ſæpè apud Iuriſconſultos ſcelus, & ſceleris voluntas, maximè in criminibus publicis, *l. Cogitationis, ff. de pœnis, l. 1. C. ad l. Iul. de ambitu, l. 1. de extraord. criminibus*: μοιχὸν κολάζει ὁ νόμος οὐ τὸν δράσαντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν βουληθέντα. Id eſt: *Mœchum lex punit, non qui mœchatus eſt tantùm, ſed & qui voluit,* inquit Maximus Tyrius, *diſſertat. 2.* Nec verò ſufficit crimen homicidij effugiſſe, ſed etiam adulterij: vtrumque abeſſe debet, vt matrimonium valeat, quod rectè additur *d. canoni, Si quis viuente*, quem citat Burchard. ex Concilio Triburien. & integer refertur in *Concil. Melden. cap. 69.* quamuis contrariū dicat *d. can. Si qua fuerit. eadem d.* quo quidē quinquennij penitētiâ peractâ vitiū adulterij purgari dicitur: quod eſt ità intelligendum, vt id adulterij vitium ab his qui matrimonium contraxerunt purgari poſſit, licèt enim canones vetent tale matrimonium contrahi, contractum tamen non diſſoluunt; ſicut nuptiæ illicitæ vel inceſtæ fieri prohibentur, factæ tamen non pereunt, *can. nec illud. 30. q. 5. cap. vlt. inf. qui filij ſint legit. cap. Contracto. de cognat. ſpirit.* Iure conſtare matrimonium inter adulteros morte prioris coniugis non poteſt, quod ſatìs indicat *can. denique. ead.* ſi reſtituatur negatio, vt apud D. Auguſt. legitur: *Marito mortuo cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non poteſt cum quo priùs adulterium fuit:* nam, vt idem ſubdit, *lib. 1. de nuptijs, cap. 10. tom. 7. ità inter viuentes manet quoddam vinculum. quod nec ſeparatio, nec cum altero copulatio poſſit auferre.* Ideò, quod maximè notandum in d. Concil. Triburien. *can. ſi qua,* non dicitur matrimonium licitè fieri poſſe, ſed tantùm cum hac conditione, *ſi expedierit*, id eſt, causâ cognitâ, quæ talis potuit eſſe, vt iuris ſeueritas relaxari poſſit, *cap. Perlatum. inf. qui filij ſint legit.* Longè aliud eſt quando viuente legitimâ vxore alia ſuperducitur, & contumaciter in eo ſcelere adulteri perſeuerant; mortuâ enim legitimâ non ſuſtinetur ma-

Digitized by Google

trimonium, imò penitùs nullum cenſetur, & licèt liberi nati fuerint, non ſunt legitimi, & eorum ſtatus infirmatur, *cap. 5. hoc tit.* quamuis à parentibus ſint alendi, contra iuris ciuilis ordinem, *Nou. Iuſtiniani 89. §. vlt.* Tribus præcipuè caſibus hoc titulo matrimonium eſt dirimendum, ſi adulteri cogitauerint pendente matrimonio de futuris nuptijs, ſi re verâ matrimonium contraxerint, ſi vterque, vel eorum alter in necem coniugis prioris conſpirauerit, *can. Relatum, & ſeq. 31. q. 1. cap. 5. & alijs, hoc tit.* Quod ſi durante priori matrimonio vxor vt adultera dimiſſa, & repudiata fuerit, & ipſa tunc demum alteri nupſerit, vel ipſi adultero, non ideò diſſoluitur prius matrimonium, quamuis prior maritus minatus fuerit crimen adulterij intendere, *l. Quæſitum. ff. ad l. Iul. de adult.* oportet ſecundum maritum priùs conuictum, & adulterij damnatum eſſe, antequàm mulier accuſetur & matrimonium dirimatur, *l. Claudius, l. Miles. §. licèt. ad l. Iul. de adult.* quæ differentiæ iure noſtro nō poſſunt admitti, quum quæratur tantùm de matrimonio poſt prioris viri obitum contracto, nam eo viuente id fieri non poteſt, nec enim repudium ſoluendi prioris matrimonij causâ hoc iure admittitur, quum ſemper vinculum remaneat, *cap. 2. inf. de diuort. can. licitè. 32. q. 7.*

## DE CONIVGIO LEPROSORVM,

### Tit. VIII.

IMpedimenta contrahendi matrimonij multa ſunt, contracti pauca; ſponſalia de futuro morbis ſuperuenientibus non ſoluuntur ipſo iure, ſed vnius arbitrio, vtpotè, ſi ſponſus vel ſponſa correptus eſt morbo comitiali, vel leprâ, liberum eſt alteri impunè à contractu ſuo recedere, *cap. fin. hoc tit.* non ità in ſponſalibus de præſenti, quæ ſolum adulterium ſoluere potuit, non verò deformitas corporis, vel quid aliud, vt ait D. Auguſtinus in *can. ſi vxorem. 32. q. 5.* notanda verba, *quid aliud*, quæ ſunt intelligenda de aliquo morbo inſolito, cui vix medela adferri poſſit, qualis eſt morbus regius, quem comitialem, ἐπιληψίαν vocant; vel lepra, quam malam ſcabiem vocat Horat. *in arte Poëtica.*

*Vt mala quem ſcabies, aut morbus regius vrget.*

Morbi qui nunquam, vel rarò ſanantur, qui perpetui ſunt, aliquo nomine peculiari inſigniuntur, vt comitialis vocatur ἱερὰ νόσος, vel maior morbus apud Cornelium Celſum *lib. 3. cap. 23.* ſonticum vocat, *l. 113. de verb. ſignif.* vbi Cujacius notat morbum non dici ſacrum,

quòd

Digitized by Google

quòd ſit diuinus,ſed quòd magnus,vt apud Homerum dicitur ἱερὸς βοῦς, & apud Hippocratē ἱερὸν ὀστοῦν dicitur os magnum; & magnus dicitur morbus, id eſt valde malus,vt apud Plautū in Bacchide; *Ego ſum malus, ego ſum ſacer, ego ſum ſceleſtus.* Sacer etiam dici poteſt quòd minimè ſit ſacer & diuinus, vt homo ſacer,valde criminoſus,quem non licebat immolare, apud Feſtum. Sic lepra dicitur mala. Quatuor ſunt ſpecies ſcabiei, vna eſt ſimplex, nempe pruritus ex bile, vel tenui pituita; altera lichen, quæ acriùs corrodit,& formatur ex bile ardentiori, *Perſius ſat.*

*Namque eſt ſcabioſus, & acri bile tumet.*

Tertia eſt ψώρα, quæ difficilè ſanatur, cùm cutis eſt aſperior, & puſtulis quibuſdam redundat. Vltima eſt omnium deterrima elephantias, quâ totum corpus etiam oſſa vitiantur, ait Celſus *cap. 25. lib. 3.* hæc ſanari infantum ſanguine vulgò ſentitur, caſtratione verò impeditur, *cap. 5. ſuprà, de corp. vitiat.* ſicut epilepſia,ſi edantur linguæ Pauonum, calcanea Camelorum, & criſtæ Pauonum viuorum, apud *Lamprid. in Heliogab.* Hi morbi ingraueſcentes cauſam diſſidij inter ſponſos afferre poſſunt. Sed an ſponſalia de præſenti ſoluere poſſint quæſitum, *ex d. cap. fin.* ex cuius verbis etiam ſponſalia de futuro ſolui colligitur, ſi concubitus nondum interceſſerit, ait enim, *cùm nondum matrimonium fuerit conſummatum*; quod Cuiacius intelligit de concubitu, quo matrimonium dicitur conſummari, *can. Non eſt dubium, & ſeq. 27. q. 2.* aliter ſentiunt omnes ferè Interpretes, vt conſummatum dicatur, cùm eſt completum quantùm ad ſui eſſentiam, non quantùm ad effectum, vt aiunt Hoſtienſis & Panormit. licèt copula nōdum interceſſerit,quia, vt diximus ſuprà,conſenſus perficit matrimonium,cuius ſententiæ ſunt etiam Theologi,D. Thomas *parte 3. q. 52. art. 1.* tunc nullus morbus, ſiue comitialis, ſiue elephanticus, hunc nodum ſoluere poteſt *d. can. ſi vxorem quis:* ſed coniuges ſimul manere debent, & ſibi inuicem debitum reddere, *cap. 1. & 2. hoc tit. cap. Quemadmodum. ſup. de iureiur.* ratio quædam videbatur,nam quum ex veteri ritu ſeiungi à conſortio hominum leproſi,& extra vrbes domicilia ſua habere debeant,vt eſt in *can. 6. Concil. Lugd. II.* ſub Pelagio II. iniquum videbatur,vt leproſos ſani ſequi cogerentur; nam & inter reliquos Chriſtianos orare in templo prohibebantur, ſed inter excommunicatos,& profanos homines referebantur, *can. 17. Syn. Ancyr.* hic morbus diu incognitus fuit,equidem elephantiaſim ante Pompeij M. tempora; lichenem verò ante Tiberij principatum in Italia non accidiſſe refert Celſus, & poſt eum Plinius *lib. 21. cap. 1.* qui & hoc malum Ægyptios inuexiſſe narrant, quod poſterioribus ſeculis experta eſt Gallia ſub regno Philippi Pul-



Digitized by Google

chri, qui eos expellere coactus eſt, quòd huiuſmodi tabe & lue fontes infeciſſent, vnde ſumma calamitas populos inuaſerat. Porrò ſicut lepra coniugium corporale ſoluere non poteſt, ità nec ſpiritale; nec enim à clericali, vel ſacerdotali remouere poteſt, licèt ab officio & regimine ſuſpendat, *cap. 3. & 4. ſup. de cleric. agrot.* ſicut nec morbus ille arcet fideles à communione Dominici corporis, quos tamen cum ſanis celebrare conuiuia vetat, *can. 31. Concil. Vuormat.* ſub Adriano II. & ne huiuſmodi fœditate ſani homines contaminentur, habitatio peculiaris cum Eccleſia & cœmeterio eis eſt aſſignanda, *cap. 23. Concil. Later. ſub Alexandro III.*

## *DE CONIVGIO SERVORVM,*

### TIT. IX.

AN vitium corporis impediat matrimonium ſuprà, nunc de vitio ſtatus, conditionis, ſeu originis; an ſeruitus obeſſe poſſit: qua in re diſſentit ius canonicum à ciuili; cùm enim ſeruitus introducta ſit contra ius naturale, ſítque ex legibus humanis orta, vt ait Gelaſius Papa *epiſt. 1.* & ità pugnet legi diuinæ, quâ libertas omnibus innata eſt, noluit improbare ſeruorum coniugia, *can. Omnibus, & ſeq. 29. q. 2.* ius ciuile contubernium vócat hanc coniunctionem, apud Paulum *2. ſentent. tit. 19.* & vxores ſeruorum contubernales in *l. 12. ff. de fundo inſt.* nec tanti facit, quàm concubinatum qui legitimum matrimonium olim imitabatur, adeò vt lex Iulia quæ vindicabat adulterium, tam in vxore, quàm concubina, ad ſeruorum contubernium non pertineret, *l. Serui. C. ad l. Iul. de adult.* Ius noſtrum inter ſeruos matrimonium probauit, iiſdem ritibus, quibus inter liberos, quod ſequutus eſt Baſilius Imp. qui benedictiones nuptiales in vtriſque locum habere voluit, vt eſt *in Nou. 9. Alexij Comneni, de teſtibus,* quam refert Balſamon ad *can. 85. Syn. VI. in Trullo.* conſequenter etiam fatendum legem Iuliam ad eos traducendam eſſe, adeò vt nonniſi fornicationis causâ vxor repudiari poſſit, vt eſt in *can. 38. Concil. Tribur.* & apud Leonem *epiſt. 9. cap. 4.* denegabatur ſeruis benedictio, quia per eam libertatem conſequebantur, vt refert *d. Nouella*; & ità dominus iniuriâ afficiebatur, quapropter impediebant domini, ne eis benedictio impenderetur, Balſamon ad *d. can. 85.* ne ſi aſſumant benedictionem *ἀδικηθείη ἂν περὶ τὴν δεσποτείαν ὁ τούτων κύριος τῆς ἐπ' αὐτοῖς στερισκόμενος δεσποτείας*: id eſt, *eorum domi-*

*nus iniuriâ afficiatur in dominio, illorum dominio priuatus.* Hoc more ſublato ſtatutum fuit, vt coniugium legitimum & ritè factum cenſeatur, niſi fiat præter domini voluntatem, ſicut filiorum citra patris conſenſum, vt ſuprà diximus: vnde infertur inuito domino non valere, imò diſſolui matrimonium, quod confirmat Synodus Aurel. IV. *cap. 24. Parentibus, aut proprijs dominis reſtituti ſub ſeparationis promiſſione reddantur.* Effectum tamen ſucceſſu temporis vt inuitis dominis matrimonium contrahi poſſet, dummodò ius ſeruitij & obſequij conſeruetur, *cap. 1. hoc tit.* nec tantùm inter ſeruos conſtare poteſt matrimonium, ſed etiam inter liberum & ancillam, vel ſeruum & liberam contra iuris ciuilis autoritatem, & mentem Senatuſconſulti Claudiani, quo mulier quæ ſe ſeruo alieno iunxerat, fiebat ancilla, & conſequenter manebat in contubernio, niſi poſt trinam denunciationem ab eo abſtinuiſſet, vt Theoph. notat ad *§. vlt. Inſt. de ſucceſſ. lib.* & Tertull. *2. ad vxorem. Sueton. in Veſpaſian.* non è contrario liber homo, qui ſe ancillæ iunxerat fiebat ſeruus, *l. Si liber. C. de liberal. cauſ.* Legibus Frãcorũ priſcis non habebatur diſpar ratio, imò ſeruus fiebat, *cap. 3. tit. 27.* legum Salic. *Si quis francus alienam ancillam ſibi iunxerit, ipſe cum ea in ſeruitio permaneat.* Hoc noſtro iure quiſque conditionem ſuam ſeruat, & matrimonium ritè fit inter liberum & ancillam, ità vt ex ea cauſa dirimi non poſſit, *can.* S*i quis liber. 29. q. 2.* niſi per errorem factum fuerit, vt ſi liber contraxerit cum ancilla, quam liberam putabat, *cap. 2. & 4. hoc tit.*

## *DE NATIS EX LIBERO VENTRE.*

### TIT. X.

NON ſatìs fuit dixiſſe matrimonium inter ſeruos rectè contrahi, niſi etiam cuius conditionem ſequantur filij dicatur, quod hoc titulo expeditur: regula iuris ciuilis eſt ex Vlp. *lib. reg. tit. 5.* ex iuſto coniugio natos patrem ſequi, ex contubernio matrem; ſic ſumendum eſt, quod vulgò dicitur partum ventrem ſequi, *l. Partum. C. de rei vindic.* quod refertur, & ad vulgò quæſitos, qui comparantur natis ex contubernio, *l. cùm legitima. de ſtatu hom.* hoc iure matrimonium, vt diximus, inter ſeruos conſtat; ſed tamen non ideò partus paternam ſequitur conditionem ſed maternam, ac ſi matrimonium non conſtaret; lex enim naturæ de qua in *l. lex. de ſtatu hom.* ſeruatur, quâ ſpurij & illegitimi matri acce-



Digitized by Google

dunt, eodem modo quo ſata, & plantata ſolo cedunt; mater eſt veluti ſolum, vnde & vulgò quæſiti, qui incerto patre nati, terræ filij dicuntur, Ouid. *1. Metam.* de Io loquens,

*Iupiter è terra genitam mentitur, vt autor*
*Deſinat inquiri.*

Si igitur mater libera fuerit, partus quoque liber erit, vt dicitur in *cap. vnico. hoc tit.* & ſufficit aliquo tempore eam fuiſſe liberam, licèt puerperij tempore ancilla fuerit; è contrario natus ex libero & ancilla ſeruus fit: quia matris origo, & parentis deterior ſtatus ſpectatur, ſic enim intelligere debemus illud Iſidori in *can. liberi. 32. q. 4.* ſequutus eſt Iſidorus ius ciuile, quo nati ex ancilla & libero ſerui fiebant, quia tunc nullum erat matrimonium, nec Gloſſa hac in parte hærere debuit, ad *cap. vlt. ſup. de ſeruis ordin.* aliud enim eſt, an quis naſcatur ex libera, an ex ancilla; quia licèt matrimonium iuſtum ſit, tamen ius pontificium iuris ciuilis ordinem ſequutum eſt. Nec iuuat quidpiam adducere legem Longobardorum, quâ vt gloſ. notat partus ventrem non ſequebatur, ſed deterioris parentis ſtatum, quod nuſquam memini me legiſſe: lex Longobardorum hoc quidem voluit, vt liber quæ ſeruæ ſe iunxerat ſeruus fieret, quod & apud Francos locum habuit, *lege 3. tit. 27. legum Salic.* vt verò natus ex libera & ſeruo ſeruus fieret, & deteriorem conditionem ſequeretur, vix credam; ſemper enim pro libertate in dubijs iudicatum fuit, meliorem & honeſtiorem conditionem partum ſequi aliquando viſum eſt, vtilitatis publicæ causâ, veluti ſi ex vno infideli, & altero fideli infans editus ſit; tunc enim non reſpicitur matris conditio, ſed illius parentis qui fidem ſequitur, *can. Iudæi. 28. q.* 1. ſimiliter publica vtilitas effecit, vt partus ventrem non ſequatur aliquando, ſed patris conditionem, vt de publicis ſeruis fabricæ, & alijs operibus publicis deputatis dicitur in *l. fin. C. de ſeruis fugit. & in l. Eos. C. de decurionib. lib. X.* ſed & cauſa publica fecit, vt nati ex adſcriptitio & libera non ſequantur matrem, ſed patrem, & adſcriptitij fiant, quod temporibus Theodoſij, Honorij, & Valentiniani obtinuit, ſicut colligere licèt ex Sidon. Apoll. *epiſt. 19. lib. 5.* in qua cùm inquilinus liberam rapuiſſet, petit à Pudēte, domino inquilini, vt eum originali ſoluat inquilinatu, ne ratione ipſius fœmina & eius partus colonariam conditionem patiatur. Sed poſteà conſtitutione Iuſtiniani factum, vt partus ex hoc coitu liber naſceretur, in *l. vlt. C. de agricol. & cenſ. lib. XI.* quod *Nou. 54.* confirmauit, ſtatuens in futurum prædictam legem obſeruari, tum deinde *Nou. 162.* quæ Conſtitutiones deinceps locum habuerunt, addito temperamento, ne per tales nuptias

Digitized by Google

colonorum filij facti liberi terras deſerant. Iuſtinus verò ſtatuit, vt quãuis ſint liberi, tamen terris adſcripti remaneant, *Nou. de filijs liberorum.* Quod ad honores attinet, patris conditio ſpectatur, *l. fœmina. de Senatorib. l. 1. C. de dignitatib.* niſi conſuetudo aliter popoſcerit, vt apud Zanthios à matribus nobilitatem ſortiri filios refert Plutarch. *lib. de virtutib. mulier.* & apud Lycios Herodot. *lib. 1.* vel, ſi id lege aliquâ, vel ſtatuto quibuſdam priuatim populis datũ ſit, vt de Ilienſibus, Delphis, Ponticis refert Vlp. *in l. 1. ad municipal.* Neque verò ſemper hæc pro regula ſeruanda ſunt, vt partus ventrem ſequatur: excipitur enim caſus hoc iure deteſtandus, nempe clericorum concubinatus, ex quo partus ſeruituti addicitur, Concil. Tolet. *in can. cum multa. 15. q. 8.* nec mirum, quum in odium talis incontinentiæ, fœmina licèt libera ſtatim in ſeruitutem ſit mancipanda, *can. Eos. 32. diſt.* vel venundanda, *can. quidam. 81. diſt.* vel in monaſterium detrudenda, *can. fraternitatis. 34. diſt.* ex alio verò quàm clerico, ordo iuris ſeruatur, ſiue mater ſit concubina, ſiue pellex, aut potiùs amica, aut quæ minùs honorata dicitur Græcis *παρακοιτις*, vel *παλλακὴ* *in l. Maſurius, de verb. ſignif.*

## DE COGNATIONE SPIRITALI,

### TIT. XI.

IMPEDIMENTA nuptiarum perſequitur Gregorius, inter quæ, iura cognationis hoc & ſequentibus titulis exponit. Tres ſunt cognationis ſpecies ſpiritalis, legalis, & naturalis, quæ viam nubentibus præcludunt, vt rectè dixit Athanaſius Patriarcha Conſtantinop. *epiſt. 5. In coniugijs caueatur pueritia, propinquitas ſanguinis, adoptio, & ſuſceptio in baptiſmate,* qui ordo ſeruatur hoc libro. Dignior & nobilior eſt ſpiritalis de qua hoc tit. quæ quidem imitatur adoptionem, imò & vocatur adoptio, ità vt duplex ſit adoptio ſpiritalis & ciuilis; illa fit per ſacramentum baptiſmatis, hæc aliis modis de quibus infrà *tit. ſequenti.* Baptiſma igitur eſt adoptio per quam cœleſtis cognatio contrahitur, vt ſcribit Salonius Viennen. Epiſcopus in Eccleſiaſtem: *In ſacro baptiſmate omnes Chriſtiani filij Dei efficiuntur, & fratres Domini noſtri Jeſu Chriſti, ille ſolus proprius & naturalis filius, ceteri omnes ſunt adoptiui.* Nec mirum cur baptiſmus vocetur adoptio, quia ſicut per adoptionem ciuilem mutantur genus, familia, & conditio, *l. ſi paterfam. de adopt.* ità per hanc ſpiritalem exuitur ſeruitus, & homo fit nouus, renaſcitur, regeneratur, & reuiuiſcit



Digitized by Google

*can. ex quo, & can. non ex quo. de conſecrat. diſt. 4.* ideò frequẽtiſſimè iſta cognatio comparatur baptiſmo, *can. 1. & penult. 30. q. 3.* adeò vt cognatio eadem naſcatur per compaternitatem, quæ per adoptionem. Cognationem cùm dicimus nomen generale intelligi debet, quod complectitur agnationem & cognationem: agnatio eſt nomen iuris, nomen ſpeciale quo ij tantùm denotantur, qui nobis per patrem coniunguntur, qui ſunt ex familia patris, non matris, *l. 4. §. penult. de gradib. & affinib.* per adoptionem ius iſtud agnationis tantum acquiritur, non verò ius ſanguinis, ſiue cognationis ſpecialiter ſumptum, vt Vlp. ait in *l. 12. §. vlt. de ritu nupt.* Paulus *in l. qui in adopt. 23. de adopt.* Quum igitur ſuſceptio de lauacro, ſeu compaternitas imitetur adoptionem, neceſſitudo tantùm & affinitas ciuilis, ſicut per adoptionem contrahitur; quod indicat dictus *can. 1. & can. poſt ſuſceptum. ead.* & in eo differentia eſt inter cognationem naturæ ſiue carnis, & ciuilem, quòd illa longiùs, quàm hæc diffunditur: ciuilis namque quæ fit per adoptionem, & ſpiritualis quæ eius ſequitur exemplum, perſonas cum quibus contrahitur vix egreditur, *can. Qui ſpiritualem, & ſeq.* 30. *q.* 4. quemadmodum enim per adoptionem ex fœmina, ſeu vxore patris adoptiui nulla naſcitur adoptato cognatio, nullus fit ei auunculus, aut matertera, *d. l. 12.* quia vxor non eſt in familia viri, niſi ex iure veteri in manum conueniſſet, vt eſt apud Vlpianum *lib. reg.* ità nec ex parte eius, quæ vxor eſt patris, ſpiritualis vlla compaternitas, vlla cognatio ſpiritalis concipitur. Inter ſuſceptum verò, ſuſceptámve, & filium filiámve ſuſcepti, vel ſuſceptæ, denique inter eos qui inter ſe patris, matríſve, & filij, vel filiæ, nepotis vel neptis perſonas gerunt, matrimonium nullum eſſe poteſt, *cap. 4. 6. 7. & vlt. hoc tit. cap. 1. de cogn. ſpirit. in 6.* talis cognatio exinde naſcitur, vt eam naturali neceſſitudine maiorem veteres cenſuerint, *can. 53. Syn. VI. in Trullo*; imò quod maius eſt, eò ſuperſtitionis Græci deuenerant, vt hanc cognationem tam latè diffundi debere, quàm ſanguinis exiſtimauerint, quod tamen improbat Balſamon, coarctans ad caſus iure ciuili expreſſos, vt permiſſum matrimonium intelligatur ijs qui nominatim non prohibentur, quia edictum de nuptijs eſt prohibitorium, *cap. Cùm apud. de ſponſal. ſup. arg. can. Conſuluiſti. 2. q. 5.* hodiè tamen Concilio Trident. tales cognationes omnino imminutæ ſunt, ità vt cognatio ſpiritalis tantùm contrahatur inter ſuſcipientes, inter ſuſceptum ſuſceptámve, & patrem eius vel matrem, inter baptiſmi miniſtrum, miniſtrámve & baptizatum vel baptizatam, & patrem eius, vel matrem, fraternitate omninò ſublatâ, *cap. 2. de reform. ſeſſ. 24.* compaternitatis ſeruata eſt cognatio, quę

per patrem nouum, vel matrem oritur; ſicut enim adoptio imitatur naturam, ità & hæc cognatio; quo fit, vt vnus tantùm admittatur vir, & vna mulier, non plures cuiuſque ſexus, *cap. 3. hoc tit. in 6.* quod ſcilicet generationis naturalis exemplo filium, vel filiam Deo producant & regenerent, vnde dicuntur compatres, quaſi ſimul patres; ſicut competentes Catechumeni, id eſt ſimul petentes, apud D. Auguſt. patrini, *can. in catechiſmo. de conſecrat. diſt. 4. can. 14. Concil. Arelat. IV.* συντέκνοι apud Cedrenum & Conſtantinum Cabaſilam, in *quaſt. d. can. 53. Syn. VI.* & ſicut parentes ſanguinis naturæ lex ad alimenta & educationem adſtringit; ità lex ſacramenti, vnde appellantur ἀναδόχοι ἐγγυῆται, *ſponſores & fideiuſſores, can. vos ante. de conſecrat. diſt. 4.* Tertull. *lib. de baptiſmo, cap. 18.* primitùs vnus tantùm vel mas, vel fæmina hoc munus obibat, ne duo ſimul ex contracta cognatione familiaritatem, quæ nuptias alliceret conciperent, decreto Leonis I. in *can. non plures. de conſec. diſt. 4.* quantùm ad virum & vxorem id olim videbatur prohibitum, ne qui iam vna caro effecti erant, cauſam diſſidij quærerent, & ad torum ſuum redire non poſſent, *can. 1. & 2. 30. q. 1.* hac de cauſa cùm Andouera, Chilperico marito ſuo abſente filiam peperiſſet Chilechindam, & ſuaſu Fredegundis eam de fonte ſacro leuaſſet, rediens Chilpericus repudiauit Andoueram: *Non potero,* inquit, *te habere coniugem, cùm commatris adepta ſis nomen,* quam idcircò cùm filia in monaſterium detruſit, vt refert Aymonius *lib. 3. cap. 6.* ſed hoc paulatim euanuit imminutum ab Vrbano II. in *can. vlt. 30. q. 4.* qui licèt id non tollat, tamen ab omni labe & infamia alienum non eſſe contendit: verùm Innocentius III. *in epiſt. ad Roſan. Archiepiſcopum lib. 2. regiſt.* nullam inter virum & vxorem oriri dicit compaternitatem, licèt alienum puerum teneant in baptiſmo. Non ſolùm autem per baptiſmum cognatio fit ſpiritalis, ſed & per Confirmationem & catechiſmum, *can. Si quis ex vno. 30. q. 4.* & in his tribus patrinus, compater, ſeu fideiuſſor interuenire debet, *can. in Catechiſmo. de conſec. d. 4.* ità vt hæc affinitas matrimonium impediat, *cap. Contracto. hoc tit.* Catechiſmus eſt profeſſio futuri baptiſmi, & non quidem eſt ſacramentum, ſed quid ſacramentale, quod fit per ſacrati ſalis pabulum; ſal denotat ſapientiam & doctrinam fidei, quâ omnis vitiorum putredo ſanatur, *can. Ex hinc. de conſec. diſt. 4.* Iſidorus *lib. 2. de Offic. cap. 20.* nullum ſacrificium in veteri lege ſinè ſale admittebatur; imò & antiqui omnia ſale purificari & ſanctificari exiſtimabant; vnde eſt quòd aquam maris omnia hominis vitia eluere dicebant. *Euripid. in Iphigenia.*

Θάλασσα κλύζει πάντα τ'ἀνθρώπων κακά.

Hanc ſalis adhibendi ceremoniam, cum ipſo baptiſmo,non natam fuiſſe præter Iſidorum & alios, Vvalaf. Strabo ſcribit: *Alij addiderunt*, inquit, *in baptiſmatis ſacramento exorciſmos,alij conſecrationem fontis , alij ſalis &c.* ſenſim enim Eccleſia ceremoniis illuſtrata fuit. Cur autem Catechiſmus cognationem inducat , ratio eſt; quia Catechiſmus eſt quædam profeſſio futuri baptiſmi: & ſicut in ſponſalibus ſponſione futurarum nuptiarum ſpecies quædam cognationis, & publicæ honeſtatis contrahitur , per quam matrimonium impeditur contrahendum, non contractum; ità & in Catechiſmo, *cap. 1. & 2. hoc tit. in 6. & cap. 3. 6. & penult. hoc tit.* Præter Catechiſmum & baptiſmum oritur cognatio etiam per Confirmationem, *cap. 1. & vlt. hoc tit. in 6.* quia ſicut baptiſmus eſt quædam generatio ſpiritalis, ità & Confirmatio,vt refert D. Thomas : & ſicut Catechiſmus eſt initium,vel, vt loquitur,Cyrillus Hieroſolymit.*Catecheſi 4.* γαλακτώδης ἐν χριστῷ εἰσαγωγή: *lactea in Chriſto introductio*, ità & Confirmatio eſt perfectio , quæ & ideò perfectionis nomine appellatur,& ſigillum Domini à Cornelio Papa,*in epiſt. ad Fabium* , & eſt ſacramentum omninò neceſſarium,*can. 1. & ſeqq. de conſecrat. d. 5.* Sunt & aliæ compaternitates minimi momenti ratione cognationis,vt eſt paternitas ſpiritalis ratione penitentiæ, & Confeſſionis , *can. omnes. 30. q. 1.* ratione Ordinum ſacrorum , quas omnes cognationis ſpecies aboleuit Concil. Trident. quia nempe in immenſum creuerant , & conſuetudo effecerat , vt in aſſecutione omnium ſacramentorum patrini adhiberentur, imò in dignitatum & honorum gradibus adipiſcendis , & duelli indictionibus.

## *DE COGNATIONE LEGALI,*

### TIT. XII.

DE cognatione ſpiritali dictum , nunc de legali agendum, quæ fit per adoptionem; adoptio eſt legis actio , νόμιμος πρᾶξις, quâ quis extraneum filium ſuum facit : natura non tantùm filios parit, ſed etiam adoptio, *l. 1. de adopt.* quæ ideò dicitur παιδοποιΐα,quæ quum ſit naturæ imitatrix,nullam aliam parit affinitatem quàm filiorum & nepotum,qui filiorum loco ſunt, non verò fratrum,ἀδελφοποιΐα non admittitur, quia frater fratrem gignere non poteſt, *l. 7. C. de hered. inſtit.* nec ſimiliter πατρογονεία,quum nemo adoptari poſſit in patrem; quamuis apud veteres & patroni adoptati fuerint, ſed nomine adoptionis impropriè ſumpto : ſic ab Achæis Piſonem

nem patronum adoptatum ſcribit Tull. *diuinat. in Verrem*, & à Puteolanis Brutos, *Philipp. 2.* de hoc genere adoptionis non eſt ſermo noſter, ſed de eo quo filios nobis acquirimus; duobus nempe modis iure ciuili, adoptione, & arrogatione, *l. 2. de adopt.* certis & ſolennibus ritibus: adoptio per trinam venditionem æris & libræ; arrogatio curiatis comitijs, & populo in curias diſtributo, adhibitis Pontificibus fiebat, vt eſt apud Tull. *orat. pro domo ſua ad Pontif.* Tranſlatâ verò omni imperij poteſtate in principem, adrogatio principali reſcripto fieri cœpit, vt videre licet apud Vopiſcum. His ſolennibus modis ſucceſſerunt alij quamplures, vſitatior fuit per arma apud Barbaros, vt notum eſt ex Caſſiod. *lib. 8. & Corippo, lib. 1.*

*— cape dona Dei, ſceptríſque paternis*
*Vtere, & auguſtum quod defuit accipe nomen.*

Apud Romanos id literis etiam, vel epiſtolis factitatum docet Procop. *lib.* 1. *belli Perſici*: οὐ γράμμασιν οἱ βάρβαροι τοὺς παῖδας ποιοῦνται, ἀλλ' ὅπλων σκευῇ. & alibi: καὶ κατὰ τάχος εἰς τὴν πρᾶξιν ἠπειγέσθην τὴν εἰς ποίησιν ἐν γράμμασι θέσθαι, ᾗ νόμος ῥωμαίοις: contra formam iuris quo abſens adoptari non poterat, *l. Neque, & ſeq. de adopt.* Apud noſtrates Francos per comam & capillos, teſte Paulo Diacono *lib. 6. dial.* per mallones, vt loquitur Anaſtaſius in vita Dionyſij II. per quos Iuſtinianus & Heraclius adoptati fuerunt ab Eccleſia Rom. per barbæ tactum apud Gothos, ſicut Alaricum adoptaſſe Clodoueum ſcribit Aymonius, *cap. 20. de geſtis Francorum, lib. 1.* vel per barbæ præciſionem, quem morem antiquum fuiſſe refert idem Aymonius *lib. 4. cap.* 23. Paulus Diac. *4. de geſt. Longob. cap. 38.* & quidem hæc adoptio per capillos vſitata fuit apud Chriſtianos, & in Eccleſiis ſæpiùs facta; qua de cauſa Aimonius vocat adoptionem ſpiritalem, *lib. 4. cap. 57.* loquens de Carolo Martello, qui filium ſuum Pipinum ad Luitprandum regem Longobardorum miſerat, *vt more fidelium Chriſtianorum eius capillum attonderet, ac pater illi ſpiritualis exiſteret*: hæc adoptio dicitur fieri *per ſacras preces*, διὰ ἱερᾶς εὐχῆς à Balſamone, *ad can. 53. Syn. VI. in Trullo*; ſeu potiùs, διὰ τελετῆς ἱερᾶς, id eſt, *per ſacrum Miſſæ ſacrificium*, vt idem docet: ex quo notandum Miſſam celebrari ſolitam in adoptionibus, vt indicat *Nou. Leonis 24.* licèt is locus Balſamonis intelligi poſſit de baptiſmo: ſiquidem τελετὴ, & τελείωσις præter communem ſignificationem, quæ denotat initiationem, ſeu conſecrationem, ſumitur pro baptiſmo apud Gregorium Nazianz. *5. ad Epheſios, & 3. ad Titum*: nam & vulgò, ἐν τῷ θείῳ λουτρῷ, *in diuino lauacro*, fiebat adoptio, vt Theodoſium à Beliſario adoptatũ fuiſſet ſcribit Procopius in hiſtoria arcana. Eſt præ-



Digitized by Google

terea alia adoptio, quæ fit tegendo aliquem pallio, vel veſte, quam Barbaros deſumpſiſſe à Iunone ſcribit Diodorus Sicul. *lib. 4.* referens Iunonem rogatam à Ioue, vt Herculem ſibi adoptaret, eum corpori ſuo applicitum de ſub veſte fluere voluit imitata parturientem: de Apelle narrat ſimilia Suidas in Apelle. Teſtamento fiebat etiam adoptio, ſic Octauius à C. Iulio Cæſare adoptatus fuit, & hunc modum ius ciuile recepit, *arg. l. 7. C. de heredib. inſtit.* per nominis proprij dationem: ſic Adrianus Ceionem Cōmodum adoptando Ælium Verum appellauit *apud Spart.* Hi ſunt adoptionum modi, quos recenſere ſuperuacaneum non duxi, cùm ex his cognatio legalis pendeat, quam ex iure ciuili depromptam ſequitur omnino ius canonicum. Hæc autem cognatio tandiu durat, quamdiu adoptio, *cap. Vnico, hoc tit.* quod totum petitum eſt ex iure ciuili in *l. per adoptionem. ff. de ritu nupt.* Aliud dicendum inter eos qui parentum & liberorum locum tenent; nam ſemper ſolutâ adoptione cognatio remanet, *§. Ergo. Inſtit. de nupt.* & nuptiæ propter reuerentiam prohibentur eorum, qui aliquando parentum loco fuerunt; pudor & honeſtas potiſſimùm in nuptijs ſpectatur, *l. Adoptiuus.* 14. *l. Semper. eod.* cui tamen pugnat, *l. quinetiam. 55. ff. eod.* in qua Caius ſolutâ adoptione filium adoptiuum ducere poſſe matrem patris adoptiui ait, niſi vt ſentit Cuiacius verbum matrem reijciendum ſit vt ſubdititium.

## *DE EO QVI COGNOVIT CONSANGVINEAM vxoris ſuæ, vel ſponſæ,*

### Tit. XIII.

SPecies cognationis perſequitur Gregorius hoc tit. eam nēpe quæ fit per coniunctionem cōſanguineæ vxoris vel ſponſæ, vel è conuerſo mariti vel ſponſi; nam in antiqua compilatione titulus vtroque modo concipitur. Primum quidem agendum eſt de eo qui iam factæ vxoris ſuæ conſanguineam auſus eſt ſibi copulare, qui in odium criminis puniendus eſt, & quaſi lege talionis plectendus, vt in quo peccauit coërceatur, *cap. literas. de temporib. ordinand.* & ideò debitum ab vxore exigere non poſſit, *cap. 1. cap. Diſcretionem. hoc tit.* & licèt vinculum matrimonij ſubſiſtat, præſumitur vxorem non habere, *can. qui dormierit. 32. q. 7.* vbi rectè Gloſ. addit eum quidem vxorem habere, vt cum ea maritali affectione tantùm verſetur, ſed plenè haberi ab vxore ſua, quia vxor poteſt ab eo debitum exigere, dummodò ipſa ſceleris particeps non

fuerit, *cap. Tuæ fraternitatis. hoc tit.* hoc enim caſu vltrò citróque prohibentur debitum, quod Græci τὴν ὀφειλὴν vocant, reciprocum petere, ità vt ob publicam honeſtatem ſimul congredi non poſſint, *cap. ex literis. hoc tit.* Diſtinguebat Alex. III. vtrùm crimen eſſet notorium, an verò occultum; primo caſu publicam honeſtatem lædi exiſtimabat, & ideò quantũuis inſcia foret vxor ab exactione debiti eam arceri, imò ſeparationem fieri voluit, *cap. 4. hoc tit. in* 1. *compil.* & licèt pœnitentiam egiſſet maritus, ad vxorem redire non poſſet, quamuis tunc demum benignè id tolerari poſſet, indultâ tamen & conceſſâ ab Epiſcopo licentiâ, vt ipſe ait in *cap. 5. eod.* Inſpexit præterea Alexander gradum cognationis, ſiquidem illicitâ coniunctione factâ inter proximos, in primo, vel ſecundo gradu perpetuam continentiam iniungi debere ait *cap. 2. hoc tit. in* 1. *compil.* in alijs gradibus ſi notorium fuerit crimen, idem ſeruandum; ſi verò occultum, liberè poſt pœnitentiam ad τὴν ὀφειλὴν eos redire poſſe, *cap. vlt. de diuortijs in* 1. *compil.* quod falsò Vrbano III. adſcribitur, cùm ſit Alex. III. vt refertur in parte *12. cap. 1. Concil. Later.* & optimè annotauit Antonius Auguſtinus. Hanc differentiam non admiſit Innocentius III. in dicto *cap. Diſcretionem*: imò generaliter hoc definiuit, ſiue notorium, ſiue occultum fuerit crimen, vxorem poſſe debitum à marito exigere, dum tamen ipſa ſceleris particeps non fuerit; òb publicam tamen honeſtatem ipſam moneri debere vt abſtineat à tali viro, non verò cogi, & in eo reprobauit ſententiam Alex. III. his verbis, *quanquam à prædeceſſore noſtro, &c.* Quòd ſi vxor cognito delicto mariti ei non erubuit commiſceri, eâdem pœnâ plecti debet, *cap. Ex literis. hoc tit.* quod ſi legatur integrum, vt eſt in *cap.* 3. *in 2. compil.* videtur faceſſere negotium: ſiquidem Innocentius III. diſtinctionem Alex. III. inter publicum & occultum crimen videtur comprobare, his verbis, *cùm hoc factum publicum & notorium habeatur*, quæ ideò Raimundus reiecit à ſua compilatione, quæ tamen in caſu dicti capitis nihil obſunt; ſiquidem Innocentius III. factum narrans ſicut ei propoſitum fuerat, in petitione partis dicta verba apponit, non verò in reſponſione ſua; nam ſecundùm ius introductum ab Alex. III. partes interrogabant Innocentium III. Verùm vt excutiamus integrum titulum videndum eſt, an idem ius obtineat in eo qui conſanguineam ſponſæ cognouit: qua in re diſtinguendum inter ſponſam per verba præſentis temporis, & futuri; primo caſu indubitatum eſt idem ius ſtatui, quòd inducta iam vxore, cùm matrimonium ſponſæ per verba de præſenti ratum fuerit omninò, *cap. diſcretionem*, idipſum ſentiendum in ſponſa de futuro, quãdo copula ſubſequuta eſt, quia tunc verba

V u 2

futuri temporis in præſens tempus conuertuntur, *cap. vlt. hoc tit. cap. à nobis. de deſponſat. impub. & cap. Per tuas. de conditionib.* ſponſalia ſiquidem conualeſcunt, *cap. Duo. de deſponſat. impub.* Quod ſi contracta ſunt de futuro ſponſalia, & vir poſteà ſe turpiter conſanguineæ ſponſæ ſuæ coniungat, coniungi omnimodè & matrimonium complere prohibentur, & poteſt quilibet ad aliud matrimonium venire, niſi id ità occultum fuerit, vt commentitium potiùs & fictitium ad ſponſalia diſſoluenda cenſeatur, *cap. Super eo. hoc tit.* in quo Pontifex rectè addit, præter allegationem partium fide dignas probationes eſſe addendas; nam ſi facilè eis crederetur, frequenter ſponſaliorum promiſſionibus & pactis illuderetur, ideóque id teſtibus, vel famâ publicâ comprobari debet, *cap. Super eo, infrà titulo proximo.*

## *DE CONSANGVINITATE, ET AFFINITATE*

### TIT. XIV.

HVIC titulo in tertia compilatione additur, *& publicæ honeſtatis iuſtitia*, vt ſub eo contineantur impedimenta nuptiarum, non ſolùm ratione conſanguinitatis & affinitatis, ſed etiam quæ ſolam honeſtatem publicam reſpiciunt. Conſanguinitatis nomen hoc titulo ſumendum non eſt vt iure ciuili, quo intelligitur tantùm ciuilis agnatio, & proximitas fratrum & ſororum ex eodem patre. Ius ciuile conſanguinitatis nomen proprium fecit, vt ſuitatis, quæ eſt liberorum; agnationis verò eorum qui ſunt ex tranſuerſo, & hi tantùm dicuntur conſanguinei, qui ex patre oriuntur, vt loquitur Vlp. *in l. 4. vnde cog. & lib. reg. tit. 26.* fratres ex eodem ſanguine nati, ὁμαιμοι, & ξύναιμοι apud Sophoclem, & κασίγνητοι apud Euſtath. Statius 2. Thebaïd.

*Et conſanguineo gliſcit regnare ſuperbo*
*Exſule.*

Et hi omnes tam ſui, quàm conſanguinei, & qui ex tranſuerſo ſunt, numero agnatorum continentur. Diſtant iure ciuili conſanguinei à cognatis, qui tantùm per fœminas coniunguntur, quæ differentia admiſſa & obſeruata eſt propter ius ſucceſſionis; at ius canonicum reſpexit ad impedimenta nuptiarum, ideóque omiſſo cognationis, agnationis, & conſanguinitatis diſcrimine, hîc ſumitur conſanguinitas pro cognatione generaliter ſumpta, quæ omnes conſanguineos, agnatos, & propinquos continet, *l. Juriſconſultus. de gradib. can. progeniem, & ſeqq.*

Digitized by Google

*35. q. 2.* Diuiditur autem cognatio in tres gradus, eorum qui ſuperiorem faciunt ordinem, quales ſunt pater, auus, abauus, & eorum qui inferiorem gradum tenent, filius, nepos, abnepos, & reliqui, & tranſuerſales ſeu à latere venientes, qui ſunt frater, conſobrinus, patruus, auunculus, patrueles, & reliqui. Inter eos quidem qui ſuperioris & inferioris ordinis ſunt nulla vnquam licita fuit coniunctio tam ciuili iure, quàm Pontificio. *§. ergo. Inſtit. de nuptijs*, etiamſi non ſint ex legitimis nuptiis, *l. Adoptiuus. de ritu nupt. l. 1. de concubinis.* Tota quæſtio eſt de collateralibus quorum primi ſunt fratres, quos ius ciuile in ſecundo tantùm gradu conſtituit, *l. 1. de gradib.* Ius pontificium in primo, *can. ſeries, & can. ad ſedem. 35. q. 4. & 5.* cuius autores fuiſſe Gregorium primum, & Zachariam vulgò exiſtimatur, in *can. Porrò, & can. Parentelæ, ead.* quos tamen potiùs aſſertores, quàm autores exiſtimare debemus; ſiquidem in veteri lege in primo gradu habiti fuerunt, licèt inter eos ob raritatem hominum coniunctio initio recepta fuiſſet; ſtatim enim fuit dãnata: quin & veteres omnes in primo conſanguinitatis gradu fratres poſuiſſe conſtat ex Platone, *lib. de rep.* & Ariſtotele *2. Politic. cap. 2.* Hierocles Philoſophus apud Stobæum dum gradus cognationum deſcribit per circulos; in primo circulo parentes, vxores, & liberos ponit, ἐν ᾧ τετάχαται γονεῖς, ἀδελφοὶ, γυνὴ, παῖδες: in ſecundo, auunculos, materteras, auos, auias, nepotes ex fratribus & conſobrinos; in tertio reliquos cognatos, à quo ordine receſſerunt iuris conditores. Neque nobis hac in parte adferri debent Græcorum exempla à Cuiacio, quos iuris ciuilis ordinem ſeruaſſe recẽſet, quum hi pertinaciter iura connubialia defenderint, non mirum fuit ſi orthodoxæ Eccleſiæ regulas non fuerint amplexi, licèt tamen nuptias ad ſeptimum vſque gradum prohibuerint, vt oſtendit Balſamon *tit. 13. Nomoc. Photij.* In primo igitur gradu conſtitutis fratribus, in ſecundo erunt fratrum filij, ſeu conſobrini, quos in quarto poſuerunt Iuriſconſulti, & ità ius noſtrum ex duobus gradibus legalibus vnum canonicum effecit, vt ait Alexander III. *in d. can. Ad ſedem*, qui ordo in Eccleſia ſemper locum habuit, nec olim Eccleſiam aliter numeraſſe gradus ſentiendum; quamuis D. Ambroſius *lib. 8. ad Paternum*, legum numerationem obſeruarit, & fratres numerarit in ſecundo, conſobrinos in quarto gradu. Nam certum, Cæſarum leges præualuiſſe Pontificijs in hac parte, vſque ad Theodoſium Imperatorem, qui matrimonia inter conſobrinos prohibuit, *l. 2. C. Theod. de inceſtis nupt.* quod indicat Gregorius in *can. Quædam. 35. q. 3.* dum ait conſobrinos in Eccleſia in ſecundo gradu numeratos fuiſſe, quamuis adhuc inter eos



Digitized by Google

coniugium licitũ eſſet; ſed quia nefarium viſum fuit, & ex eo ſobolem non poſſe ſuccreſcere experientia docuit, coniunctio illa reducta fuit vſque ad ſeptimum, vel ſaltem ſextum gradum, *can. progeniem, & ſeq. ead.* & anteà, licèt vulgò id permitteretur, tamen ſuſpectum maximè erat, & propter vicinitatem illiciti inter fratres coniugij horrebatur, vt quod fiebat cum conſobrina penè cum ſorore fieri videretur, ait D. Auguſt. *lib. 15. de ciuit. cap. 16.* ſæpe etenim conſobrinos vocatos fuiſſe fratres germanos, & conſanguineos conſtat; & ſic Tobias vxorem ſuam quòd ex eadem cognationis ſtirpe eſſet exorta, vocauit ſororem, & Loth frater Abrahæ dicitur, quamuis Abraham eius eſſet patruus, vt ſcribit D. Auguſt. *lib. 22. contra Fauſtum*: paulatim horreri cœpit coniunctio inter cognatos, ità vt prohibitio vſque ad extremos gradus fuerit producta, donec Innocentius III. ad quartum conſanguinitatis gradum reduxit in Concilio Later. *cap. Non debet. hoc tit.* Alia longè diſſimilis eſt cognatio, quæ veniens ex affinitate, cognatio abuſiuè dicitur, vt rectè Balſamon ad *d. tit. de laicis, cap. 2.* καταχρηστικῶς συγγένεια ἐξ ἀγχιστείας, ἤτοι συμπενθερίας: ideò Callicratides ille Pythagoricus apud Stobęum adſcititios huiuſmodi affines vocabat, ex nuptiarum coniunctione ortum ducentes, οἰκῆοι δὲ ἐπίκτητοι συγγενεῖς ἀπὸ τᾶς τῶ γάμω κοινωνίας λαμβάνοντες τὰν καταρχάν: nuptiæ originem dant affinitati, *l. 4. §. adfines. de gradib. cap. 5. hoc tit.* & quod notandum eſt affines non conſtituunt inter ſe gradus, cùm ex affinibus affines non generentur: nunquam, inquam, conſtituitur gradus, ſed genus, adeò vt non eodem modo numerentur genera affinitatis, quo gradus; quia ſæpiſſimè contingit, vt qui tertio, quarto, vel quinto gradu conſanguinitatis iunguntur, non eodem genere affinitatis tangi cenſeantur, ſed primo, *cap. 2. in 1. compil. hoc tit.* quod refertur non quidem integrum in *cap. 1. hoc tit.* verba vim faciunt; *Surrexerunt duo proponentes coniuges in quinto gradu conſanguinitatis & primo genere affinitatis ſeſe contingere*: quibus verbis agnoſcimus affines primi generis dici eos, verbi gratiâ, qui viro primæ vxoris erant cognati; ſecundi verò generis eos qui vxoris propter alias nuptias ſunt affines, & ità de reliquis. Hi autem affines nil operantur circa gradus cognationum, quos nunquam mutant, ſed peculiare genus faciunt; & vt vox illa, *genus*, intelligatur non Logicorum ſenſu ſumenda eſt, ſed Iuriſconſultorum, quo intelligitur quod Logici ſpeciem faciunt; ità vt hoc genus ſit quoddam genus ſpeciale, vt loquitur Seneca. Exemplum proponit Gloſſa optimum, in *d. cap. Non debet.* ego & frater ſumus conſanguinei, vxor fratris eſt mihi affinis, non quidem ratione gradus conſanguinitatis, qui eſt inter me, &

Digitized by Google

fratrem, ſed ob nuptias quæ ſtatuunt & formant primum genus affinitatis, ſeu attinentiæ; quia alio genere attingor vxori fratris, quàm ipſe fratri: vno verbo, primum genus eſt cùm perſona per carnis copulam alterius conſanguineo adijcitur; ſecundum cùm perſona primo generi additur; tertium cùm perſona ſecundo: & ità rectè Panormit. Nuptiæ quidem non conſtituunt hos gradus affinitatis, ſed formant genus, ex quo gradus cognationum deſcendunt: Tullius 1. *Offic.* hoc voluit: *Sequuntur*, inquit, *cõnubia, & affinitates ex quibus etiam plures propinqui.* In primo genere affinitatis non tantùm olim erat prohibitum matrimonium, ſed etiam in ſecundo, & tertio, *can. de propinquis, & ſeq. 35. q. 2. & 3. & can. Porrò. ead. q. 5.* quod ſatìs demonſtrat Innocentius III. *in d. cap. Non debet*, qui in Concilio Later. hanc prohibitionem vltra primum genus trahi noluit; nec abſque ratione, cùm hoc triplex genus affinitatis nunquam lege diuinâ fuerit cautum, ſed potiùs diſciplinâ Iuriſperitorum, quod innuit P. Bleſenſ. *epiſt. 115. Inueniuntur canones ex quorum intelligentia triplex affinitatis genus, & in eis diuerſorum diſtinctionem graduum induſtria ſcholaris explicuit; ſed iuxta conſcientiæ meæ iudicium, noua hæc inuentio & traditio magiſtralis matrimonio non præiudicat*; ideò acriùs inuehit, quia nondum Lateranenſis Concilij conſtitutio edita fuerat. Eſt prætereà publicæ honeſtatis iuſtitia, quâ nuptiæ prohibentur, etſi nullum affinitatis vinculum interceſſerit, ſed tantùm vmbra quædam, quæ ſufficit, vt de extraordinaria libidine dixi, ſup. *ad tit. de deſponſat. impub. cap. iuuenis. cap. Ad audientiam. cap. Si ſponſam. ſup. de ſponſalib.* in quibus ſponſam conſanguinei non licet vxorem ducere, licèt nuptiæ & commiſtio non fuerint ſubſequutæ, & hoc propter publicam honeſtatem, quam etiam iuris ciuilis autores amplexi ſunt in *l. vxorem, in l. Et nihil. ff. de ritu nupt.* in qua ait, etſi nuptiæ non interceſſerint, tamen inter cognatos vulgò quæſitos matrimonium prohibetur; quæ ratio locum habuit, & in ſeruis, inter quos licèt matrimonium non eſſet, ſed contubernium, tamen leges coniunctionem prohibuerunt pro ratione graduum in matrimonijs obſeruandorum, & hoc propter eandem honeſtatem: naturale enim ius, & pudor eſt inueſtigandus, ait Paulus in *l. Adoptiuus. §. ſeruiles. eod.* Eſt & alia publica honeſtas quæ ſublata fuit conſtitutione Later. Concilij, *d. cap. Non debet*, ideò nulla reſcripta congeſſit Raimundus, quamuis in prima compilatione ſpecialis ſit titulus, nempe de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptijs.

Digitized by Google

## *DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, & impotentia coëundi,*

### TIT. XV.

DE impedimentis nuptiarum tam ratione ſtatus & conditionis, quàm conſanguinitatis & affinitatis actum fuit; conſequenter videndum fuit de impedimentis quæ proueniunt ratione defectus corporalis, quem triplicem facit Gregorius in hoc tit. *frigus*, *maleficium*, & *impotentiam*, quaſi hæc tria diſtinguenda ſint, quod & innuit vetus compilatio: frigiditas primò inſpicienda eſt, quæ vel à natura, vel caſu procedit: alios etenim eunuchos natura, alios vis hominum facit, *can. qui ſitit. 33. q. 5.* naturâ dicuntur eunuchi, qui ita frigidi ſunt, quorum natura ità frigida, vt operam carni dare non poſſint, *can. requiſiſti. 33. q. 1.* qui ſunt imbecilles & ſegnes, Virgilio *frigida bello dextera*; ideò pueri, ſiue infantes propter naturæ imbecillitatem nuptias contrahere non poſſunt, *cap. Quod ſedem. hoc tit.* adeò vt contractum matrimonium, poſt legitimum ætatis tēpus confirmatione egeat, *cap. A nobis. ſup. de deſponſat. impub.* Quærit Gloſſa, an de ſenibus, & ætate confectis idem ſentiendum, qui pueris frigidiores ſunt, ſenectus enim omnino frigida eſt, & vt Ariſtoteles ſcribit *5. de gener. animalium, cap. 4.* τὸ γῆρας ψυχρὸν ϗ ξηρὸν ἐστι. Hac de cauſa olim lege Papiâ inter ſexagenarium & quinquagenariam nuptiæ vetitæ erant, quaſi in hac ætate prolis ſuſcipiendæ ſpes eſſet adempta, quam tamen Iuſtinianus ſuſtulit in *l. Sancimus. C. de nupt.* non enim ſpes liberorum euanuit, nec adeò vires effœtæ ſunt, vt medici ſentiunt, quin naturæ ſatisfacere poſſint; ideò canones contrà ſtatuerunt, decrepitis etiam ſenibus contrahere permittentes ad humanitatis & imbecillitatis ſolatium, vt ait D. Auguſt. *in can. Nuptiarum. 27. q. 1.* quod & Iuſtinianus annuit in dicta lege, dum generaliter omnibus tam infrà, quàm ſupra ſexageſimum annum nuptias inire concedit: nuptiæ non tantùm liberorum habendorum, vel libidinis explendæ causâ inſtitutæ fuerunt; ſed etiam ad mutuum obſequium, & ſolatium, ad vitæ ſocietatem, πρὸς τὴν βίου συμπάντων κοινωνίαν, ad conſortium & communionem totius vitæ, vt loquitur Modeſtinus, in *l. 1. de ritu nupt.* hunc duplicem ſcopum matrimonij vt veteres denotarent, duplici annulo vtebantur; vno quem vocabant δακτύλιον ἁρμοστὴν παιδουργοῦ συμβιώσεως, id eſt, *procreatricis coniunctionis conciliatorem*; altero quem

quem δακτύλιον σωφρονιστὴν id eſt *temperantiæ magiſtrum*; hunc vxori ſuæ dediſſe Theoſebium ad continentiam ſeruandam, ſublato altero, cùm liberos ex ea non ſuſcepiſſet, refert Damaſcius in vita Iſidori philoſophi apud Photium. Frigus illud ætatis & corporum temperatur calore & igne huius communionis, ſicut idem calor frigore, ſeu diuortio aliquando abſumitur; vnde diuortium frigus dicitur, & rixa leuiſsima inter coniuges friguſculum, in *l. cùm hic ſtatus. de donat. inter virum*: vetus inſcriptio Priſci Aurelij ad tumulum Fauſtinæ vxoris ſuæ, quam diu ſolam reliquerat; *longum coniugalis tori frigus patienter tulit.* Ergo frigus ſenectutis non impedit nuptias, ſicut nec omne aliud incommodum quo natura generandi prohibetur, vt loquitur Iuriſconſultus *in l. 9. de liberis & poſthum.* δύναμις πρὸς διαδοχὴν τοῦ γένους, vt ait Leo *Nouel.* 66. dummodò corporis partes implicatæ & impeditæ non ſint, quo in genere ſunt ſpadones, qui licèt prolem ſuſcipere non queant, tamen Veneri inſeruiunt, quibus mulieres abutuntur, quæ parere nolunt, vti refert Iuuenalis *Sat.* 6. D. Hieronymus contra Iouinianum, vocat *Spadonem in longam, ſecuràmque libidinem exſectum.* Et quamuis ſcopus nuptiarum ſit liberorum procreatio tamen ſola ſterilitas ad ſoluendum matrimonij vinculum non ſufficit, *can. tantùm*, *32. q. 7.* & gloſ. *in can. hi qui. ead.* D. Auguſt. *lib. 1. de nuptiis ad Valerium Comitem, cap.* 10. *Huius ſacramenti tanta obſeruatio eſt, vt cùm filiorum procreandorum cauſâ nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec ſterilem coniugem fas ſit relinquere, vt alia fœcunda ducatur*: quamuis legibus ſuis ſtatuerit contrarium Plato *lib. 6.* vt ſi qui ſteriles per decennium fuiſſent, conſilio cum cognatis ex parentibus habito diſiungerentur, quod etiam ſequitur Panormitanus. Quamuis ſpado impotens non ſit, tamen ſi inutilis ad generandum detegatur, nullum contrahere matrimonium contendit; ait enim legem Rom. non præcipere contrarium, licèt conſuetudo Ro. talis ſit: quem ſequuntur etiam Theologi quidam, nixi authoritate legum Romanarum, quæ nuptias liberorum quærendorum causâ inſtitutas aſſerunt, vnde Calliſtratus in *l. liberorum. de verb. ſignif.* ait pios parentes dici, qui liberorum causâ vxores duxerunt; quod confirmare videtur *can. requiſiſti* 33. *q.* 1. & *cap.* 1. *hoc tit.* his verbis: *Volo mater eſſe, volo filios procreare, & ideò maritum accepi.* Nec obſtat quod dicitur in *d. can. Requiſiſti, & cap. Conſultationi, hoc tit.* vt qui ſicut coniuges eſſe nequeunt, ſint vt fratres; hoc enim ius commune non eſſe, ſed conſuetudinem Eccleſiæ Rom. docent Alex. III. & Clemens III. in *cap.* 2. 3. & *vlt. in prima*



Digitized by Google

*compil.* nec ità in aliis regnis & ditionibus obſeruari oſtendit idem Alex.in quibus contrarium ius tolerari ait,præſertim in Gallia.Verùm hæc conſuetudo Rom.Eccleſiæ non tam præceptum,quàm conſilium dicendum eſt.Quod autem quidam cenſuerunt ſpadonẽ rectè contrahere matrimoniũ poſſe,hoc dicendũ ex ſumma cõtentione inter Proculeianos & Caſsianos, quia aliquando generare poſſunt, aliquando non.Qui verò omnino exſecti,aut cõtuſi ſunt, qui tam potentiâ,quàm generandi facultate priuantur, hi procul dubio à nuptiis arcentur nuptias ſoluunt, *cap. Ex literis, cap. laudabilem, & cap. fin. hoc tit.* quales ſunt Thlibiæ,Tlaſiæ, & Ectomiæ,qui per colliſionem, ruptionem, & exciſionem, inutiles facti ſunt, qui omnes eunuchorum & ſpadonum nomine generaliter ſumpto continentur, *l.5. C. qui teſt. fac. poſſ. l. Spadonum.de verb.ſignif.* De maleficiatis eſt altera tituli pars, de qua conſtitutio nulla in hoc tit. licèt duæ conſtitutiones exſtent in prima compil. *cap.* 2.*&* 3. in quibus agitur etiam de Rom. Eccleſiæ conſuetudine, ob maleficium ſolui non debere matrimonium: per maleficium intelligitur incantatio,quemadmodum in *tit. C. de malef. & math.* maleficiati ſunt incantati, quibus magicis artibus naturæ facultas impedita, qui etiam vocantur frigidi, id eſt venenati, ob philtra, & pocula amatoria quæ ſolent propinari; omne enim venenum frigidum eſt, vt ait Iſid.*cap.* 4. *l.* 2. qua de cauſa ſerpentes, quia venenis & incantationibus ſubditi ſunt, dicuntur frigidi à Virgilio *Eclog. 8.* & Tibullo *lib. 1.Eleg.*

*Cantus & irata detinet anguis iter.*

Homines ſicut ſerpentes incantantur Plato 2. *polit.* Θρασύμαχος γάρ μοι φαίνεται ὥσπερ ὄφις κηληθῆναι, id eſt, *videtur mihi Thraſimachus tanquam ſerpens carminibus delinitus.* Incantationes autem & maleficia duos diuerſos effectus ſortiuntur; nam aliquando ità duo amoris vinculis conſtringuntur, vt omnino depereant, & mirum in modum torqueantur, quæ incantatio fit per nodos quoſdam, & ligaturas, vt de numiſmatibus Alexandri magni refert Chryſoſt. *homil. 21. ad populum Antioc.* τί ἄν τις εἴποι περὶ τῶν ἐπῳδαῖς καὶ περιάπτοις κεχρημένων, καὶ νομίσματα χαλκᾶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ταῖς κεφαλαῖς, καὶ τοῖς ποσὶ περιδεσμούντων; Id eſt. *Quid verò diceret aliquis de his,qui carminibus & ligaturis vtuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numiſmata capiti, vel pedibus?* & per licia triplici diuerſa colore; & quidem ex lana, apud Artemid. *lib.* 1. *cap.* 79. χαλαδεσμοὶ καὶ τῶν ἐρίων πεποιημένοι: lanis enim veteres multùm tribuebant, & eas vt religioſas colebant, Plin. *lib.* 28. *cap.* 2. hæc licia, Veneris vincula vocat Virgil.

*in Bucolicis*, quia his diris & maleficiis amantes deuoueri & defigi dicuntur, non quòd vincula; & καταδεσμοὶ propriè ſint defixiones, ſed carmina & imprecationes apud Plinium *lib.* 18. *c.* 2. nec tam defigi dicantur qui vltrò, amoris æſtu vexantur ob nodos & obligationes quibus vtuntur magi, quàm ob cereas imagines quibus eos deuouent & defigunt, eorúmque corporibus morbos & mala infligunt;configentes eas ſtylis & acubus,& maledictis inuoluentes.Pet. Bleſenſ. *epiſt.* 61. ſuggeſtione ſiquidem diaboli quædam mulieres cereas,ſiue luteas formant imagines,vt ſic hoſtes,vel amaſios torqueant & incendant. *Ouid.*

*Sagáque Phœniceâ defixit nomina cerâ,*
*Et medium tenues in iecur vrget acus.*

Aliquando verò ex aduerſo iiſdem nodis ità implicant & conſtringunt amantes, vt omnem amoris vim depellant, & frigidos omninò reddant,*can. ſi per ſortiarias.* 33. *q.* 1. Ouidius *lib.* 3. *Amorum,eleg.* 6.

*Quid vetat & magicas neruos torpere per artes,*
*Et iuueni, & cupido carmen obeſſe viro?*

Apud Herodotum *lib.* 2. *ſub finem* Amaſis deuinctus eſt,ne cum vxore Laodice conſueſceret, cui rex dixit; ὦ γύναι κατά με ἐφάρμαξας. Per frigidos & maleficiatos non ſolùm maſculos, ſed etiam fæminas dicimus; ſæpè enim fæminæ naturâ ſuâ ità frigidæ ſunt, vel incantationibus deuinctæ, vt viro ſatisfacere non poſſint, *cap. ex literis, & cap. Fraternitatis. hoc tit.* quæ impedimenta ſoluunt omne matrimonium, vel nullum reddunt, & quidem ſtatim ſi vitium illud, & morbus emendari non poſſit, quod indicant verba *cap. laudabilem.hoc tit. ſi frigiditas priùs probari non poſſit, cohabitent per triennium*; eo caſu quo frigiditas dubia eſt,exſpectari debet triennium continuum, quod ius ſumptum eſt ex *Nou.* Iuſtin. 22. cùm anteà biennium ſtatutum eſſet in *l. penult. c. de repud.* Si enim talis ſit impotentia quam tolli numquam poſſe euidenter appareat, tunc tempus à Iuſtiniano, & canonibus præfixum non eſt exſpectandum, quod raro contingit, quum tam difficile & obſcurum ſit dijudicare, quippe impedimenta illa plerumque momentanea ſunt. Seneca 2. *Controuerſ.* 13. *Exſpecta, poteſt parere, non reſpondet ad propoſitum, nec ad certum diem fæcunditas, ſui iuris rerum natura eſt.* tot enim fraudes intexuntur, vt poſt ſolutum matrimonium tam vir quàm vxor alias nuptias ritè peragant, & ideò hoc caſu poſterius matrimonium reſcindit, primum redintegrari debere ſtatuit Innocentius III. *in cap. Fraternitatis, hoc tit. d. can. Requiſiſti* 33. *q.* 1. quod tantùm locum habere in frigidis, non verò maleficiatis ſcripſit Hincmarus *in d. can. ſi per ſortiarias*, rationem



Digitized by Google

reddit D. Thomas, & Magiſter 4. *ſententiarum*, *diſt.* 3. *q.* 2. quia frigiditas eſt generalis quoad omnes, maleficium verò quoad vnnm vel vnam tantùm, non enim potentia & facultas naturalis exhauſta eſt, ſed ſopita, & ligata.

## *DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA interdictum Eccleſiæ.*

TIT. XVI.

ALIVS hoc titulo modus ſoluendi matrimonij proponitur, quoties contra ius canonicum & leges Eccleſiaſticas contractum eſt; quod enim contra interdictum & ordinem Eccleſiæ factum eſt, ratum non haberi, & tanquam inordinatum tam diuinæ, quàm humanæ legis proclamat autoritas ait *cap. primum, eod. tit. in prima compil.* contra legum præcepta, vel contra mandata, conſtitutionéſque principum, *l. 4. C. de inceſt. nupt.* differentiam ponit gloſſa: aut prohibitio & interdictum cauſam habent perpetuam aut temporalem; perpetuam veluti conſanguinitatem, quæ ſi manifeſtò liqueat, ſtatim ſoluitur matrimonium, ſi non liqueat ſuſpenditur ad tempus conuerſatio, *can. contra dicimus.* 35. *q.* 3. *cap. de muliere. hoc tit.* nec dici poteſt matrimonium ipſo iure nullum eſſe, ſicut de ſententia iudicis, quæ ſi ſit contra leges, canones, aut bonos mores, παράνομος, eſt ipſo iure nulla *cap.* 1. *ſup. de ſent. & re. iud.* licèt irritari & caſſari debeat, *cap. tua. ſup. de ſponſa duorum. cap. Ad diſſoluendum, ſup. de ſponſalibus.* Si verò prohibitio ſit momentanea & temporalis, veluti ſi duo impuberes fuerint deſponſati, vel omiſſis Eccleſiæ ſolennibus & temporibus non obſeruatis, matrimonium tenet, impoſitâ tamen pœnitentiâ propter delictum *cap.* 1. *hoc tit.* veluti ſi clàm, & furtim contemptis tribus edictis competenti termino publicandis, nuptiæ fuerint celebratæ, *cap. 3. ſup. de clandeſt. matrim.* Quod ſi ea quæ nominatim ad ſacramentum perficiendum deſiderantur, neglecta fuerint, vt eſt ἱερολογία, tunc verum non eſt matrimonium, quod ſolus conſenſus facere non poteſt, ſed potiùs redolet ſtuprum, & ideò tales perſonas iure matrimonij potiri vetat Iuſtinianus in *Nou. 24.* & Leo *Nou. 89.* non ſeparantur tamen, ſed ad benedictionem recurrere debent: quod de clandeſtino matrimonio ſentiendum, & de omnibus alijs, quæ vel ob conſanguinitatem, affinitatem, vel perſonarum conditionem pro-

Digitized by Google

hibentur, vt ſuprà diuerſis titulis diximùs, qui in eo differunt ab hoc noſtro titulo, quòd illi tantùm rationem & cauſam interdicti exquirant, hic verò modum & ius ſoluendi, vel confirmandi matrimonij contra iuris ordinem contracti.

## *QVI FILII SINT LEGITIMI.*

### Tit. XVII.

QVIA matrimonium maximè liberorum cauſâ inſtitutum eſt, ideò poſtquàm de modis quibus iuſtum & legitimum, & quibus nullum, vel illegitimum fit, dictum eſt, de liberis meritò agendum fuit, vt videatur quomodo, & quando ſint legitimi: hinc enim matrimonium dicitur legitimũ, & nuptiæ legitimæ eorum, qui ſecundùm legum præcepta conueniunt, *can. aliter. 30. q. 5. §. 1. Inſt. de nup.* & vxor dicitur legitima quæ ſecundùm leges & canones ducta eſt, *can. Qualis. 30. q. 5. cap. filius. ſup. de filijs preſbyt.* Ouidius *5. Amorum.*

> *Quæ legis cauſâ nupſit tibi Lælia, Quinte,*
> *Vxorem potes hanc dicere legitimam.*

Ità etiam filij dicuntur legitimi, γνήσιοι, qui ex legitimis nuptijs procreati ſunt, *ſinè crimine*, vt loquitur idem Ouid. *eleg. 4. Amorum.* non ex adulterijs, inceſtis, aut meretricijs amplexibus, quod ideò maximè inquirendum eſt, ne proles ſpuria & iniuſta ad hereditatem admittatur: iuſtæ & legitimæ prolis voces cõiũgo in quæſtione hereditatis adipiſcendæ, quamuis differre aliquando iuſtos à legitimis non inficiemur; vt legitimos dicamus, qui ex veris nuptijs orti ſunt, *l. 29. de ſtatu hom.* iuſti ſint qui opponũtur veris, id eſt, legitimis, & naturalibus, quales ſunt adoptiui & adrogati; adrogator interrogari ſolet, an velit eum quem adoptaturus ſit iuſtum ſibi eſſe filium, ait Caius *in l. 2. de adopt.* ſemper filius adrogari debet ex iuſta cauſâ: *l. ſi paterfam. §. in adrogationibus, eod.* quod innuit Iuſtin. *§. in plurimis. Inſtit. eod.* dum ait in plurimis adrogatum aſſimilari ei qui ex legitimo matrimonio natus eſt; iuſti aliquatenus dicuntur nati ex concubina, nec tamen legitimi, quia concubina legibus probata fuit: ideò Iulianus *Nou. 81.* concubinam imitari legitimam vxorem dicit, concubinatus eſt extra legis pœnam in *l. penult. de concubinis*, adeò vt filius non dicatur incertus; certus eſt quem nuptiæ demonſtrant *l. 5. de in ius voc.* ità certus quem concubinatus demonſtrat, vt docet Cuiacius *ad Nou. Iuſtin. 18.* Simi-

liter iuſta hereditas diſtinguitur à legitima ,& legitimum pactum à iuſto. Ex his oſtenditur iuſtos filios, alios eſſe quàm legitimos quamvis vtraque vox , τὸ νόμιμον, vel , τὸ γνήσιον, καὶ τὸ δίκαιον promiſcuè vſurpentur , *l. eius. ad municipal.* quinimo & ſæpiùs iuſti dicantur qui ſunt legitimi , & è conuerſo , vt indicat titulus *de naturalibus liberis , & ex quibus cauſis iuſti efficiantur. C.* quam differentiam à iure canonico non improbatam exiſtimare debemus , quamuis concubina iuſtè detineri nequeat , *can. ſi quis. & can. fin. 33. diſt.* quippe natus ex concubina , qui vocatur naturalis, ſecundum locum obtinet à legitimo, & præfertur aſcendentibus & tranſuerſalibus, & longè differt ab eo natus ex meretrice , qui non vocatur φυσικὸς, ſiue naturalis, ſed σκότιος, vt ex Homero refert Blaſtares, id eſt incertus, obſcurus , tenebroſus. Sunt & alij modi quibus filij dicantur iuſti , & non ſint legitimi , vt de quæſitis per adoptionem diximus ſuprà. Si parentes qui nuptias inierunt, conſanguinitatis , affinitatis , vel aliud quoddam impedimentum neſciuerint, filij non erunt ſpurij , non etiam legitimi , ſed iuſti , *cap. cùm inter. hoc tit.* in quo verba illa , *legitimi habeantur* , impropriè ſumuntur pro , *iuſti habeantur.* Sicut liberi nati ex ancilla , quam quis liberam exiſtimans duxerit , ſunt iuſti, *can. ſi quis ingenuus. 29. q. 2. l. ſi quis. C. ſoluto matrim.* Hi non poſſunt propriè eſſe legitimi, quia contra leges , & canones nati ſunt , *l. quod attinet, de reg. iuris.* His aſſimilabantur apud Græcos nati ex quartis , aut quintis nuptiis , quos vt ſpurios reiiciebant, præſertim ſuperſtitibus liberis ex prioribus nuptijs , ἀδικεῖ δὲ τοὺς γνησίους αὐτοῦ παῖδας, παρασπείρων τούτοις καὶ νόθους: & germanos ſuos liberos afficit iniuria , dum præter eos etiam ſpurios procreat, inquit Mat. Blaſtares, περὶ τοῦ νόμου τῆς ἑνώσεως. Eodem modo dicimus iuſtos ex concubina natos , quam ſi deinde vir vxorem duxerit, legitimi fiunt , *cap. 1. hoc tit.* ſubſequens enim matrimonium defectum reparat , quod Iuſtinianus primum ſtatuit *in l. cùm quis, & l. nuper. C. de natural. lib. Nou. 12. & 18.* Caſſiod. *7. Var. epiſt. 40.* Diuerſa prorſus ratio eſt eorum, qui ex meretrice, vel adultera editi ſunt, viuâ vxore legitimâ ; hi enim per ſubſequens matrimonium nec iuſti, nec legitimi eſſe poſſunt, nec ad patris hereditatem admitti, *cap. Tanta. hoc tit.* non enim poſſunt fieri legitimi per ſequentes nuptias, niſi eo tẽpore quo concepti ſunt, parẽtes iure cõiungi potuerint, *c. cauſam. hoc tit.* non durante priori matrimonio, niſi iudicio Eccleſiæ ſolutum fuerit , *cap. Perlatum. hoc tit.* causâ cognitâ, vel ſuadẽte vtilitate publicâ, *cap. vlt. hoc tit.* ſi expedierit, vt dicitur in *can. ſi qua mulier. 31. q. 1.* Alia ratio eſt in *cap. Referente, & cap. penult. hoc tit.* cùm mulier ignara nubit vxorem habenti , vel

Digitized by Google

conſanguineo, hanc ignorantiam æquitas amplectitur, vt filij legitimi cenſeantur, dummodò re cognitâ ſtatim receſſerit à viro, *l. 38. ſi adulterium.* §. *1. ad l. Jul. de adult.* erranti enim in facto ſubuenitur, *l. 4. C. de inceſt. nupt.* non ità ſi quæ errans in iure nupſerit, hæc enim ignorantia non excuſat etiam milites, *l. Miles. §. 1. ad l. Jul. de adult.* ſed nec ætatis ratio habenda eſt, niſi ignorantia ſubſit, ſic enim intelligi debet *l. Auxilium. 38. de minorib.* quia in delictis, minoribus non ſubuenitur, *l. ſi ex cauſa. eod.* quia pugnat ius naturale, *l. probrum, de verb. ſignif.* & hoc tam in maſculis, quàm fœminis iure gentium locum habuit; ſed ius ciuile mitiùs egit cum fœminis, quæ cum ſexus imbecillitate lubrico ætatis peccauerunt, etſi ignorantia iuris defuerit: non ità in mare in quo præter ætatis defectum hæc ignorantia deſideratur, vt Cuiacius docet ad *d. l. 38.* & confirmat fragmentum nuper editum *lib. ſing. de adulteriis: qui errore cognito diremit coitum, creditur eius voluntatis fuiſſe, vt ſi ſciſſet ſe in eo gradu neceſſitudinis fuiſſe poſitum, non fuiſſet tali matrimonio copulatus.* Ideò ſtatim, & ſinè procraſtinatione coniunctioni renunciare debet, *d. l. 4.* quod ſi ſciens permanſerit tunc conſenſiſſe præſumitur, *can. Conſtat. 1. q. 1. cap. Ad id. ſup. de ſponſalib.* Hæc tamen tam de mare, quàm de fœmina dicenda facilè adduci patior, & licèt ſemper faueat ætas, tamen errorem deſiderari, quod oſtendere videtur Papin. *in d. l. excuſari ſolet ſexu, vel ætate, vtique ſi error allegetur.* Hunc errorem deſiderauit ius canonicum, *cap. cùm inhibitio. §. 1. ſup. de clandeſt. deſponſat.* vbi notandum reſtricta fuiſſe ſub eodem Innocentio III. in Concilio generali quæ ſuprà diximus, ante enim errãtibus in facto ſubueniebat *d. cap. Ex tenore,* ob eam rationẽ, quia qui poteſt ſcire & non ſcit, perinde eſt ac ſi ſciret, & is affectator ignorantiæ præſumitur *d. cap. Cùm inhibitio. §. 1. ignorantia craſſa, dolo comparatur,* hoc eſt quod ait Theodoſius in *d. l. 4. errore acerrimo non affectato inſimulatóque*; nec omnis ignorantia facti excuſat, ſed ea tantùm quæ ratione non caret; iuris verò ignorantia non fauet etiam fœminis, niſi diuturnitate tẽporis fulciatur, *cap. Peruenit. hoc tit.* non quòd ipſo iure lex eis ſuccurrat, ſed quòd debeant reſcripto principis id beneficium obtinere, *l. qui in prouincia. de ritu nup.* nec id Papa ſolet indulgere, niſi in ſpiritualibus, ne in tẽporalibus iuri aliorũ præiudiciũ faciat, *cap. per venerabilem. hoc tit.* Ignorãtia autẽ neceſſaria non eſt in vtroque cõiugũ, ſed in vno fauore prolis, *d. cap. ex tenore.* aliter enim quis foret partim legitimus, partim illegitimus, quod fieri non poteſt; ſicut de ſtatu libertatis dicitur in *l. ſi duobus: de ſtat. lib.* Et verò *d. cap. cùm inhibitio,* nõ loquitur de ignorãtibus, ſed de ſcientibus impedimẽtũ quorũ proli ſciẽtiã obeſſe demõſtrat; niſi vnus ſcierit, alter ignorauerit: nec tantũ cõſanguinitatem, ſed etiam

Digitized by Google

gradum ſcire oportet, aliter præſumitur ignorantia aliquantula facti, quæ prodeſt liberis, licèt matrimonium nullum ſit, & ita intelligendum Conci. Trid. *cap.5. ſi quis intrà gradus prohibitos ſcienter contraxerit*, quod maximè decernit contra eos, qui omni timore diuino poſtpoſito in contemptum Eccleſiæ temerè contraxerint, vt docet etiam *Clementina vnica, de clandeſt. matrimon.* vbi glo. nimis rigidè omnem ignorantiã iuris damnat, quod quidem vnũ eſſe quantùm ad matrimonium fatendum eſt, ſed non in præiudiciũ prolis: quia & certum ignorantiam iuris excuſare mulierculas, ſicut & ruſticos, & imperitos, qui ſubtiliſſimam legũ & canonũ ſcientiam callere non poſſint, *l. vlt. C. de teſtamentis*: & hæc eſt ſentẽtia plurimorũ Interpretũ contra ſententiam glo. *in d. ca. vnico.* nam & *d. cap. cùm inhibitio*, loquitur de ignorantia craſſa, & ſupina, quæ non excuſat. Cur autem tam ſolerter diſtinguantur legitimi à naturalibus, & ſpurijs, ratio eſt; quia nec naturales, nec ſpurij patri ſuccedunt, nec pater illis; nec habent querelam inofficioſi teſtamenti, *l. ſi. ſuſpecta. §. 1. de inoff. teſt.* naturalibus aliqua data eſt prærogatiua, vt alimenta debeant eis patres, non verò naturalibus, *Nou.* Iuſtiniani *18. & 89.* teſtamento etiam illis pro varietate temporum hereditatem capere licuit, modò ex aſſe, modò ex tribus vncijs, modò ex ſemiſſe, non extantibus liberis legitimis, *l. 1. C. Theod. de natur. filijs. l. Humanitatis, l. Iubemus. C. eod.* & tandem vt ex aſſe iterum poſſint inſtitui ſtatuit *d. Nou.* Iuſtiniani: id conſuetudinis regiæ fuiſſe Seruius docet, *vt liberi ex concubinatu ſuccederent, alijs deficientibus, in tertium Æneid.* Apud Græcos mille drachmas accipiebant, & id vocabant νοθεῖον, apud Harpocrationa, & Ariſtophanẽ. Quod in Gallia obſeruatũ docent veteres formulæ, quæ ex lege & cõſuetudine id fieri dicũt. Aliud eſt in matribus, quibus ſuccedut ab inteſtato filij ſpurij ex Senatuſconſulto Orfitiano, *§. nouiſsimè. de ſenatuſcon. Orfit.* & eis competit querela inofficioſi teſtamenti *d. l. ſi ſuſpecta.*

## *QVI MATRIMONIVM ACCVSARE POSSVNT, vel contra illud teſtificari.*

### TIT. XVIII.

CAVSAS quibus matrimonium nullum, vel inutile fit expoſuiſſe ſatìs non eſt, niſi & de perſonis quæ accuſandi, & impugnandi ius habent dicamus, quas eaſ[illegible]em eſſe cum illis quæ crimen adulterij intendere poſſunt non omnino admittendum eſt,

eſt; quippe maritus præcipuam habet adulterij accuſationem, *cap. maritis. inf. de adulteriis*; qui tamen non poteſt impugnare matrimonium contra legem contractum, quia videretur tædio, irâ, vel odio, vel etiam nouarum nuptiarū deſiderio id facere, *cap.2.hoc tit.in 1.comp. c. 2.eod.in 2.cōpil.* niſi ſtatim, vel breui poſt nuptias tēpore hanc accuſationē inſtituerit; quia ſi longū tempus cum vxore ſinè rixa egerit, non eſt audiendus; *ſi eam longo tempore tenuerit, non debet vox ſua accuſationis admitti, niſi alia perſona idonea apparerent*, inquit Alex. III. *in d. cap. 2. longum tempus*, quale ſit, & quale intelligat Pontifex non eſt in comperto. Accuſatio quidem adulterij debet fieri intrà ſex menſes vtiles, *l.4. §. 1. & l. Miles. §. ſexaginta. ad l. Iul. de adult.* ſed an idem tempus huic accuſationi conueniat, quod non videtur ſentire Alex. qui in *cap. 1.* aliquot annos conſtituit, & in eo laborat Gloſſ. ait enim ſaltem duos ſinè vllo fundamento, ſatius eſſe triennium præfigere, quod ſolet indulgeri conquerētibus ob frigiditatem, vel maleficium *cap. Laudabilem. ſup. de frigid.* aut potiùs decennium, quo longum tempus definitur apud Paulum *5. ſentent. tit. 2.* & Iuſtinianum in *l. vlt. C. de longi temp. præſcript.* quod tempus intelligere videtur Alexander, dum in *d.cap.2.* minorem terminum coniugibus, quàm parentibus præfigit, nempe vt vnus coniugum poſt longum tempus non poſſit conqueri, ſed nec parentes, ſi accuſationem inſtituant poſt decem & octo, vel viginti annos; quam conſtitutionem confirmauit Innocentius III. in *cap.2.eod.in 3. compilatione.* nec tamen id indiſtinctè accipiendum eſt; ſiquidem coniuges, vel parentes accuſatores, qui tempore matrimonij, vel paulò pòſt impedimentum didicerunt, non ſunt inuicem audiendi, quum ſit tolerabilius contrà ſtatuta canonum coniunctos pati, quàm contra ſtatuta Domini ſeparare, *cap.3. eod.in 3.compil.* quod confirmat Innocētius III. *in cap.vlt.hoc.tit.* hâc cautione tamen adiectâ, vt ſi tempore contractus præſentes fuerint, qui poſteà accuſare volunt, & dum banna, & denunciationes publicè in Eccleſia proponerentur tacuerint, non ſint audiendi; ſed tantùm qui abſentes, vel iuſtā ignorantiæ cauſam habuerunt. Et aduertendum, Pontifices non ideò legem Eccleſiæ deſtruere, quæ matrimonia inter conſanguineos & affines dirimunt, ſed pro temperamento adhibent æquitatem longi temporis, & liberorum procreationem, tum etiam ſilentium, quæ omnia tueri potiùs debent: non quòd ipſi nominatim id comprobent, ſed ſub diſſimulatione tales perſonas ſimul manere permittant, vt ait Clem. III. *in cap.2.hoc tit.in 2.compil.cap. 1.eod. in tertia*: nec enim quādocumque libuerit debet patere via impetendi matrimonij accuſatoribus: ſic in-



Digitized by Google

telligi debent *canon, Notificamus, & ſeqq. 35. q. 6.* non verò idem tēpus diutinum in aliis impedimentis ſeruādum eſt; ſi enim ob ſolennia omiſſa, vel ætatis defectum accuſatio inſtituatur ab vno cōiugum, vel à parentibus, ſanè modicum tempus quo ſimul & pacificè cōiuges vixerūt, ratum matrimonium facit & confirmat, ità vt diſſolui, & impugnari nō poſſit; *cap. inſuper. hoc tit. cap. de illis, ſup. de deſponſat. impub. cap. 1. de matrim. contracto* &c. *in 1. compil.* Qui autem ſunt, qui ad accuſationem admittendi ſint, refert Fabianus in *can. 1. & Celeſtinus in can. 2. 35. q. 6.* parentes nēpe, fratres, propinqui, tū deinde cognati, nec hi ſolùm, ſed etiam extranei, *d. can. notificamus.* non ità in accuſatione adulterij, ex conſtitutione Conſtantini; ratio eſt, quia in illa magis læditur publica cauſa, in hac parentum tantùm & propinquorū, intereſt, quos verus dolor tangit, *l. Quamuis. C. ad l. Iul. de adult.* Harmenopulus *lib. 6. tit. 1.* hîc ergo teſtes, & accuſatores etiam extranei admittuntur dūmodò ſint omni exceptione maiores, *cap. 1. de conſang. & affinit.* nec eos excludit Clem. III. *in cap. Videtur. hoc tit.* quia ordinem tantùm quo accuſatores admittuntur proponit, vt poſt parentes, & proximiores viri ætate & famâ graues recipiantur, duo, aut tres ex antiquioribus, *d. can. notificamus.* ex ſenioribus & melioribus loci, ait Eugenius III. *in cap. Quoties. ſup. de teſtibus,* quod reſcriptum Alexander III. inſeruit Cōcilio Lateranenſi. Hoc autem intelligitur tam de teſtibus, quàm de accuſatoribus, qui enim accuſare poteſt, is & teſtis eſſe poteſt, *cap. 4. ſup. de teſtib.* non tamen idem & teſtis, & accuſator eſſe poteſt, *cap. 1. de conſanguinit. in 4. collect.* ſed nec abſens debet eſſe, nec ſuam accuſationem per tabellam referre, *can. per ſcripta. 2. q. 8.* nec obſtat *canon 1. ead.* quo Calliſtus vetat accuſatorem ſinè ſcripto recipi; hoc enim ità intelligendum, dicta teſtium & accuſatorem ſinè ipſorum præſentia, ac ipſorum præſentiam ſinè ſcripto non ſufficere, ſed vtrumque deſiderari; hoc vult Clemens in *cap. 3. hoc tit.* ait enim eos per ſolam chartulæ conſcriptionem non admitti: ſed de his ſuprà *tit. de teſtib.* hoc tantùm addendum, contra matrimonium non temerè admitti debere accuſatores & teſtes, ſed maturè & præſtito priùs iuramēto corā Epiſcopo, conuocatâ ſynodo debent probare gradus omnes conſanguinitatis, *cap. ex literis. de conſanguinit. ſup. can. Epiſcopus. 35. q. 7.* & in his probationibus accuratè videndum, ne confingatur affinitas ad ſoluendum matrimonium, vt ſæpè fit, & docet P. Damian. *de contemptu ſecul. cap. 29. Si quis vxoriæ calamitatis incommoditate percellatur, ipſe vir falſa conſanguinitatis lineam texit, & inaudita proauorum nomina per multa argumenta confingit, atque ſimul quoſdam in huiuſmodi allegationis teſtimonium aduocat.* Per

Digitized by Google

ſynodum autē intelligimus conſiliū Epiſcopale, forum, ſeu audientiam, Epiſcopale iudicium, quod conſtat ex competenti numeio ſacerdotū, *l.9.C.de Epiſc.audient.* vocatúrque conuentus ſacerdotalis, & ſanctum iudicium in *l.45.C.Theod.de Epiſc.& cler.* & vniuſcuiuſq; diœceſeos ſynodus in *l.23.eod.* nec alios ſibi aſſidētes iudices habet Epiſcopus, quàm Canonicos, *cap. ex literis. tit. ſeq.* his verbis, *conuocato Capitulo ſuo.*

## *DE DIVORTIIS.*

### Tit. XIX.

ACtvm eſt de modis impediendi & ſoluendi matrimonij; ſed quia diuortium præcipuus eſt, rectè hic titulus ſubiungitur. Diuortium latiùs patet in hoc iure, quàm ciuili, & potiùs repudium dicendum eſt; ſiquidem diuortium locum habet tantùm inter coniuges, repudium inter ſponſos & coniuges, *l.2.de diuortiis,* quæ ſumma eſt & vulgaris diſtinctio inter repudium & diuortium, quam ſequitur Balſamon in *tit. 13. Nomoc. Photij*, ſed non vnica; quippe differentiæ aliæ ſunt: diuortium propriè illud erat quod fiebat ex vtriuſque conſenſu & contractu rite peracto, *l. Nullum. eod. l. Juris gentium. §. vt putà. de pactis*, vel bonâ gratiâ. *l. Cùm hic ſtatus. §. ſi diuortium. l. vitricus, & ſeqq. ff. de donat. inter virum & vxor.* hâc formulâ; *licet tibi cum bona venia alij nubere, dum te amicus amicam relinquo*; ἔξεστιν ἀπαλλάττεσθαι πρὸς ἕτερον εὐμενῶς καὶ πράως ἐκδιδωμένην παρὰ φίλου φίλην, vt ſcribit Damaſcius in vita Iſidori: quod oſtendit etiam definitio diuortij, quam tradit Caius in *l. 2. de diuortiis*, quòd dicatur à diuerſitate mentium, quia in diuerſas partes eunt qui diſtrahunt, matrimonium, id eſt, eodem conſenſu quo contraxerunt, recedunt *l. Nihil. de reg. iur.* & ſicut in contractu, ità & in diſtractu certa ſolennia adhibebantur, & ſeptem ciues Romani teſtes ex lege Iulia, *d. l. nullum:* & hoc eſt quod ait *lex vnica. ff. vnde vir & vxor: lex Julia de adulteriis, niſi certo modo diuortium factum ſit pro infecto habet*; ideò in eo contractu cauſa ſolutionis non inſpiciebatur, ſed voluntas, καὶ χωρὶς αἰτίας ὁπηνίκα βούλοιντο: id eſt, *idque ſinè cauſa quando volebant*, ait Zonaras in *can. 5. Apoſt.* quod correxit Iuſtinianus in *l. conſenſu. de repud. & Nou. 22.* ſtatuens diuortium ſinè cauſa fieri non poſſe: voluntas autem illa rata non cenſebatur, nec contractus firmus, quem penitentia ſubſequebatur, ſed erat potiùs friuoſculum, iurgium friuolum & momentaneū, *d.l. Cùm hic ſtatus,*

τὸ κατ᾽ ὀργὴν, καὶ θερμότητα λεγόμενον, id eſt, *per iram & calorem*, dicunt Baſilica *tit. 3. cap. 48.* ira quæ non habet ἐπιμονὴν, *perſeuerantiã*, & animum *perpetuæ diuiſionis*, vt loquitur Paulus in *l. 3. de diuortiis*, ſed ob *noxiam*, id eſt, *iurgium*, vt loquitur Plautus in Caſina : breuem furorem, qui non perficit diuortium, ſicut accuſatio quæ fit aliquo æſtu, reum non facit, *can. Si quis iratus. 2. q. 3.* Repudium differebat olim à diuortio, quia vnius tantùm voluntate fiebat, adhibitis certis & ſolennibus formulis ex lege XII. Tab. *Tuas res tibi agito, l. 2. hoc tit.* legitimam obſeruationem vocat Vlp. *d. l. cùm hic.* hâc formâ repudij vir expellere & eiicere vxorem dicitur; vxor verò maritum derelinquere à D. Chryſoſt. *Serm. 19.* ἐὰν τοίνυν ὁ ἀνὴρ ἐκβαλεῖν βούληται τὴν γυναῖκα, ἢ γυνὴ τὸν ἄνδρα ἀφεῖναι, id eſt, *Quando igitur vir eiicere vult vxorem, & vxor relinquere virum.* &c. nõ exſpectatur verò vtriuſque conſenſus, ſed vnius voluntas tantùm facit, quantùm vtriuſque, *l. ſi conſtante. C. hoc tit.* & quia iuſtæ cauſæ erant olim incertæ, & ex arbitrio iudicis pendentes, eas certas ſtatuit Iuſtinianus in *d. l. Conſenſu*, &, *l. fin. C. hoc titulo*, quas ſi temerè quis proponebat, & βίβλιον ἀποστασίου ſcribebat, vxor quidem perdebat dotem, & donationem propter nuptias reſtituebat; vir verò donationem propter nuptias non repetebat, & dotem reſtituere cogebatur. Summa & præcipua cauſa vxoris dimittendæ fuit adulterium, ſecundùm leges ciuiles, at iure diuino vnica & ſola, *can. fieri. 32. q. 7. Matthæi 19. cap.* quã ideò Deus permiſit, vt grauius malum vitaretur, nempe homicidij in quod procliui fuiſſent mariti aduersùs vxores adulteras, niſi eas domo abigere potuiſſent, vt refert idem D. Chryſoſt. Differt repudium canonicum à ciuili, quia ciuile dirimit omnino matrimonij vinculum, & nouas nuptias permittit, ſi ſcilicet mutuo diſſenſu ſinè vllis vitiis vir & vxor ſeſe ſeiunxerint, & viro quidem ſtatim, mulieri poſt annum : ſi verò libello repudij, vir ſtatim, mulier poſt quinquennium; ità tamen vt is qui iniuſtè nuncium remiſerit nunquam ad alias nuptias poſſit aſpirare *l. 1. & 2. C. Theod. de repud.* hoc nunquam voluit lex diuina, licèt fuerint quidam, qui diuortia pro libito eſſe permiſſa aſſeruerint, vt Pepuziani, de quibus Zonaras *ad can. 7. Syn. Conſtantinop.* ſed nec ius canonicum comprobauit, ſiquidem coniugale vinculum manet, licèt coniuges ſint ſeiuncti *d. can. fieri*, &, *can. Placuit. ead.* hoc aureis verbis inſinuat D. Chryſoſt. quemadmodum ſerui fugitiui ſi domum heri reliquerint, catenam ſecum trahunt; ità & mulieres habent legem pro catena, τὸν νόμον ἔχουσι καταδικάζοντα, eas vincientem, & accuſantem eos qui ſibi tales adiungunt; ità vt ſecundæ illæ nuptiæ ſint perpetuum

Digitized by Google

adulterium,& pollutio potiùs, quàm cōiugiū, *μίασμα μᾶλλόν ἐστιν ἢ γάμος*; *can. omnes .32.q.7.* quod ità ſtrictè obſeruatur, vt dimiſſa vxor quæ deinde alteri nupſit, ſit excommunicata, & perceptione Dominici corporis, prætèrquàm in articulo mortis, priuetur, *can. fidelis. ead. can. 116. Concil. Carthag.* in quo demonſtrat Zonaras anteà moris fuiſſe, diuortio facto, nouis nuptijs alligari : ideò excommunicatus fuit Radulphus Viromanduorum Dux, & Epiſcopi Laudunenſis, Syluanectenſis, & Nouiomenſis ſuſpenſi, quòd ipſius coniugium ſoluiſſent, & ipſe Petronillam ſororem Reginæ Francorum duxiſſet, vt ſcribit Robertus *ad Sigeb. anno 1142.* & ob id grauiter excandeſcit D. Bernardus *epiſt 216.* Quidam peſſimè aſſerere auſi ſunt maritum dimiſsâ vxore ob adulterium, aliam ducere, & alio iure vti, quàm vxorem ipſam poſſe, ex *can. vxor. 32. q. 7.* vbi id tam dilucidè aſſeritur à B. Ambroſio, vt dubitandi locus non relinquatur; quod confirmat *canon 2. Concilij Venetici* ſub Leone I. *Eos qui relictis vxoribus exceptâ causâ fornicationis, ſiue adulterij probatione, alias duxerint, ſtatuimus à communione arcendos*; quod confirmari videtur *cap. Matthæi 19.* & tam apertum ſit, vt à quoquam ſuſtineri talis error non poſſit, quippe contrarius verbis Apoſtoli, quod ex *can. præcepit. 32. q. 5. can. Nihil. 32. q. 6. d. can. hi verò. 32. q. 7.* & alijs probat Iuo Carnot. *epiſt 122. & 125.* quum & alibi D. Ambroſius contrarium ſentiat, & legem æqualem faciat tam in viro, quàm in muliere *lib. 1. de Abraham. cap. 4.* & dilucidè Marcus *cap. 10.* Nec iuuat quòd in veteri lege libellus repudij daretur tantùm maritis, non vxoribus, *cap. 24. Deuter.* & apud Ioſephum *lib. 15. cap. 11.* tum quòd D. Matthæus id cōfirmare videtur, cùm exceptâ causâ adulterij vetat maritos diuertere, alias vxores ducere, & tam in lege veteri, quàm noua, adulteras fœminas, non viros accuſari & puniri videamus; quia certè maius ſcandalum eſt propter turbationem ſanguinis, & prolis dubitationem, quæ eſt ratio iuris ciuilis. Vnicus caſus eſt in quo ſolui poteſt vinculum matrimonij, & licet alias ambire nuptias; ſi ex duobus paganis & infidelibus, alter fiat Chriſtianus, quod ex Apoſtoli ſententia confirmat Innocentius III. *in cap. Quanto. 7. hoc tit.* liberum enim eſt diuertere maximè ſi infidelis diſſentiat; & quamuis fideli nouiter facto diſcedendi facultas concedatur, tamen eâ crebrò vti improbat Apoſtolus in *can. Iam nunc. 28. q. 1.* hoc in arbitrio poſitum eſt; nec enim fidelis dimittere infidelem prohibetur, nec etiam iubetur, *can. ſic enim. ead.* Similiter id dicitur de infidelibus intrà gradus conſanguinitatis coniunctis, quorum vnus fit Chriſtianus; poteſt enim ſi velit ab infideli recedere, vt rectè oſtendit Iuo *epiſt. 230.* Qui verò ſcientes, legi-

Digitized by Google

bus Ethnicis non contradicentibus, coniuncti fuerint, Chriſtiani effecti ſolutionem petere non poſſunt, *cap. de infidelibus. ſup. de conſang. & affinit.* quod tamen non ità obnixè ſentire videtur Innocentius III. in *cap. Gaudemus*, imò potiùs innuit eos poſſe ſolui, his verbis: *liberè poſſunt & licitè remanere coniuncti*: hoc verbum (*poſsunt*) indicat nullam eſſe neceſſitatem, ſed liberum eis eſſe perſeuerare, vel diſcedere; nec idallenũ eſt, eò quòd lex canonica horreat inceſtum, & ob id vitium matrimonium ſolui iubeat. Verumtamen quia Iudæus, aut infidelis non adſtringitur ad legis canonicæ obſeruantiam, niſi poſt baptiſmum, id quod geſtum eſt ex more gentis, vel ex lege antiqua, ſeruandum eſt, dummodò non ſit directè contra legem diuinam, vt eſt prohibitio inter aſcendentes & deſcendentes, & inter collaterales in primo gradu, *cap. 18. Leuit.* nam ſi eſſet contra legem diuinam, matrimoniũ omninò foret dirimendum, quod optimè docet Panormit. *in d. cap. de infidelibus*; dicto quidem caſu matrimonium ethnico more factum contra canones, poſt baptiſmum valet, ex æquitate potiùs, quàm ſtricto iure, fauore Chriſtianæ fidei, à qua viri timentes ſe deſeri ab vxoribus ſuis, facilè poſſent reuocari, vt ait Innocentius in *d. cap. Gaudemus*. Et notandum eſt hunc ſolum & vnicum caſum eſſe, quo matrimonium ritè & legitimè factum ſolui omnino poſſit: nam ob adulterium & alia crimina, ſeparantur coniuges, & diuertunt, ſed vinculo matrimonij detinentur. Non hîc addo quæ de ſeparatione & ſolutione ob abſentiam vnius coniugum dici poſſent, quamuis huic titulo accommodè, ſicut indicat *titulus de diuortijs, & repudijs* tam in Pandectis, quàm Codice; agitur enim de ſoluendo matrimonij vinculo ob diuturnam mariti abſentiam, iudicio & autoritate Eccleſiæ, *cap. In præſentia. ſup. de ſponſalib.* quæ propria eſt huius tituli materia; ſed quia de his anſam nobis præbuit Raimundus *in cap. 2. infra, de ſecundis nup.* illuc tractatum reijcimus.

## *DE DONATIONIBVS INTER VIRVM & vxorem, & de dote poſt diuortium reſtituenda.*

### Tit. XX.

POST diuortium iudicio Eccleſiaſtico celebratum, ſupereſt reſtitutio dotis, ideò hic titulus concipitur *de dote reſtituenda*, ſicut & in 1. *2. & 3. compil.* nullâ factâ mẽtione de donationibus inter virum & vxorem de quibus Gregorius IX. ſolus mentionem,

Digitized by Google

facit in *cap. vlt. hoc tit.* Et quidem dotis reſtitutio facienda eſt vxori quocunque modo ſolutum fuerit matrimonium, non ſolùm morte, ſed etiam diuortio, iuſto nempe, & legitimo, & ſinè vitio, & culpa vxoris, *cap. 1. & 3. hoc tit.* quam ſi ab omni accuſatione liberam dimiſerit, maritus omnem dotem reſtituere debet, vt ait Conſtantinus *in l. 1. C. Theod. de repudijs*: ſicut è contrario ſi rea criminis alicuius ſit, veluti adulterij, repellitur ab omni exactione dotis, *l. vlt. C. ad l. Iul. de adul. cap. 4. & 5. hoc tit.* quod veteri iure ciuili nō obſeruabatur, quo mediâ tantùm dotis, ac tertiâ bonorum parte priuabatur, apud *Paulum 2. ſent. tit. 27. arg. l. Cùm mulier. ſoluto matrim.* & non ſolùm à dotis repetitione arcetur, ſed etiam dotalitij, *cap. Plerumq. hoc tit.* per dotalitium non quidem παράφερνα, quæ peculij nomine continentur, ſignificantur, *l. ſi ergo. §. dotis. de iurê dotium*, *l. Filia. C. ſoluto matrim.* quia ſinè dubio quantumlibet criminis rea fuerit mulier, & adultera, non amittit ea, quæ contemplatione matrimonij repræſentata, vel conuenta non fuerunt, pro quibus marito nullo pacto tenetur, *l. 3. C. Ne vxor pro marito.* Per dotalitium igitur debemus intelligere lucra nuptialia, quæ vxori obueniunt morte mariti, ſiue ſint ἀντίφερνα, ſiue ὑπόβολα, ſiue θεώρετρα; ſiquidem ἀντίφερνα, id eſt donationes propter nuptias ex pacto conuento, vel ſtipulatione, vel etiam conſuetudine, aut pro parte, aut in totum cedunt lucro vxoris, *l. Ex morte. C. de pactis conuent.* ſicut è contrario æqualitate ſeruatâ, dos tota, aut pars cedit lucro mariti, *Nou. 79.* donationes olim quidem dabantur ex lege, non ex conuentione, tantam enim pecuniam hoc nomine maritus dare debebat, quantam vxor dotis causâ; ſed deinde dari cœperunt etiam ex cōuētione, quod declarat Balſarmon in *Nomocan. Photij, tit. 13.* ὑπόβολα verò ſunt incrementum dotis, quod vxori ſuperſtiti ſupra dotem redditur, quod eſſe iure communi τρίτον τῆς ποσότητος ὅλης εἰς ἣν ἡ προὶξ, id eſt, *trientem, vniuerſæ ſummæ in quam dos redacta ſit*, ait Harmenop. *tit. 10. lib. 4.* olim verò erat dimidia pars dotis, vt idem refert, quod ius Toloſates noſtri ſequuntur, & in eo conſuetudo protinùs conſentit. Apud quoſdam populos non tertiam partem dotis ſuæ lucrabatur vxor, ſed bonorum omnium mariti, vt apud Neapolitanos *lib. 3. Conſtit. Neapol.* & apud Nortmannos, vt refert Cuiacius ad *lib. 2. feud. tit. 9.* hoc lucrum, ſeu ὑπόβολον ſucceſſit in locum donationis propter nuptias, & ità nomine hypoboli cenſentur etiam donationes propter nuptias. Ἀντίφερνα, vt oſtendit Balſamon loco citato, dicuntur apud Longobardos, Ripuarios, & Alamannos in legibus eorum morghanheba, & morgantica apud Mediolanenſes *lib. 2. feud. tit. 29.* manè enim nup-

Digitized by Google

tiarum ſolebat maritus ὑπόβολον vxori conſtituere vulgò, dotarium, doarium, dotalitium, *can. penult. 26. q. 2.* imò & dos dicebatur, quia eſt æquamentum dotis, contraria dos, vt annotauit doctor egregius: dicitur & donum matutinale apud Greg. Turon. *lib. 9. hiſt. Franc.* quamvis tamen ſatius exiſtimem diſtinguenda, ab hypobolis dona matutinalia, quæ ſunt diuerſa, & dicuntur ἀνταύλια, καὶ ἐπαύλια, ὀπτήρια, καὶ ἀνακαλυπτήρια à Iulio Polluce *lib. 3. cap. 4.* quæ dãtur ſponſæ tum à ſponſo, cùm à parẽtibus, & cognatis in *l. 1. §. præterea. de tutel. & rat. diſtr.* Symmachus *epiſt. 79. lib. 9.* ſed & ab amicis & ciuibus, teſte Apuleio, *Apol. 2.* & conſiſtunt in annulis, thecis, pyxidibus, pectinibus, vnguentis, ſpeculis, & aliìs quæ ad mundùm muliebrem pertinent, vt refert Suidas. Dabantur etiam ſemiaurei nummi in ſingulas dotis libras, idque tunc dicebatur θεωρητρον, apud Harmenop. *lib. 4. tit. 10.* Dabat pariter ſponſa pro munere ſuo ſponſo die ipſa nuptiarum veſtes, quæ ἀπαυλιστήρια vocantur à Polluce. Hæc omnia dotalitij nomine comprehenſa, ob adulterium, vel aliquam aliã iuſtã cauſam vxor dimiſſa amittit, ex ſententia Clemẽtis, *d. cap. plerumque*: nonità de leuibus munuſculis, præſertim quæ ad delicias, vel ad eſcam præbebãtur, quæ in reſtitutionẽ venire non debuerunt, veluti χένια, id eſt, *placentacei panes*, de quibus Athen. *lib. 11.*

De donationibus inter virũ & vxorẽ eſt altera pars tituli, quam totam deſumpſit Gregorius in *cap. fin. hoc tit.* ex iure ciuili, & omnia ità comperta sũt, vt hìc tractare ſuperuacaneũ ſit, cùm omnino cõueniat ius canonicum cum ciuili, tam circa caſus quibus confirmatur, quàm quibus infirmatur donatio, quæ olim nullius erat momẽti, niſi nominatim donator teſtamẽto ſuo cõfirmaſſet, donec ratio DD. Seueri & Antonini effecit, vt ſilentio & morte confirmaſſe cenſeretur, *l. 3. l. Cùm ſtatus. de donat. inter virum.* Non ità in concubinis quibus licuit donare; ratio hæc fuit, ne fiat venalis concordia inter coniùges, *d. l. 3. §. Diuus*, inter quos plenior eſt affectio & dignitas quàm cum cõcubina, alioquin nullus eſſet finis ſibi inuicem donandi, *l. vlt. C. Theod. de legit. hered.* hoc caſu procul dubio differt ius noſtrum à ciuili, quia donatio facta concubinæ hodie nullius debet eſſe momenti, cùm concubina damnetur, licèt primis temporibus licita fuerit aliquomodo, ſi nempe is qui vxorem non habebat concubinam habuerit, & eam affectione pænè maritali vſque ad vltimum vitæ ſpiritum tenuerit, *can. is qui. & ſeqq. 34. diſt.* quod omnino damnatur hodie Concilio Tridentino. Cùm igitur ſit turpis coniunctio damnata hoc iure, donatio ſuſtineri non debet, multò minùs in clericis, exemplo militum in *l. 2. C. de donat. inter virum*: clerici ſunt milites Chriſti, *can. Non eſt. 15. q. 1.* vt ſupra adnotauimus.

DE

Digitized by Google

## *DE SECVNDIS NVPTIIS,*

### TIT. XXI.

SOLVTIO matrimonij fit autoritate Eccleſiæ, vt libertas ſubſit vnicuique alias quærendi nuptias, quod quando fieri poſſit dicendum nunc, & ideò titulus conceptus eſt de ſecundis nuptijs, quo nomine tertias, quartas, quintas, & vlteriores intelligimus, *can. Aperiant*.31.*q*.1. quæ omnes quantumuis numeroſæ permittuntur, & tolerantur, ac licitas eſſe demonſtrant canones ſequentes, contra errores Cataphrygum, qui eas damnabant, vt referunt Euſebius & Epiphanius. Alij verò eas viduis tantùm adoleſcentioribus fuiſſe permiſſas contẽdebant, contra mentem Apoſtoli, vt ſcribit Zonaras ad *can*.1.*ſynodi Laod.* Permittuntur ſecundæ omnibus, quas tamen D. Amb. *epiſt. 25. ad Vercellenſ.* ſignum incontinentiæ appellat. Differentiam ponebant antiqui Eccleſiæ canones, cum digamis enim mitiùs agebant, quàm cum trigamis, omnes quidem pœnâ plectebantur, & à communione fidelium arcebantur, illíſque poſt exiguum tempus ex venia dabatur communio, *can. 1. ſyn. Laod.* hoc tempus penitentiæ, ſic enim vocat *can. de his*. 31.*q*.1. annuũ fuiſſe, vel etiã bienniũ ſcribit D. Baſilius *in can. 4. ad Amphi.* trigamis duriorẽ pœnã infligebãt anathemate triũ annorũ, & ſic deinceps pro ratione polygamiæ, *can.* 3. *ſyn. Neocæſarianæ, & d. can. de his*: tertias enim nuptias non ampliùs matrimonium dictitabant, ſed πορνείαν κεκολασμένην, id eſt, *caſtigatam fornicationem*, ſcilicet non effuſã & liberã, ſed in vno cõplexu conſtrictã, vt ſcribit Balſamon, qui & tertias nuptias olim in Eccleſia C P. fuiſſe omnino vetitas ait, quartas verò perpetuo excõmunicationis vinculo innodabãt. Sic etiam reſpõdet Balſamo ad interrogationes Marci Alexãdr. *cap*.41. quod aliquatenus tolerari ſolebat in his qui nondum quadrageſimum ætatis annum attigerant. Idq; ità ſtrictè obſeruatũ, vt etiam Leo Imp. ob quartas nuptias à Nicolao Patriarcha ſegregationi ſubjectus fuerit, vt ſcribit Matth. Blaſtares, περὶ τοῦ νόμου τῆς ἑνώσεως. Hoc Eccleſia Latina nunquam probanit, vtpotè contra mentem Apoſtoli octogamiam etiam permittentis, vt ait D. Hier. in *d. can. Aperiant*, iniunctâ tamẽ aliquâ penitẽtiâ, quę erat ſpecies excommunicationis: ideò in Cõcilio Neocæſar. *can*.7. presbyteri prohibentur intereſſe conuiuijs ſecundarum nuptiarũ, ne ſcilicet cum excõmunicatis verſarentur, quod & in *can. 38. collectionis Martini Braccarenſis*, reperitur: *Presbyterum ad ſecundas nuptias conuiuam fieri non*

*oportet, propterea, quod hi qui ad ſecundas nuptias veniunt penitentiam poſtulant.* Nec id de bigamis ijs qui relictâ vxore aliam ducunt. eſt, tantùm intelligendun, vt quidam putauerunt, ob id quòd qui ſecundò, vel tertiò nubũt morte prioris coniugis non peccẽt, & penitentiâ non indigeant: Imò verò de his intelligitur qui libero & legitimo matrimonio cõiuncti ſunt, iterum poſt mortem prioris cõiunguntur, vt nominatim indicãt verba canonis 1. *ſyn. Laod.* τοὺς ἐλευθέρως καὶ νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις. Præter excommunicationem quâdam quaſi infamiæ & publici iudicij notâ inurebantur, & etiamnum hodiè hic mos ignominiâ & riſu afficiendi ſecũdò nubẽtes obſeruatur, adhibitis in contẽptum tumultibus & ſibilis, vulgò charibariũ dicitur in Cõcilio Turon. *cap. 13. Calybarium* vocat Scaliger in Coppam, à Græco verbo, καλύβα, quod ſonum ſignificare ait; quod ſi licet ariolari in exquiſitione huius vocabuli libentiùs deduceremus à Græco vocabulo, καρηβόαειν, quod eſt *caput clamoribus & ſtrepitu iactare*, vel χαριεντίζειν, id eſt *obuios conuicijs & probris laceſſere*, vnde & Latini dixerunt, cariuari, eodem ſenſu apud Feſtum, vel etiam à verbo καρηβαρεῖν, quod eſt *caput ebrietate onerare*, vt ex Ariſtophane refert Pollux *lib. 2. cap. 2.* nec id abſque ratione, quia tributum illud quod ſolet extorqueri à bigamis crapulæ & ebrietati impenditur Concilio Mediol. *l. 4.* adeò vt niſi ſoluãt, fiat ingẽs ſtrepitus & tumultus, vt ſcribit Benedicti in *c. Rainutius. in* verbo, *qui cum alia; ſit*, inquit, *niſi cõponãt cum ingenti ſolennitate cariuarium*: & Neguzanus in ſylua nuptiali, *in aliquibus locis eſt conſuetudo, quòd nubentes cum viduis ſoluant pro pelle, ſeu zabramari.* Et hæc exactio in pleriſque locis non fit tantùm die nuptiarum, ſed alijs etiam temporibus ex omnibus bigamis ſimul: quod cùm eueniſſet in ciuitate Lingonenſi, & ingens pecuniæ ſumma extorta fuiſſet, Carolus quintus ſuâ cõſtitutione in refectionem murorũ ciuitatis impendi iuſſit. Cariuarij verò originẽ deducũt quidam à ritu antiquo, quem *Ceruolum* dicebant; gẽtiles enim, Deorũ ſimulachris ceruinum caput appingebant quò ſordes & adulteria eorũ ſugillarent; & Artemidorus *lib. 2. c. 12.* mulierem quæ fidem non ſeruat marito, cornua ei facere dicit. Qui mos maximè pertinuit aduersùs polygamos, cùm iteratæ ſæpiùs nuptiæ non viderentur omninò matrimoniũ, ſed adulterium potiùs, & vt loquitur canon *hac ratione. 31. q. 1. ſecundùm veritatis rationem verè ſit fornicatio.* Hoc genus probri damnatũ fuit, & interdictũ cariuarium à Ioanne Turonenſi Arch. in *d. ſyn.* ſub pœna excõmunicationis, quod & anteà ſtatuerat magnus ille Ludouicus de Barro propinquus regis Gallorum, Cardinalis creatus à Benedicto XIII. pſeudopapa, primũ Epiſcopus Lingonẽſis, tum deinde Pictauienſis, qui obiit ſub Martino V. anno 1425. quinetiam eos qui

Digitized by Google

talia ſcommata, & laſciuias effundunt, actione iniuriarum teneri ait Ioannes Faber, *Inſt. tit. de iniurijs.* Aufrer. *deciſ.* 140. *Capellæ Toloſ.* infamia quoque irrogari ſolita cœpit extingui, niſi eo caſu quo mulier intrà annum luctus nubit, *l.* 1. *C. de ſecund. nup.* propter duplicem rationem; ne turbatione ſanguinis oriatur prolis dubitatio, *l. liberorum. ff. de his qui not. infam.* qua de cauſa iure ſponſalium, & hypobolo priuatur, *l.* 2. *eod.* infamis verò non fit ex eo quòd luctus habitum non deferat, *l.* 15. *C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* quod tamen olim erat neceſſariũ, *l. gene* [illegible] *ff. eod.* Altera ratio eſt propter reuerentiam & honorem marito debitu[illegible] niſi is ſit de numero eorum qui lugeri non ſolent, τῶν μὴ πενθουμένων, vt ſu[illegible]nt maieſtatis rei, & qui in publica crimina lapſi ſunt, εἰς δημόσια ἐγκλήματα, quorum mulieres anno luctus non adſtringuntur, *Nou. Iuſt.* 22. *c.* 22. & Matth. Blaſtares *libro de cauſis matrimonialibus.* Nec tantùm nupta incurrit infamiam, ſed etiam ſponſa per verba de præſenti, quia iam contractum eſt matrimonium, *cap.* 9. *& penult. ſup. de ſponſalib.* licèt turbatio ſanguinis non præſumatur, ait gloſ. *in l. vxores. eod.* nec enim ſola illa ratio eſt ob quam intrà annum luctus viduitas iniungatur, ſed vt honor habeatur defunctis maritis, qui dolor ex veſtibus diſcernitur, maximè nigris, quibus vt plurimum vtebantur Romani. Tibul. *eleg.* 3. *lib.* 3.

*Oſſa incinctæ nigra candida veſte legant.*

*Apul. lib. 2. matronam flebilem fuſcâ veſte contectam.* Aliquando albis, vt teſtatur Herodianus in Seuero, ſaltem tegumento capitis, quod apud Rom. erat reticulum album, λευκὸν κεκρύφαλον apud Plutarchum, & Pollucem. Verùm hoc noſtro iure aliud voluit Alex. III. *in cap. penult. & vlt. hoc tit.* & ſeruatur in Gallia, ne ideò mulier infamiam incurrat, licèt aliquid priori; odij remanſerit; ſiquidem ſecundis nuptijs, ἱερολογία non impenditur, *cap.* 1. *hoc tit.* eam enim, cùm ſit ſacramentum, iterari vetat Vrb. III. in *cap.* 3. *hoc tit.* quamuis vt optimè diſtinguit gloſ. alia ſint ſacramenta quæ ſinè dubio iterantur, quod faciliùs in hoc eſſet indulgendum, cùm talis benedictio ſit ſimplex oratio ſuper hominẽ, *can. manus.* 1. *q.* 1. ſed id obſeruatur odio incõtinẽtiæ, quâ bigami dãnantur, ideóque prohibẽtur ab ordinibus ſacris: quomodo enim hortator viduitatis, eſſe poteſt qui coniugia frequẽtauit? ait D. Ambr. *in can. vna. 26. diſt.* bigamus arcetur à prærogatiua ſacerdotij, *can. fin. ead.* quæ lex antiquiſſima omninò eſt *in can. 17. Apoſtolorum.*

Reſtat hoc vnum, vt titulum ſimul & librum compleamus, an liceat fœminis ad ſecũdas nuptias conuolare propter abſentiam maritorum? quod omninò prohibetur *in cap. 2. hoc tit.* nec vxores vllâ carnis fragilitate, aut diuturnâ maritorum abſentiâ ſe tueri poſſunt, etiam cum

Eccleſiæ autoritate, ait In. III. in *cap. in præſentia.* 19. *de ſponſalib. can.* 1. *&* 2.: 34. *q.* 1. *eo nequaquam obſtante, quod de lapſu carnis poſſet opponi, cap. Quoniam.* §. *ſi autem. ſup. vt lite non conteſt.* D. Aug. *lib. de adulterinis coniugÿs,* laudat Syrias fœminas, quarum mariti negotiandi quæſtibus occupati, iuuenes adoleſcentulas deſerunt, & vix aliquando ſenes ad aniculas reuertuntur: exſpectãda eſt mors abſentis, & habendus certus mortis nuncius, *d. cap. in præſentia,* vel fieri debet inquiſitio, quâ rite peractâ, ſi de ea [illegible]ſtet, tunc nuptiæ conceduntur, *Nou. Iuſt.* 117. & *Nou. Manuelis,* καὶ περὶ[illegible] ἡ ἔρευνα τούτων ἐξ ἀποστολῆς τῶν γυναικῶν αὐτῶν, id eſt, *ſi iuſſu mulierum inquiſi[illegible] facta fuerit.* vbi notanda eſt Longobardorum conſuetudo, qui non inquiſitionis agendæ causâ ad loca vbi mariti degere exiſtimabantur mittere nuncios ſolebant, ſed versùs eas regiones in ſepulchris ſuis palum erigebãt impoſitâ deſuper columbâ, vt refert Paulus Vuernefridus *lib. de geſtis Longob. Vt ſciri poſſet,* inquit, *in quam partẽ is, qui defunctus putabatur quieſceret*: rationem non aliam quæſierim ego, quàm quòd columbæ diuinitatem tribuerent. Seruius: in Epiro dicitur nemus fuiſſe, in quo reſponſa dabant columbæ, ideò apud Lycophronem Caſſandra colũba vocatur, φάσσα: & Balſamon ad *can.* 61. *ſyn. VI. in Trullo,* refert quoſdam fuiſſe ariolos νεφοδιώκτας, qui per aſpectum candidæ nubis, quam περιστερὰν, id eſt, *columbam,* appellabant, futura quæque præſagiebant: imò & veteres, columbas pro nunciis habebant. Plin. *lib.* 10. *cap.* 37. potiſſimùm in hac materia, quòd columbæ Veneri ſacræ ſint. Adultera igitur eſt mulier, quæ non certior facta de viri obitu nubit, *can.* 94. *ſyn. VI. in Trullo,* & in eo ius noſtrũ à ciuili alienum exiſtimo, nam quinquenniũ illud, aut quadriẽniũ quod mulieribus indulgetur, quo trãſacto nubere poſſint in *l. vxores de diuortÿs, & l. vxor. C. eodem,* refertur tantùm ad milites, & captiuos, non ad paganos; illis ſi quidem *captis ab hoſtibus, ipſo iure ſolutum erat matrimonium, & quamuis vxor eſſet in domo mariti, non erat in matrimonio,* ait lex, *in bello. de captiuis*; nec iure poſtliminij recuperari poterat ex *l.* 8. *eod.* miles enim ſimulac ad bellũ profectus erat, mortuus habebatur, & ideò venia dabatur mulieri, *d. can.* 94. *D. Baſilÿ ad Amphil. can.* 36. Erat autem liberum militi redeũti vxorem recuperare, vel aliam ducere, ait Balſamon *in d. can.* 94. ignorantiam enim excuſare vxores militum ait Zonaras: quæ ſententia improbatur hoc iure, & damnatur *d. can.* 1. 34. *q.* 1. Quãtùm atinet ad paganos, non inuenitur legibus ciuilibus poſt abſentiæ quiquennium, nubendi poteſtatem mulieribus conceſſam fuiſſe *l.* 1. *de diuortÿs & repud.* niſi eo caſu quo dubitaretur an ſuperſtites eſſent mariti, *l. vxores, eod.* Harmenop. *lib.* 4. *tit.* 12. quod correxit Nouella Leonis 33. quæ nullo caſu vxorib. id permittit.

*FINIS LIBRI QVARTI.*

Digitized by Google

# DECRETALIVM LIBER QVINTVS.

## De accuſationibus, inquiſitionibus, & denunciationibus,

### *TITVLVS PRIMVS.*

A Civilibvs cauſis, contractibus, & actionibus, ad criminales tranſit Gregorius in hoc libro; & primò ponit titulum de accuſationibus exemplo Triboniani & Iuſtiniani, qui eundem ordinem ſequuti ſunt tam in Pandectis, quàm Codice, optimo conſilio; nam accuſatio eſt actio quæ naſcitur ex maleficio, *l. cùm ex vno. ff. de oblig. & action. l. 5. & 14. C. Theodoſ. eod. l. 12. ad l. Iuliam, peculatus.* Tullius pro Milone actionem perduellionis dicit. Similiter *Agere*, dicimus, pro, *Accuſare, l. ſi maritus. ff. ad l. Iul. de adult. Tull. 5. Tuſcul. Tabellis obſignatis agis mecum & teſtificaris.* Eſt etiam Accuſatio, contractus, ſiue obligatio, *l. ex maleficiis. ff. de action. l. lege. ad leg. Cornel. de falſ.* Vinculum vocat Alexander III. *in cap. licèt. hoc tit.* vt in *l. fin. & l. nullus. C. eod.* Contrahit enim accuſator, nec ab accuſatione deſiſtere poteſt, *d. l. 14.* Rectè ergo agitur hoc libro de criminalibus actionibus; & in primis de accuſationibus, à quibus inchoanda eſt criminum perſequutio. Hic titulus tripliciter concipitur, aliter quidem quàm apud Iuris ciuilis Autores, qui ponunt, de accuſationibus & inſcriptionibus: optimè quidem, vt expendantur modi & formulæ quibus aliquod crimen impetitur.

Primum mēbrum eſt de Accuſationibus, generaliter vocabulo ſum-



Digitized by Google

pto, vt comprehendat inſcriptionem: nam ſtrictè ſumpta accuſatio poſt inſcriptionem, denunciationem, & inquiſitionem ponenda eſt, vnde vocatur ſuprema actio *in d. l. 5. C. Theod. eod.* Inſcriptio præcedere debet, *can. qui accuſare. 3. q. 9. l. 3. Cod. eod.* vt talionem calumniator in ſe recipiat *can. nullus 4. q. 4.* Per libellũ enim inſcriptionis βιβλίον τῆς ἐγγραφῆς & καταθέσιν, profitetur actor ſe vſq; ad ſentẽtiam, cauſam proſequuturum, & ſe eidem pœnæ ſubiicit, niſi crimen probauerit, vt docet Balſamo ad *can. 131.* ſynodi Carthag. Hunc libellum, vinculum talionis vocat Iuo Carnot. *Ep. 51. & 138.* in eo dies & Conſul apponendus, imò & locus in quo crimen patratum eſt, & perſonæ quæ conſciæ ſunt adiici debent, non tamen diem, neque horam inuitus accuſator apponet, *l. 3. ff. eod.* Harmenop. *lib. 1. tit. 2.* Poſt impetratã actionem, quæ fit per libellum, ſequuntur editio actionis, citatio, in ius vocatio; nec ex ſola libelli oblatione fit editio actionis, nec citatio, ſed per libellum reus vocari debet, *can. eorum. 11. q. 3. l. libertis. de in ius voc.* Poſt inſcriptionis libellum, & vocationem in ius, fit litis conteſtatio, προκάταρξις, cùm cauſa diſcutitur, & præſens per præſentem agnoſcit quæ ei obiiciuntur, *can. eorum. 11. q. 1.* petitione & reſponſione in iure propoſitâ, *cap. vnico. ſup. de litis conteſt.* & tunc demum accuſatio verè dicitur. *l. 3. C. hoc tit.* cùm in codice publico ſolennia inſcriptionis impleta ſunt, ait *l. 4. C. Theod. de cuſtod. reor.* non ità in actionibus ciuilibus, in quibus inſcriptio neceſſaria non eſt, *l. vlt. de priuat. del.*

Secunda pars huius Tituli eſt de Inquiſitionibus. Eſt autẽ Inquiſitio quæ ex mero iudicis officio ſinè libello inſcriptionis, ſinè denunciatione fit, nullo adhibito accuſatore, vel delatore: vnde & inquiſitionis nomine iudicium; quæſitoris verò, vel quæſtoris verbo iudex ſignificatur ab Iſidoro *lib. 18. c. 15.* Tull. *in Brut.* & *2. in Verrem*: licèt non ſemper inquiſitor ſit iudex, ſed tantùm ad audiendos teſtes delegatus, & ad inquiſitionem faciendam, *d. c. qualiter, & cap. inquiſitionis. h. t. cap. veritatis. ſup. de dol. & contum.* Non ſemper neceſſarius eſt delator, aut accuſator, veluti contra infamatum, & opinione vulgi accuſatum, vt veritas eruatur. *cap. qualiter. h. t.* cùm nempe conſtat de infamia criminis, *cap. cùm oporteat. h. t.* per clamoſam inſinuationem, quæ denunciatoris vicem gerit, *cap. licèt Heli. de Simonia.* nec ſolùm ad pœnam & vindictam criminum fiunt inquiſitiones, ſed etiam ad damnum reparandum quæ ciuiles dicuntur *in l. 4. C. Th. ad l. Cornel. de falſ.*

Tertium membrũ, eſt de denunciationibus. Denunciatio differt ab accuſatione, quia denuncians non tenetur inſcriptionis vinculum ar-

Digitized by Google

ripere, & cuſtodiæ ſimilitudinem pati, quia vindictam non perſequitur, ſed correctionem, *cap. ſuper his. & d. cap. qualiter. h. t. cap. nouit. ſup. de Judic.* Et ideò non poteſt deferre aliquem, quin priùs commonuerit, *cap. 2. & cap. cùm dilectus. h. t.* non ità Iure ciuili quo denunciator, aut delator, καλαμηνυτὴς idem eſt qui accuſator, *l. deferre de Iur. fiſci.* Tull. *3. in Verrem*: & hic onus probandi in ſe ſuſcipit, *l. eſt & decretum 25. de iur. fiſc.* aliter ferro puniendus, *l. omnes de delator. lib. 10. Cod.* niſi iuſſu Procuratoris Cæſaris, vel Iudicis id faciat, *l. 2. ff. eod.* vel cauſæ ſuæ protegendæ gratiâ: & tunc propriè delator non eſt, *l. delator. de Iur. fiſc.* & hoc ſenſu ſumendum hoc iure, vt is denunciator, ſiue delator dicatur, nec ſit accuſator, qui mandato iudicis id agit: ſimilis eſt denunciator, ſiue nunciator criminis notorij, & manifeſti, qui in ſenatuſconſultum Turpillianum non incidit, nec ſe inſcribere tenetur, ſed tantùm litem ad exitum perducere, *l. ab accuſatione. C. ad Turpil.* eſt & alia differentia inter accuſatorem & denunciatorem, quòd ille teſtis eſſe non poſſit, *cap. ex tenore. de conſanguinit. in 4. cōpil.* hic verò teſtimonium ferat, *cap. 4. ſup. de teſtib.* Aliud eſt genus denunciationis, quâ reus non defertur, ſed quâ denunciatur teſtimonium, *cap. 3. ſup. de teſtib. l. 4. 5. 8. & 19. de teſtib.* id eſt aliquis admonetur ad teſtimonium ferendum, quod olim fiebat trinâ monitione teſtium, qui amplâ & altâ voce euocabantur, ex lege XII. Tabularum. *Cui teſtimonium defuerit ternis diebus ob portum*, id eſt, ad domum *obuagulatum ito*: obuagulatio eſt illa requiſitio, & denunciatio teſtimonij. *Conuitium*, quaſi *conuocium* apud Feſtum, vt annotauit Cuiacius ad *leg. 103. de reg. iur.* Nec tantùm fiebat à iudice, vel ipſius iuſſu, ſed etiam ab accuſatore, vt teſtatur Plinius *Ep. 6.* & *Tull. pro Roſcio. Si accuſator voluerit teſtimonium his denunciare.* & *4. in Verr. Quibus ego denunciaui teſtimonium, quorum nomina Metello dedi.* His locis teſtimonium denunciare, eſt diem ferendo teſtimonio præfigere. Hi autem denunciatores qui in defectum accuſatorum crimina & teſtimonia denunciabant iudicibus, Curioſi dicuntur, & Stationarij in *l. 1. C. de Curioſ.* Et eæ denunciationes, ſeu teſtationes, Notoria in *l. Diuus. de cuſtod. reor.* Eſt prætereà aliud genus accuſationis ſeu denunciationis, quæ fit per exceptionem, cùm refellendi aduerſarij causâ crimen ei opponitur per modum contradictionis, *Par reproche. l. Papinianus. §. ſi filius. de inoff. teſtam.* In qua exceptione inſcriptionis, libellus non eſt neceſſarius. *cap. ſuper. h. t.* & eundem effectum habet aduersùs accuſatorem, quem recuſatio aduersùs iudicem ſuſpectum. *c. 4. ſup. de excep.* opponitur verò quandocumque accu-

Digitized by Google

ſator, vel delator perſona non eſt legitima ſiſtendi in iudicio, *cap. 1. h. t.* Legitima ea eſt quæ nec à lege, nec à canone prohibetur; quos etenim leges ciuiles arcent ab accuſatione, eoſdem & canonica ſtatuta. *can. de accuſat. & ſeq. 3. q. 5.* Enumerantur ij in *l. qui accuſare, & ſeqq. de accuſ. can. nullus. 3. q. 5.* idémque ordo ſeruatur qui in teſtibus confutandis, *cap. cùm inter. ſup. de except. cap. exhibita. ſup. de iudic. can. coniurationem. & ſeqq. 11. q. 1.* His tamen qui accuſare vetantur aliquando id conceditur, cùm iuſtâ cauſâ ad id compelluntur, cùm ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequuntur, etiam ſinè libello inſcriptionis, cui ſe alligare non tenentur, nec incidunt in ſenatuſconſultum Turpillianum, *l. 4. ff. ad S. C. Turpil.* veluti maritus qui ream facit vxorem adulterij. *l. quamuis. C. ad l. Iul. de adult.* mulier ob ſuorum iniuriam. *l. 5. & 12. C. h. t.* ob crimen læſæ Maieſtatis, & legis Corneliæ teſtamentariæ. *l. in quæſtionibus. ad l. Iul. maieſt. l. 1. & 2. de accuſat.* quæ leges in corpus iuris Canonici tranſlatæ ſunt à Gratiano *3. q. 5. & 15. q. 3.* denique infames, hæreticos accuſare poſſunt, *can. præſumunt. 2. q. 7.* quæ quidem notiſsima ſunt. Sicut autem quædam perſonæ accuſare & denunciare non poſſunt, ità quandoque nec accuſari vel denunciari debent; in primis clerici, & Deo dicati qui vulgò à laicis impeti non poſſunt. *can. nullus. can. ſicut. 2. q. 7.* maximè Sacerdotes quod primùm tantùm Epiſcopis conceſſum fuiſſe videtur, non ceteris, ab Anacleto in *can. laici 2. q. 7.* ſi eum autorem illius can. faciamus cum Gratiano, vel ab Euſebio Papa de quo eadem verba referuntur in *can. laicos, ead.* Quod ius deinde traductum fuit ad omnes ſacerdotes, & clericos, vt indicat Fabianus in *Ep. 2. ad Orientales Epiſcopos*, vnde deſumptus eſt *d. can. ſicut*: *Neque eos*, inquit, *ſacerdotes debere, vel poſſe, aut clericos accuſare qui ritè ſacerdotes fieri non poſſunt.* Ius hoc receptum iamdiu apud Latinos. Græcis hâc Epiſtolâ ipſe imperat; ſiquidem Græci ad accuſationem Epiſcoporum & clericorum laicos admittebant, iuxta D. Paulum *1. ad Timotheum*, qui indifferenter accuſationẽ probat non vnius, ſed duorum, aut trium nec adhibet diſcrimen laicorũ, aut clericorum; quod clariùs expreſſum eſt in *can. 75. Apoſtolorum*, vnius laici non ſufficere accuſationem, ἀλλὰ μηδὲ πιστὸν ἕνα μόνον, quod confirmatur in *can. 6. ſyn. Conſtant.* in quo nõ admittitur accuſator ſiue ex clericali, ſiue laicali ordine, niſi immunis ſit ab omni crimine, εἴτε ἀπὸ κλήρου, εἴτε ἀπὸ λαϊκοῦ τάγματος & in Conc. Chalcedon. *can. 21.* κληρικοὺς ἢ λαϊκοὺς κατηγοροῦντας, &c. Ex quibus apparet clericos à laicis potuiſſe accuſari. Et horum quidem præualuit opinio contra Latinos, & omnis laicus fidelis ad accuſationem Epiſcoporum & ſacerdotum admiſſus eſt apud

Occidentales

Occidentales, quæ poſtmodùm reſtricta fuit in fauorem Epiſcoporum, quos à populo, & laicis hominibus extra cauſam fidei accuſari prohibuit ſynodus Romana V. ſub Symmacho, vt Nicolaus I. ſcribit *in Ep. ad Michaëlem Imperatorem*, & Gregorius I. in *cap. 3. ſup. de teſtib.* quod iterum tollere conatus eſt Alexander III. in Concilio Lateranenſi, *cap. de cetero. ſup. de teſtib.* ſed fruſtrà: nec eius diſtinctio probata fuit, an ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequantur laici, vt hoc caſu accuſatores eſſe poſſint; nam & in criminibus aliis idem ius eſſe ipſemet fatetur, ſi quæſtio ſit de ſimonia, *cap. cùm P. h. t.* de hæreſi, vel læſa maieſtate, *cap. tanta. infr. de ſimon.* imò & in omnibus grauibus delictis; illo etenim caſu quo ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequuntur, etiam mulieribus & perſonis infamibus id conceditur; *can. illud. & ſeqq. 4. q. 6.* nec ad hunc caſum debuit Alexander reſtringere libertatem accuſatorum, quæ ampla & ingenua eſt, dummodò ij probatæ vitæ ſint, & ab omni criminis ſuſpicione alieni, *can. accuſatio. 2. q. 7.* nec hac in parte diſtinguere debemus Epiſcopos à ceteris ſacerdotibus, & clericis; nam & differentiam D. Paulus non facit; ait enim non recipiendam accuſationem niſi duorum, aut trium teſtium κατὰ πρεσβυτέρου *aduersùs ſeniorem*, vt eò loci vocabulum illud non ſit ordinis, ſed ætatis nomen, vt D. Chryſoſtomus ſentit, neque ſolùm Epiſcopum, ſed etiam ſacerdotem intelligat, vt ſcribit Epiphanius *hæreſi 57.* Zonaras ad *d. can. 75. Apoſt.* ait, non ſufficere tres teſtes: Balſamo verò quinque teſtes deſiderari ſcribit fide dignos, & iurantes διὰ πέντε μαρτύρων πιστῶν καὶ ἐντίμων, ὀμνυόντων, quod ex Baſilicis conſtitutionibus deſumptum eſſe dicit. Sylueſter in Romana Synodo multò plus numerum auxit: *Vt Epiſcopus non damnetur niſi à ſeptuaginta duobus teſtibus accuſatus, Presbyter à quadraginta*, vt eſt in *can. præſul. & ſeq. 2. q. 4.* Clemens IV. centum teſtes adhiberi ſtatuit in cauſa Epiſcopi Toloſani, ſimoniæ, & fratricidij accuſati in *Ep. 326.* Hic honor Epiſcoporum ità auctus paulatim eò deuenit, vt etiam à quoquam accuſari non poſſe plures contenderint, *can. præſumunt. 2. q. 7.* multò minùs à ſuis ſubditis, ità vt infra terminos ſuæ diœceſeos, nullus ſit qui poſſit Epiſcopum accuſare, ſicut Abbatem infra ſepta ſui monaſterij, *cap. illud. & c. ex parte. h. t.* quod dãnat Petrus Damiani in quadã *Ep. ad Alex. Pap. Quis eſt hic arrogantiæ tumor, quis elationis faſtus, vt quod inſolenter exceſſum eſt à ſuis ſubditis dedignentur audire? nec his allegationibus vtendum eſt, vt dicant ſe non debere ab his accuſari, ne videantur ſuis exceſſibus velamen obtendere.* Epiſcopi ſimiles ſunt Præſidibus prouinciarum quos accuſare non licuit, ſicut nec Legatos Cæ-

ſar is,nec denique omnem ſublimem Magiſtratum, *d. l.qui accuſare,& l. hos accuſare. ff. h.t.* Conſulem, Præfectum, Prætorem, Proconſulem. *l. 2. ff. de in ius voc.* ratio eſt apertiſſima, quia annui erant magiſtratus, & ideò accuſatores iubebantur exſpectare donec dignitatem depoſuiſſent, *l. nec magiſtratibus. ff. de iniur.* quæ ratio ceſſat in Epiſcopis, niſi vt idem Vlp. addit de Pontifice quandiu ſacras ſynaxes, & ſynodos facit, quod ipſis Pontificibus non ſolùm tribuendum eſt, ſed omnibus presbyteris, & miniſtris, *l. omnes. C. de Epiſc. & cleric.* qui à ſacris ſinè piaculo auelli, vel recedere non poſſunt, *l. non diſtinguemus. §. ſacerdotio. de arbitr. l. penult. de vacat. muner.*

## *DE CALVMNIATORIBVS,* TIT. II.

DE accuſatoribus in genere dictum ſup. titulo, & quis ſit verus, & legitimus accuſator; nunc verò de falſo accuſatore. Calumniator, eſt accuſator, & actor qui per fraudem & fruſtrationem alios vexat litibus; cauillator, *l. 233. ff. de verb. oblig.* caluitor, à caluando & decipiendo apud Iſidor. *5. Orig. c. 26.* D. Auguſtinus in Pſalm. 118. hoc loco; *Ne tradas me calumniantibus me*; Quidam legunt *perſequentibus*, alij *Nocentibus*, alij *aduerſantibus*, vtrumque congruit lectioni Græcæ: τοῖς αὐτιδίκοις. Similiter calumnia eſt accuſatio, actio, lis. Tull. *Orat. pro Milone,* dicit *calumniam litium.* Iuo Carnot. *Ep. 184. Mandauit quorundam laicorum aduersùs Beluacenſem Eccleſiam ortam eſſe calumniam*, & Arnulphus Epiſcopus Lexouienſis *Ep. 23 Nunciatur te nihil niſi lites & calumnias exercere.* Triplex eſt accuſatorum temeritas, calumnia, præuaricatio, & tergiuerſatio *in l. 1. ff. ad Turpil.* Calumnia eſt falſa, & ficta accuſatio, quâ quis falſum crimen bonis obiectat, vt loquitur Tull. in Saluſtium, quæ optimas ingenij cauſas ludificare ſolet: malitioſa & mendax infamatio, apud Nonium. Calumniator eſt qui infamiam alicui molitur, qui infamiæ notam ſubit, præter pœnam criminis obiecti. Omnes enim accuſatores ad pœnam talionis obligantur, cùm calumniator non tantùm vindictam, & ſupplicium perſequatur, ſed etiam famam & exiſtimationem, *l. 4. de his qui not. infam.* Poſcit ad vindictam calumniantes ſimilitudo ſupplicij, ait *can. quiſquis. 3. q. 8.* Præuaricatio, eſt veri criminis occultatio: Præuaricator qui cauſam aduerſariis ſuis donat, proditor ſuæ cauſæ, *d. l. 4. l. 212. ff. de verb. ſignif.* quaſi

Digitized by Google

variegatorius ποικιλτικὸς, apud Ariſtotelem προμηθεὺς ποικίλος eſt homo verſutus & callidus, & Æſchines Timarchum accuſans ποικιλτὴν vocat. Huius quoque pœna non minor eſt quàm calumniatoris; vtrumque ſequitur pœna talionis, & infamiæ nota, *d. l. 4.* ità vt in poſterum adimatur acccuſandi licentia, *l. 4. de accuſat.* Tergiuerſatio verò eſt litis deſertio, ἀπόστασις in veteribus Gloſſis: tergiuerſator qui terga liti vertit, & in totum animum agendi depoſuit, qui deſtitit ab accuſatione, cui præter pœnam talionis, irrogatur infamia, ex ſenatuſconſulto Turpilliano, & lege Petronia, niſi abolitionem à Principe impetrauerit, *l. deſtitiſſe, & l. in ſenatuſconſultũ. ff. ad Turpil.* Eſt & alia tergiuerſatio, Græcis φευγοδικία, id eſt, *detractio iudici*, quæſitis ambagibus & ſtrophis, quam moratoriam vocat Aſconius, quâ quis in totum non deſerit litem, ſed diſſimulat, tacet, & conniuentibus quaſi oculis impedimenta adferri patitur. Nonius dici propriè ait de his qui fugiendo adhuc pugnant, nec ſe victos fateri volunt; inde tranſlata eſt ſignificatio ad fruſtratores & cunctatores. *Tull. 7. ad Atticum; An cuncter, an tergiuerſer, & iis me dem qui tenent.* Refertur & ad eos qui crimen cælant, & tegunt *in cap. vlt. ſup. de cohabit. cleric.* Hi non incidunt in pœnam ſenatuſconſulti, nec fiunt infames, niſi ſit talis mora & negligentia ob quam intrà tempus legibus definitum cauſa peracta non fuit, *l. 1. C. vt intrà certum tempus,* quod eſt biennium; olim annus, *l. vnic. C. eod. t.* ratio eſt quia tunc is verè deſtitiſſe, & litem deſeruiſſe cenſetur; quod indicant verba *l. 2. ff. eod. quo emenſo ſubeat accuſator qui deſtitit pœnam legibus conſtitutam*; id eſt, tunc verè eſt tergiuerſator, & incidit in pœnam ſenatuſconſulti, *d. l. 1.* Denique eſt calumniator, nam vt rectè Balſamon ad *can. 131. ſyn. Carthag.* annotauit, non ſolùm falſa accuſatio, ſed etiam præuaricatio & tergiuerſatio dicitur calumnia; quam tribus ſupradictis modis fieri docet. Sic & paſſim hæ voces hâc ſignificatione vſurpantur; nec in his diuerſa eſt pœna, ſed omnibus præter ſimilitudinem pœnæ inuritur infamia, & littera legis Remniæ eorum fronti imprimitur conſtitutionibus Principum. Hoc verò iure tali pœna neglectâ ſeueriùs cum iis agitur, *cap. 1. hoc tit.* ſiquidem pro ratione perſonæ crimen minuitur, vel augetur, *l. omne. ff. de re milit.* grauior enim iniuria eſt clericorum, quàm laicorum, & inter clericos eorum qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt. Sycophantarum equidem pœna non eſt talio, ſed caſtigatio publica, quæ fit verberibus, &

in exſilium deportatione, *can. quia iuxta. 5. q. 6.* eis caput amputari, & linguam capulari iubet Hadrianus Papa in *can. delatori 5. q. 6.* quæ conſtitutio refertur in Capitularibus *c. 276. lib. 6.* & ab Hincmaro Rhemenſi lib. *contra Hincmarum Laudun.* Similis ferè fuit lex Conſtantini, quâ ſtrangulari eos, & linguam ipſis radicitùs amputari iubet, *l. 2. C. Theod. de petition.* Lingua præciditur, ne ampliùs eorum vox audiatur. Capulare dixit Hadrianus, quod eſt truncare, exſcindere in legibus Salicis, *tit. 31.* editionis Baſil. *Si quis alteri manum capulauerit.* Veteres gloſſæ, *ſcapellare*, dicunt. *Concapulare* leges Salicæ *tit. 8.* Apud Longobardos non lingua, ſed naſus præcidebatur, vt videre licet apud hiſtoriæ Longobardorum Scriptores, & leges ipſorum.

## *DE SIMONIA, NE ALIQVID PRO ſpiritualibus exigatur, vel promittatur,*

### TIT. III.

TRANSIT Gregorius ad crimina quæ cauſam inſtituendæ accuſationis præbent: & primùm de ſimonia, quæ ceteris grauitate antecellit, & eſt prima, & præcipua hæreſis, *can. vlt. 1. q. 7.* quæ cùm primùm erupit in Eccleſia, ab Apoſtolis damnata fuit, vt ſcribit D.Greg. *Ep. 55. lib. 9.* ideò ad eius accuſationem admittuntur quælibet perſonæ, quæ aliàs prohibentur. *cap. tanta. h. t.* nam cùm in aliis accuſatoribus accuſatorum & teſtium innocentia quæratur, *ad inſimulationem talium etiam infames perſonæ admittuntur*, inquit Iuo Carnot. *Ep. 27.* qui & hoc ex conſuetudine Romanæ Eccleſiæ eſſe dicit, in odium Simonis Magi, qui primus hæreticorum ſe Deum aſſerere auſus eſt, & ità Romanam ciuitatem ſeduxit, vt Imp.Claudius ei ſtatuam erexerit in amne Tyberi inter duos pontes, cum hac inſcriptione, *Simoni Deo ſancto*, vt refert Iuſtinus Mart. *Apol. 2.* Tertull. *in Apolog.* Et hic poſtquàm ab Apoſtolis anathemate percuſſus fuit, quòd Spiritus ſancti gratiam argento ſe comparare poſſe ſperaret, Græcam Selinem quandam meretricem circumduxit, vt refert Cyrillus Hieroſol. *Catech. 6.* Ab eo nomen accepit Simonia, quam pluribus modis contrahi demonſtratur, *h. t.* Quoties pro ſpiritalibus, beneficiis, & Sacramentis Eccleſiaſticis beneficia tẽporalia dantur, *cap. tua nos. h. t.* has remunerationes tripliciter fieri docet Gregorius VII. *in Ep. 34. lib. 6.* à manu, ſi pretium

Digitized by Google

per ſe, vel per alium tribuatur; ab obſequio, vt nihil inde ſeruitij & officij reddatur; à lingua vt neque per ſe, neque per alium per ſubmiſſam perſonam preces effundantur, *can. ordinationes, & ſeq. 1. q. 1.* quod cauet Alexander III. *in cap. nemo. h. t.* ídque obſeruatur in omnibus Sacramentis; pro baptiſmo, *can. baptizandis. 1. q. 1.* pro chriſmate *cap. 8. 16. 21. 36.* pro conſecratione Epiſcoporum, *cap. 39.* pro benedictionibus nubētium, *cap. 29.* pro exſequijs defunctorū, *cap. cùm in Eccleſią. h. t.* Denique pro omnibus alijs ſacramentis, & donis ſpiritalibus; pro electione Epiſcopi, vel alicuius officij, aut dignitatis Eccleſiaſticæ, *cap. nobis, h. t.* ità vt electus ſponte dimittere beneficium, vel officium teneatur, *cap. Matthæus. h. t.* Idem ſtatuitur de receptione in Canonicum, *cap. tua nos.* & de receptione in Monachum, *cap. de regularibus.* & tam receptus, quàm recipiens deponuntur, *cap. dilectus. 30. & cap. quoniam. 40.* nec vlla conſuetudinis ratio habenda eſt, *cap. veniens.* Nihil quoque pro ordinibus accipi poteſt, *cap. 1. & cap. ex tua.* Quod ſi quis ordinatus ſimoniacè fuerit, deponendus eſt, & omnia acta nullius ſunt momenti, vt poſtulationes, confirmationes, prouiſiones, ordinationes, quæ ſunt ipſo iure nullæ, nec promoti, aut confirmati, aut prouiſi fructus ſuos faciunt, ſed ad reſtitutionem tenentur, Concilio Cōſtant. *ſeſſ. 43. iuxta can. quos conſtiterit. 1. q. 1.* imò quod maius eſt, non ſolùm qui pecuniâ, ſed & qui gratis ea Sacramenta à ſimoniacis obtinuerunt prædictis pœnis ſubijciuntur. Quæ res longam peperit dubitationem olim, ideò Alex. II. *in Concilio Romano*, & in *can. de cetero. 1. q. 1.* ſtatuit, vt in poſterum ſi quis ab eo quem ſimoniacum eſſe non dubitauerit, conſecrari ſe patiatur, non diſparem damnationis ſententiam ſubeat, quæ eſt depoſitio, & dignitatis amiſſio. Quantùm verò ad eos qui ante hoc Concilium ordinati fuerāt, eos in acceptis ordinibus manere permittit, *non tam obtu, inquit, iuſtitiæ, quàm zelo miſericordiæ, in acceptis ordinibus manere permittimus.* Quod non tantùm intelligendum fuit de ijs qui ſimoniacum ordinatorem eſſe ignorabāt, ſed etiam de his qui ſciebant; ad vtrumque caſum porrigendæ ſunt conſtitutiones Nicolai II. *in can. ſtatuimus,* & Alex. II. *in d. can. de cetero.* ſed poſteà ignorantibus tantùm ignoſcendum iudicauit Vrbanus II. in *can. ſi quis à ſimoniacis, ead.* imitatus conſtitutionem Innocentij I. qui in *can. ventum eſt, ead.* ab hæretico ordinatum per manus impoſitionem nihil accipere ait, quia nihil dare potuit, ſed iterum eum ordinandum, quod non eſt iterare ſacramentum, ſed integrè & perfectè dare, *can. Daibertum. 1. q. 7.* Vulgò tamen diſtingui ſolet, an ordines collati fuerint ab eo qui eſt ſimoniacus in ordine, aut in beneficio, vt quidem à ſimoniaco ordinis accepti nunquam

Digitized by Google

ordinatio facta vllius ſit momēti, quum non habeat executionem, niſi cum eo diſpenſetur, *cap. penult. h. tit.* ſi collator ſimoniacus ſit in ordine conferendo, tunc prædicta diſtinctio locum habeat, vtrùm ordinatus ſciens fuerit, vel ignorans. In beneficio verò ſimoniacus aut eſt notorius, aut occultus; primo caſu nullo pacto facta ordinatio valet: ſecūdo caſu ordinatio quæ fit reſpectu tantùm illius beneficij caret effectu, ſed non ratione beneficiorum aliorum, quam diſtinctionem ſequitur Panormitanus. Putem tamen hos omnes caſus, ex ſcientia vel ignorantia eſſe metiendos, *can. præſentium. 1. q. 5.* aliter in mille laqueos inciderent ordinati.

Quod attinet ad beneficium per ſimoniam acceptum, non aliter quis purgare vitium poteſt, niſi eidem beneficio renunciauerit, *cap. de regularibus. h. t.* ità vt Canonicus ſi ex diſpenſatione reſtitutus fuerit, priſtinum ordinem, & honorem non recipiat, ſed in poſtremo loco ſedeat, *cap. ex inſinuatione. h. t.* ſicut qui renunciauit præbendæ, aut beneficio, ſi iterum in Capitulum aſſumatur ratione primæ receptionis nîl ſibi poterit in ipſa Eccleſia vindicare, *cap. penult. ſup. de elect.* Iure tamen omnem ſpem reſtitutionis tollendam eſſe ait Innocentius III. *in cap. quoniam. h. t.* diſpenſatione non admiſſâ, niſi causâ cognitâ & neceſſitate impellente, quæ quidem diſpenſatio ad ſolum ſummum Pontificem pertinet, excluſis alijs omnibus, licèt in *d. cap. ex inſinuatione*, Capitulum hanc indulgentiam concedere dicat; quod eſt intelligendum, vt reſpectu ſui Capitulum diſpenſet, ſed non ratione criminis, quæ facultas iure communi competit Epiſcopis, *d. can. præſentium.* Verùm deinde ſoli ſummo Pontifici reſeruata per conſtitutionem Martini in d. Concilio Conſtant. Vrbani, & Pauli *in cap. 1. & 2. Extrauag. commun.* Idque ſeueriùs, & ſtrictiùs ſtatuerunt ſancti Patres in hoc crimine; tum quòd, vt dixi, prima fuerit poſt Domini reſurrectionem hæreſis; cùm quòd manuum impoſitio primum fuerit Sacramentum, vt ſcribit Goffridus Vindocinenſis in *Ep. ad Iuonem Carnot. Chriſtus enim primus hoc Sacramentum fecit per ſemetipſum, conſecrationem ſcilicet Apoſtolorum.* Porrò diſtinguendi ſunt caſus: nam in quibuſdam contrahitur ſimonia, in alijs verò non, licèt pretium interueniat; ſcilicet differentia ponenda inter exactionem & oblationem: pro baptiſmo, exſequijs, & alijs Sacramentis, & benedictionibus ſi quidpiam exigatur & petatur, ſimonia eſt; nec adhibendum diſcrimen quod quidam ponunt inter Sacerdotem, qui ex officio Sacramenta adminiſtrare tenetur, & eum qui non tenetur, vt hoc vltimo caſu poſſit exigere pretium, quum nemo ſuis ſtipēdijs militare cogatur, *can.*

Digitized by Google

*charitatem. 12. qu. 2.* ſi verò ſponte ei offeratur pecunia, non quaſi pretium, ſed ad vitæ ſubſidium, iure capit, niſi eâ mente præſtet Sacramenta, vt mercedem recipiat; tunc enim præſumpta eſt ſimonia, ac ſi pactum interceſſiſſet: ſæpe enim exactiones pecuniariæ, oblationum vel benedictionum nomine palliantur, ait Iuo *ep. 13. palliatam auaritiam* vocat Vrbanus II. *in can. quæſitum. 1. q. 3.* Hinc factum vt oblationes quæ ſponte fieri debent, vi quadam tacitâ deueniant coactæ, quem abuſum tangens Balſamo ad *can. 23. ſyn. VI.* ait ideò Sacramenta vulgò appellata fuiſſe dona, quòd non niſi pretio impertirentur; διὰ γὰρ τοῦτο ὡς ἔοικε καὶ ἅγια δωρεὰ κατὰ κοινολαΐτας λέγονται τὰ ἅγια. cùm potiùs dona dici debuerint, quòd non niſi gratis ſunt conferenda. Omnis enim pactio, & conuentio ſiue expreſſa, ſiue tacita vitium parit: hoc genus Sacramenti nauicularium vocat Goffridus in *d. ep.* ars enim nauicularia negotiationi & mercaturæ coniungitur. Tull. 7. *in Verr. Malo,* inquit, *te iſti generi hominum quàm mercatoribus & nauicularijs infeſtum, atque inimicum putari*: Nauicularij, non nauium magiſtri, ſed exercitores, & negotiatores ſunt, vt conſtat ex *l. penult. C. de nauicular.* Sunt quidam caſus quibus ſimoniæ labes nulla innuritur, etſi pecunia interuenerit, veluti ad redimendam litis vexationem, *cap. dilectus. 27. h. t.* vt ſi controuerſia ſit inter duos de aliqua præbenda, poteſt pecunia dari vt alter deſiſtat, ab eo qui ſibi iniuriam fieri certus eſt; quod notandum paſſim ab omnibus qui lites temerè ſuſcipiunt, vt deinde pecuniam ab aduerſario extorqueant, & iure ſuo cedant, neq; enim illi crimen ſimoniæ effugiunt. Alius caſus vulgò proponitur, an liceat emere beneficia, quæ ab hæreticis detinẽtur: quod ritè fieri cõtendunt Theologi; non ità quæ à laicis, niſi intentio tota vergat ad Dei honorem & Eccleſiæ vtilitatem, non verò ad proprium & domeſticum cõmodum.

## NE PRÆLATI VICES SVAS, VEL ECCLESIAS *ſub annuo cenſu concedant,*

### TIT. IV.

SVPERIOR titulus reſpicit ſimoniam quâ quis pecuniam, & temporalia dona largitur, vt ſpiritalia recipiat, aut ſpiritalia dat, vt temporalia accipiat: hoc verò tit. ſpecialiter agitur de locatione, quæ eſt ſpecies venditionis, *vt ſup. tit. de locato,* diximus, à quo quidem differt hic, quòd agat de locatione, ex datione ſub annnuo cenſu rerũ ſpiritalium, alter rerum bonorũ Eccleſiaſticorum. Locatio quidem rerũ ſpiritalium

magnum crimen eſt; Sacerdotium enim, & adminiſtratio, ſiue cura ſpiritalis ſub annua mercede tradi non debet, *can. ſi quis dator* 1. *q.* 3. Conductitios habere Presbyteros qui officia, dignitates, & perſonatus exerceant non licet, à quibus cenſus & penſio exigatur *cap. 1. & 2. h. t.* ſed nec cenſualem Eccleſiam facere citra Epiſcopi autoritatem permittitur, *cap. 17. de ſimon. in* 1. *compil.* licèt causâ cognitâ id fieri poſſe dubium non ſit. Cenſus quidem annuus præſtari Epiſcopis poteſt, *can. quæſitum.* 1. *q.* 3. quia primitùs omnes Eccleſiæ ad Epiſcopos pertinuerunt, quas ipſi retentâ certâ penſione, vel cenſu alijs contulerunt, *cap. paſtoralis. ſup. de donation.* quod ſolet fieri tunc demum, cùm Eccleſiæ ordo & regimen ſtatuitur, *cap. ſcientes, & cap. prohibemus. ſup. de cenſib.* Non ità eſt, ſi Presbyteris Eccleſiarum regimina committantur, certâ eis mercede, vel pretio conſtituto; quia tunc nihil accipitur, ſed datur, *cap. exſtirpanda. §. qui verò. ſup. de prabend.* Nec id ius, ſolùm locum habet in Eccleſiarum & Sacramentorum adminiſtratione & diſpoſitione, ſed etiam ratione iuriſdictionis ſpiritalis, quam Prælatus qui iuriſdictionem habet, alij committere non poteſt, vt inde emolumentum percipiat, quod in Concilio Lateranenſi prohibuit Alexander III. *cap.* 1. *h. t.* Iuriſdictio ſpiritalis duplex eſt, vna omnino ſacra, quæ exercetur omnino in clericos, & continet cauſas prorſus Eccleſiaſticas; alia quæ eſt mixta, partim ſpiritalis ſiue Eccleſiaſtica, partim temporalis ſiue profana, veluti de decimis, de matrimonio, de teſtamentis; vtraque ſub annui cenſus præſtatione concedi non poteſt ad tempus vel, in perpetuum, quâuis etiam conſuetudine ſuadente, *cap. 3. ſup. de conſuet.* Alia eſt iuriſdictio temporalis omninò, in qua quæritur de proprietate, dominio, & vſufructu, quæ autoritate Eccleſiæ non ſuſtinetur. Hæc ſub annuo cenſu faciliùs tradi poteſt abſque vitio ſimoniæ, licèt aliquod crimen ſit; quia iuriſdictio quæ gratis exerceri debuit, cum onere tunc ab altero accipitur: intereſt autem ne per hanc venditionem ſubditi grauentur, cùm tales emptores pecuniam expoſitam repetere velint in perniciem litigantium. Seneca 1. *de benefic. Prouincias ſpoliari non mirum, quando quæ emeris, vendere ius gentium eſt.* Id confirmat Nouella 8. Iuſtiniani: *Vt Iudices ſinè quoquo ſuffragio fiant.* ſuffragium illic, quod Baſilica vocant *μίσθωμα*, ſumitur pro penſitatione, cenſu, pactione, locatione, quæ fit pactâ mercede apud Iſocratem *in Areopag.* Equidem iuriſdictio poteſt alteri demandari, & Epiſcopi, Archidiaconi, & alij qui iuriſdictionem habent, poſſunt vices ſuas alteri

alteri committere liberè & gratis, modò id non fiat per modum locationis exactâ mercede, *cap. quoniam. 2. h. t.* in quo notandum ex Concilio Turonenſi, Archidiaconos habere iuriſdictionem iure communi, non verò Decanos, & Archipresbyteros, vt ſupra latiùs ſuis titulis annotauimus, *de officio Archidiaconi*, & *de officio Archipresbyteri.*

## *DE MAGISTRIS, ET NE ALIQVID EXIGATVR pro licentia docendi.*

### Tit. V.

SICVT ob iuriſdictionem datam, & iudicandi munus conceſſum ab Epiſcopis & alijs Prælatis, pecuniæ exactio & pacta merces, eſt ſimonia; ità pro licentia docendi ſi quidpiam petatur, vel exigatur: vtrumque enim munus liberè & gratis conferri & exerceri debet. *c. 1. & 3. h. t.* Per Magiſtros intelligimus non tantùm Doctores in ſacris literis, ſed etiam Pædagogos, & omnes qui iuuentuti erudiendæ præficiuntur; quos eligi ab Epiſcopo, & Capitulo vult Innocentius III. *in cap. penult. h. t.* Variæ olim erant ſcholæ, nec dum certæ & ſtabilitæ: & maximè in Monaſterijs, ad quæ non ſolùm qui ſolitudinis amplectendæ cauſâ in eis collocabantur, ſed etiam alij mittebantur, vt illic præter literarum profectum, morum, fideíque diſciplinam addiſcerent, vt teſtatur D. Chryſoſtomus *lib.* 3. aduersùs vituperatores vitæ Monaſticæ, & Marcellinus Comes *lib. 2. Collectaneorum.* In ſingulis quoque Plebanijs & Parochijs erant ſcholæ, quæ quamuis ad erudiendos clericos, qui ad Eccleſiarum miniſterium deſtinabantur, eſſent inſtitutæ, *cap.* 3. *ſup. de vita & honeſt. cleric.* ſicuti in Monaſterijs ad eos tantùm imbuendos, qui vitæ monaſticæ offerebantur, *cap. 45. addit.* 1. *Capitul.* paſſim tamen omnes alij pueri ad eas mittebantur: *cap. 45. Concilij Moguntini* ſub Carolo Magno: *Dignum eſt*, inquit, *vt filios ſuos donent, ad ſcholam, ſiue ad Monaſteria, ſiue foras presbyteris.* Hoc munus ſibi pręcipuum fecerunt Monachi, ità vt clauſtra iuxta eorum monaſteria fuerint in quibus ſcholæ haberentur, conſtitutione primùm Leonis IV. *in ſynodo Romana*, ſub Lothario, & Ludouico Imperatoribus, *cap. 7. Iuxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus clerici diſciplinis Eccleſiaſticis imbuantur*, vt refert Luitprandus



Digitized by Google

in eius vita. Rationem reddit Fileſacus ex Eumenio Rhetore in oratione ad Præſidem Galliæ; *Ibi fas exercere iuuentutis ingenia ducebant, vbi propinqua eſſent numina amica doctrinæ.* Hoc ſummæ curæ fuit Carolo Magno, qui non ſolùm ſcholas priuatas haberi tam in Epiſcopijs, quàm Monaſterijs voluit, *cap. 3. Concilij Cabillonenſis*; ſed etiam publicas & ſolennes in tribus imperij ſui locis, vt refert Eginhartus in eius vita: cuius veſtigia ſequuti ſunt eius filij Ludouicus & Lotharius in Concilio Pariſienſi *lib. 3. cap. 12.* Per publicas illas ſcholas, intelligi debent ſcholæ Vniuerſitatum, quas certis tantùm locis ſtabilitas fuiſſe conſtat, veluti Lutetiæ in Gallia, Romæ, & Bononiæ in Italia à Carolo M. Oxoniæ in Anglia, Salmanticæ in Hiſpania, quibus exhibendorum Doctorum gratiâ honeſta ſtipendia ab omnibus Eccleſijs, Monaſterijs, Capitulis & Collegijs exigi tandem voluit Clemens V. in Concilio Viennenſi, *Clement 1.* Erat quoque ſchola Alexandrina & Antiochena ad ſacræ Scripturæ expoſitionem, teſtibus D. Hieronymo *lib. de vir. Eccleſiaſt.* Euſebio, Nicephoro & alijs, Conſtantinopolitana, & Eſſedena, ſiue Perſica; ſed hæc quia in hæreſim Neſtorij dilapſa, ſublata fuit ab Anaſtaſio Imperatore, vt refert Marcellinus Comes, loco citato. His gymnaſijs, ſeu ſcholis publicis exceptis, nullæ aliæ olim erant, ſed tantùm priuatæ quædam in Eccleſijs & Monaſterijs. Abbo Floriacenſis Præfectus fuit, & Magiſter ſcholarum apud *Aymoin. cap. 3. de vita Abbonis*, qui & in Monaſterio Floriacenſi celebres fuiſſe ſcholas clericorum narrat *cap. 1.* imò & magnatum, & nobilium filij illic erudiebantur, vt conſtat *ex hiſtoria S. Gildæ, cap. 3.* In Saxonia nullam fuiſſe ſcholam publicam quæ centeſimum longè ſuperaſſet annum ſcribit Crantzius *lib. 3. Metrop. cap. 43.* cùm anteà apud inſignes Eccleſias viri docti acciti fuiſſent. Succeſſu deinde temporis effectum fuit, vt in omnibus Cathedralibus Eccleſijs ſcholæ poſitæ ſint, & conſtitutus fuerit Doctor, qui Theologiam profiteretur: quod beneficium procurauit Carolus M. & deinceps Concilio Meldenſi ſtatutum, *can. 35.* non ſolùm ad Theologiam docendam, ſed etiam ad humaniores literas conſtituti ſunt Magiſtri certis ſtipendijs, & præmijs à Leone IV. in dicta ſynodo Romana, ſuaſu Ludouici & Lotharij, *can. 34. Magiſtri, & Doctores in ſingulis locis conſtituantur, qui liberales artes aſsiduè doceant; & ſi tales non inueniantur, tamen diuinæ Scripturæ Magiſtri & inſtitutores Eccleſiaſtici officij nullatenus deſint*, vt eſt apud Luitprandum in eius vita. Quod vt in poſterum ſeruaretur conſtitutione firmauit Alexander III. in Concilio Lateran. ſtatuens vt ſtipen-

dia certa eis darentur. Tum poſteà, vt in vnaquaque Eccleſia Metropolitana duæ Præbendæ aſſignarentur, vna Doctori Theologo, altera Magiſtro liberalium artium, Concilio eodem Lateran. *cap. 11.* vt conſtat ex *cap.* 1. *& pen. h. t.* quod ius deinde ad omnes Eccleſias Cathedrales & Collegiatas produxit Concilium Tridentinum *ſeſsione 5. cap. 1.* & Leo X. in Concordatis cum Franciſco Rege Franciæ, *§. 1. tit. de collation.* Non tamen credendum eſt omninò inductum ab Alexandro III. & Innocentio III. vt præbenda aſſignaretur his Doctoribus: idem enim conſuetudine iam receptum in Gallia profitetur Alexander III. in dicto Concilio Lateran. vt refertur *in cap. 1. in 2. compil. h. t.* & quamuis ſcholæ tam clericorum, quàm puerorum omninò ferè exerceri deſierint, tamen præbendæ remanſerunt, Theologalis, quæ Theologo aſſignari debet, altera verò cuilibet ex Capitulo qui vulgò nuncupatur Scholaſticus, & caput ſcholarum, *cap. quanto. h. t.* Magiſter ſcholarum in *cap. 4. de poſtul. prælat. cap. 5. de regul. in 5. compil.* Primicerius in *cap. conſtitutis. 23. de appellat.* & in pleriſque Eccleſijs nomen huc vſque remanſit. Et hæc præbenda non tantùm ad eius ſuſtentationem aſſignabatur, ſed etiam pauperum ſcholarium, quod temporum labes perdidit; qua de re conqueritur Crantzius *lib. 7. Vuandal. cap. 4. Ætate noſtrâ*, inquit, *Scholaſtici nullum officium eſt, niſi collectas pauperum ſcholarium in vſus menſæ ſuæ vertere*: vnde conijcitur & munus Scholaſtici fuiſſe colligere ſtipem, & mendicacare pro alimonijs pauperum ſcholarium. In alijs Eccleſijs in locum Scholaſtici ſucceſſit Cancellarius Vniuerſitatum, ſublato Scholaſtici nomine, vt in Eccleſia Toloſana, Bituricenſi, Caturcenſi. In quibuſdam Eccleſijs adhuc Scholaſtici nomen manet, vt in Eccleſia Aurelianenſi, quo ſignificatur Cancellarius: vnde Clemens IV. *epiſt. 91.* Cancellarium caput ſtudentium poſt Epiſcopum vocat. Aliquandò Scholaſticus, & Cancellarius vn[illegible] & idem non eſt, vt in *cap. conſtitutis. 46. ſup. de appellat.* Vt vt ſit, errant qui eo nomine Scholaſtici, Magiſtri ſcholarum, Primicerij, Cantorem tantùmmodò intelligunt; qui quidem eſt caput ſcholæ, ſed non clericorum & ſtudentium, vt *ſup. tit. de officio Primicerij* latiùs diximus. Hic verò caput ſcholæ, & Doctor Theologus antequàm olim ei præbenda aſſignaretur, iudicio & autoritate Epiſcopi conſtituebatur, & legendi, vel docendi licentia ei dabatur, ex decreto Eugenij, *can. de quibuſdam, 37. diſt. & cap. 2. addition. 2. Capitular.* Nec id regibus deberi contendit Clemens II. in *dicta epiſt.* in qua reſpondet ad conſti-



Digitized by Google

tutionem Iuliani in *l. Magiſtros. 7. & l. ſi quis. 10. C. de profeſſor. lib. 10. lex autem humana*, inquit, *decreuit ciuilis ſapientiæ profeſſores & Magiſtratum aſcendere non debere, donec ab ordine Decurionum fuerint approbati*; pro tempore loquitur quo Eccleſiaſtica cenſura non vigebat. Præfectus vrbi Romæ ius ſcholarum habebat, vt ex *Titul. de ſtud. liberal. Cod.* patet : & ideò Mediolanenſes petierunt ab eo licentiam, vt D. Auguſtinus ſcholarum curam apud eos ſuſciperet; ſed id effecerat Iulianus Apoſtata, vt incrementa Chriſtianæ religionis impedirentur, ſicut ipſe teſtatur in ſuis Epiſtolis. Nemo igitur poterat facultatem docendi ſinè licentia ſibi arrogare, *l. 8. C. eod. tit.* Inde fit vt hodiè quicunque gradum Doctoris aſſequuntur, ob licentiam publicè legendi, & docendi eis conceſſam Licentiati appellentur, & inter inſignia doctoratus peculiarem habitum nempe pallium aſſumant, *dicta l. 8.* ſicut olim Oratores, & Sophiſtæ qui ſuum habebant pallium, quod eis dabatur poſt examen & ſpecimen ingenij ſui editum. Damaſcius ex vita Iſidori Philoſophi: λόγοις ἐπεδεικνύμην πρότερον τὸν ἐπὶ ῥητορικῇ τρίβωνα περιθέμενος, ὥστε ἦν καὶ τρίβων ῥητορικός. ὅς καὶ φιλόσοφος, Id eſt : *Verbis primùm ſpecimem edidi Rhetoricæ primum pallium induens, quare erat etiam pallium oratorium, vt philoſophicum.* Imò & omnium artium liberalium profeſſores pallium accipiebant. Tertullianus *lib. de pallio*: *Omnis liberalitas ſtudiorum quatuor meis angulis tegitur.* Ad gradum verò promouendus antequàm pallio donaretur in balneum deducebatur vbi conueniebant Acromitæ, ſiue antiſtites ſcholarum, & ſcholaſtici qui candidatum retrahebant, Doctoribus eum vindicare volentibus, & poſt longam & ſolennem vltrò citróque contentionem, lotus in balneo, & pallio aſſumpto in ordinem referebatur, vt refert Olympiodorus apud Photium : quem morem apud legum profeſſores aliquandiu viguiſſe demonſtrat *can. 71. ſynodi VI. in Trullo,* dum prohibet Græcos mores, & cyliſtras, quibus vti ſolitum in promouendis ad magiſtratum ijs qui verum doctrinæ culmen attigerant; aſcendebant enim in theatrum, & illic vt in Circenſibus ludis curricula fiebant & agitationes, alijs ſibi vindicantibus ſcholaſticum, alijs reſiſtentibus, vt Balſamo interpretatur. Eodem fermè ritu quo libertatis aſſertio olim fiebat, ter, vel quater aduersùs retrahentem ſeu vindicantem in ſeruitutem illum de cuius ſtatu quæſtio habebatur, *l. 1. C. Theod. de liber. cauſ. l. 1. C. de aſſert. toll.* quam aſſertionem perfuſoriam vocat *Sueton. in Domitian. cap. 5.* quia dicis causâ ſicut trina mancipatio fiebat.

Digitized by Google

## *DE IVDÆIS, ET SARRACENIS, & eorum ſeruis,*

### Tit. VI.

SVperioribvs titulis dictum fuit de ijs qui nec in iudicium venire poſſunt, nec accuſationem inſtituere, ideò ſubiungit Gregorius *de Iudæis, & Sarracenis*, quos ab omni accuſatione, ſicut & teſtimonio aduersùs Chriſtianos arcet, *can. pagani. 2. q. 5. cap. Iudæi ſup. de teſtib. cap. 1. h. t.* iuxta conſtitutionem generalem Innocentij III. in Concilio Lateranen. *cap. cùm ſit. h. t.* quod anteà piiſſimus Gothorum Rex Recaredus ſub Pelagio II. conſtitui procurauerat in Concilio Toletano III. non verò IV. vt falsò innuit inſcriptio *can. nulla. 54. d.* in ordinem tamen Decurionum adlegi poterant olim, quia Decurionatus eſt onus potiùs, quàm honor, & velut neceſſitas quædam, *l. 3. §. vlt. ff. de decurion.* Hic autem titulus concipitur, *de Iudæis, & Saracenis*, quia inter eos longiſſima eſt differentia. Sarraceni ſunt qui à Iudæis defecerunt, dicti, vt tradit Agobardus *lib. de inſolentia Iudæorum*, primùm Agareni, & deinde corrupto vocabulo *Sarraceni.* D. verò Hieronymus deducit à Sara vxore Abrahæ, ſicut Agareni dicuntur ab Agar ancilla, quam ſententiam multi improbant, & præſertim Scaliger in Euſebij Chronica, eò quòd non Sarraceni, ſed Sarrani dici debuiſſent, qui eos à Saraca regione Arabiæ ducendos putat; quod confirmat teſtimonio Stephani de vrbibus: *Σάρακα χώρα Ἀραβίας μετὰ τοὺς ναβαταίους, οἱ οἰκοῦντες Σαρακηνοί.* Verùm hic locus mentem D. Hieronymi non deſtruit, imò adſtruit: nam ſicut Agareni ab Agara regione Arabiæ dicti, & Agara ab Agar ãcilla; ita & à Sara Saraca regio, quæ nomẽ dedit Saracenis. Quibus quidem populis plura fuerunt nomina, pro varietate regionũ quas occuparũt: dicti enim ſunt Arabes, Ægyptij, Mauri, Perſæ, Armenij, Numides, vel Nomades: Scaliger tamen non omninò aſſentitur eos à Sara, vel Saraca deductos fuiſſe, ſed potiùs à nomine Sarak, quod Arabicè ſonat furaces, *καὶ λῃστρικούς*, quales nunc apud Turcas dicuntur *Caſaki*: ſed hæc omnia ſunt coniecturæ. Quidquid ſit, certum eſt Saracenos ortum duxiſſe ab Iſmaële, qui incoluit deſertum Pharan, in quo & vrbem eo nomine dictam condidit, cùm anteà in tentoriis, & papilionibus habitarent, quæ dicebantur tabernacula Cedar: omnes enim iſtos Saracenos progenitos ex Iſmaële, Cedar,

& Agareno conſtat ex libr. Geneſeos, quos D.Hieronymus à Virgilio intelligi putat per *Barcæos, 4. Æneid.* ——— ——— *latéque vagantes Barcæi.*

Æthiopes etiam dictos ait D. Auguſtinus *lib. 3. ſuper quæſt. Numerorum*; perſecutus enim eſt Ioſaphat Æthiopas vſque in ea loca vbi Madianitæ habitabant, qui omnes Iudæi erant, & ritum Iudæorum, legémque amplectebantur; nam & circumcidi ſolitos eos, & à carnibus ſuillis abſtinuiſſe refert D. Hieronymus in *10. caput Hieremiæ*; licèt in pleriſque aliis à Iudæorum inſtitutis defecerint: quod temporum longinquitati tribuendum eſt, & quia permixti finitimis gentibus fuerint; cùm Moſes ſolis Hebræis, qui ex Ægypto exierunt leges dederit; eorum verò vicini ab Iſmaële acceptam diſciplinam corruperunt, & dæmonia coluerunt, ſed poſteà Chriſtiani effecti ſunt ope & ſuaſu Moſis eorum Epiſcopi, vt narrat Sozomenus *lib. 6. cap. 39.* & tandem nouam omnino, & inauditam legem acceperunt, quam Mahometes dux, edoctus à duobus Iudæis Apoſtatis, Sergio, & Ioanne hęreticis Neſtorianis, & Arrianis, ex Iudæorum, Gentium, & Chriſtianorum inſtitutis effinxit. Ex his conſtare poteſt differentia Saracenorum & Iudæorum. Sed quæritur an idem ius in vtriſque ſit ſtatuendum, quantùm ad ciuilia munera; ſicut in accuſationibus & teſtimoniis hos admittere non vult Cuiacius, qui Iudæos teſtimonium dicere poſſe adversùs Chriſtianos contendit ex *dicto cap. Iudæi*, quod ſumptum eſt ex Concilio Lateran. ſub Alexandro III. *cap. 26.* in quo, ait, Chriſtianos teſtes admitti debere contra Iudæos, *Cùm*, inquit, *illi aduersùs Chriſtianos teſtibus ſuis vtantur*: licèt Raimundus loco verbi (vtantur) appoſuerit (vti præſumant) vt Iudæis facultatem hanc conceſſam non fuiſſe doceat. Hanc Alexandri ſententiam firmat Cuiacius *ex can. non poteſt. 2. q. 7.* in quo dicitur Iudæum qui poſtquàm Chriſtianus effectus fuerit, iterum defecerit, non poſſe teſtimonium ferre; quaſi innuat Concilium Toletanum, ex quo ſumptus hic canon, præuaricatores tantùm Iudæos ab hoc iure arcendos: ſed hæc ità non ſunt accipienda; agitur enim ibi de Iudæis qui Chriſtiani effecti, ſuſpectæ tamen ſunt fidei, licèt Chriſtianos ſe profiteantur, hos enim teſtes eſſe non vult, ſed iure eodem cenſeri, quo veros Iudæos. Nec Alexander III. omnino contrarius eſt, nam verbo (vtantur) vſus eſt, quaſi dixiſſet (abutantur) prauam quandam conſuetudinem indicans quâ Iudæi aduersùs Chriſtianos recipiebantur: in quibuſdam enim regionibus in tantam erant euecti autoritatem Iudæi, vt Chriſtianis ſuperiores eſſent: de quo acriter conqueritur Agobardus apud Ludoui-

Digitized by Google

cum Imperatorem libro citato. Sed tamen à iure communi omninò alienum eſt, vt Iudæi teſtes fiant, quia infidelis contra fidelem non admittitur, *can. ſi hæreticus. 2. q. 7. can. nullus. 3. q. 5.* quin etiam nominatim definitur Iudęum aduocatum vel defenſorem eſſe non poſſe, *l. vlt. C. de Iudæis. cap. 7. Concilij Meldenſis*, multo minùs accuſatorem, dicto *can. pagani. 2. q. 5.* ergo nec teſtem, quum is qui accuſare prohibetur, nec teſtis eſſe poſſit, *can. 1. 4. q. 1.* nec in ea parte debuit diſtinguere Cuiacius Iudæos à Sarracenis, vt illos, non hos teſtes eſſe poſſe contendat. Coniunguntur paſſim in hoc titulo, & coniunctim prohibentur habitare cum Chriſtianis, *cap. Iudæi, 5. h. t.* arcentur ab omnibus ciuilibus officiis, *cap. cùm ſit. h. t.* debent diſtingui habitu à Chriſtianis, quod primus Innocentius III. ſtatuit in Concilio Lateranen. *cap. in nonnullis. h. t.* & confirmauit *Clemens IV. in Concilio Viennenſi*, in quo præcipit Iudæis ſecundùm morem regionis pileos cornutos deferre: hodiè quo faciliùs diſcernantùr lutei coloris galeri imperantur, ſicut virides his qui bonis ceſſerunt. Sunt pleraque alia communia Iudęis, & Sarracenis, quæ facilè depręhendi poſſunt: ſeruos Chriſtianos eis habere non licet, *cap. 2. h. t.* imò qui eis ſeruiunt excommunicantur, *cap. 5. h. t.* ſed nec nutrices, quæ eorum liberos alunt Chriſtianas habere poſſunt, *cap. etſi. h. t.* non habent etiam connubium cum Chriſtianis, *can. caue. 28. q. 1.* & contractus diſſoluitur ſi Iudæus, aut Paganus conuerti nolit, *can. Iudæi, ead.* Denique conuiuia agere cum noſtris nō poſſunt, *can. omnes. 28. q. 1.* quamuis cum Sraracenis aliquando edere liceat Chriſtianis, ſi eâ mente id agant, vt eorum conuerſionem procurent, *can. infideles. 23. q. 4. can. ad menſam. 11. q. 3.* ratio enim hæc eſt; quia Iudæi à cibis quibuſdam abſtinent, quos immundos credunt. In eo maximè differunt Sarraceni à Iudæis, quòd hi aduerſùs nos arma non ferant, imò velut mancipia nobis obſequuntur, *can. diſpar. 23. q. 8.* quod tamen non eſt tribuendum eorum facilitati & beneuolentiæ, ſed potiùs imbecillitati: nec enim abeſt ab illis in Chriſtianos odium incredibile; quos & ideò ſæpiùs noſtri Reges è ditionibus ſuis exegerunt; quia venenis & prauis machinationibus Chriſtianis inſidiabantur, & fontes toxicis inficiebant: quæ cauſa eſt cur *can. nullus. 28. q. 1.* vetet Chriſtianos Medicis Iudæis vti; ſic enim Carolum Caluum Imperatorem à Iudæo Sedechia accepto puluere necatum refert Aymonius *lib. 5. de geſt. Francor.* Hoc etiam impio pro more habebant, vt ſingulis annis in die Cœnæ Domini Chriſtianum hominem ad opprobrium Chriſtianorum crucifigerent in cryptis ſuis: & ideò Philippus Auguſtus bonis exutos è Gallia expulit, vt refert

Digitized by Google

Rigordus in eius vita. Quæ quidem peſtis ità irrepſerat, vt aliorum etiam ſubſequentium regum edictum interponi debuerit, ne vllas ampliùs ſynagogas & templa, quæ ſcholas vocitabant, habere poſſent, eodem Rigordo teſte. In ditionibus & regnis alienis edictum Theodoſij Imperatoris locum habuit, vt nouas erigere ædes non poſſent, veteres tantùm reſtaurarent, & conſeruarent, *l. vlt. C. h. t.* quæ eſt legalis definitio de qua Gregorius in *cap. Iudæi. 3. h. t.* D. Ambroſius in *Epiſt. 29.* & *30.* Quod tolerantia, & patientia ſummorum Pontiff. eis indulſit, eâ lege, vt eas altiùs tollere, ampliores & pretioſiores facere non licuerit, *cap. conſuluit. h. t.* De eo Clemens IV. *Epiſt. ad Epiſcopos Poloniæ* conqueritur; *Synagogas*, inquit, *Iudæi ædificant plumbo tectas deſuper, intus diuerſis coloribus depingunt, in tantam eas altitudinem producentes, vt earum reſpectu decorem domus Domini perdidiſſe in Polonia videatur.* Ob id quoque eorum inſolentiam inſectatùr Agobardus loco citato.

## *DE HÆRETICIS,*

### Tit. VII.

IVdæis & Sarracenis ſubiungit Gregorius titulum de Hæreticis, qui ab illis diſpares non ſunt, niſi quatenus appellatione diſtinguuntur, vt ait Chryſoſtomus, *lib. 4. de ſacerdot. cap. 4.* τοὺς μὲν ὀυδὲν ἄμεινον Ἰουδαίων διακειμένους εὑρήσει, πλὴν ὅσον ὀνομάτων διαφέροντα μόνον. Id eſt, *Alteros inuenies Iudæis nihilo meliores ſanioréſve, niſi quatenus appellatione inter ſe differunt.* Non tamen Iudæi & Sarraceni, ſiue pagani, hæretici appellantur: triplex enim diſtinctio adhibetur à Zonara in *can. 14. Concil. Chalced.* vnde deſumptus *canon. quoniam. 32. diſt.* vt Iudæi ſint interfectores Chriſti, & qui ex eis prognati: Sarraceni, ſiue Pagani qui & Græci vocantur, qui à fide prorſus alieni idolis inſeruiunt; Hæretici verò qui myſteria fidei Chriſtianæ ità recipiunt, vt in quibuſdam tamen ab orthodoxis diſſentiant, & prauam cuiuſdam hominis opinionem ſequi malunt, quàm vniuerſalem Eccleſiæ doctrinam; & nomen ſuorum ſectariorum affectant potiùs quàm Chriſti; vt de Arrianis, & Manichæis, & aliis ſcribit D. Ambroſius *in præfatione 1. ad Corinth.* De his hic titulus, quos grauiùs plecti voluerunt tam conſtitutiones ciuiles, quàm canonicæ; Hæreſim etenim crimen & maleficium publicum fecerunt, & in hæreticos pœnas quatuor ſtatuerunt, excommunicationem

cationem, *cap. ſicut. h. t.* καθαίρεσιν, depoſitionem, *cap. ad abolendam. h. t.* bonorum amiſſionem, *cap. vergentis. h. t.* & pœnam corporalem, *cap. 13. §. damnati, & cap. 15. h. t.* Imperatores aliquando exſilium decreuerũt, aliquando capitale ſupplicium pro varietate hæreticorum; in Manichæos mortis pœnam, *l. 5. C. de hæretic.* quam legem non vidit D. Auguſtinus, ſuis enim temporibus Theodoſius Magnus decẽ librarũ auri multã cõſtituerat, vt ſcribit in *Epiſt. ad Dulcidium 68.* Nõ *enim*, inquit, *tu in eos ius gladij vllis legibus accepiſti*; nam vltimo vitæ anno conſtitutio illa Theodoſij Iunioris & Valentiniani in dicta *l. 5.* edita eſt. Præter Manichæorum hæreſim, nullam aliam pœnâ capitis multarunt Imperatores; in Hæreſiarchas tamen, & nouæ religionis autores ſeueriùs ſemper actũ fuit, quos õnes generaliter Valentinianus & Martianus capitali ſupplicio plecti voluerunt in *l. 8. C. eod.* Canones verò ſententiam capitalẽ, & ſanguinis iudicium ferre noluerunt, ſed hoc ad Iudices ſeculares ab inquiſitoribus remitti voluerunt, *cap. penult. h. t. cap. vt inquiſitionis. eod. in 6.* Communior tamen & frequentior pœna fuit ignis, *l. vlt. C. Theod. h. t.* Zonaras in *can. 60. Apoſtolorum.* Fuit verò olim obſeruatum, vt hæreticus ad bonam frugem redire cupiens, non admitteretur communioni fidelium, niſi ab Epiſcopis, vt ex præfatione ſynodi Gangrenſis conſtat, *cap. penult. h. t.* non ità in doctoribus & ſeminatoribus falſorum dogmatum, quos nunquam ad communionem recipi voluerunt leges Eccleſiaſticæ; quod in Alexandrina ſynodo ſtatutum refert D. Hieronymus *aduersùs Luciferianos, paulò ante finem*; aut ſaltem niſi hâc conditione vt omnes ad fidem reuocarent quos erroribus ſuis imbuiſſent; quæ conditio impoſita fuit Marcioni, vt teſtatur Tertullianus *lib. de præſcript. adu. hæret. cap. 30. Ità pacem recepturus*, inquit, *ſi ceteros quoſque quos perditioni erudiiſſet, Eccleſiæ reſtitueret.* Saltem contraria prædicare, docere, ſcriptis mandare, aut publicè profiteri cogebantur, *can. ego Berengarius. de conſecrat. diſt. 2. can. ſi quis Epiſcopus 1. q. 7.* & ſe in vnitate ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ &, cõmunione Romani Pontificis iureiurãdo præſtito permanſuros, *can. quoties. 1. q. 7.* nec eos vnquã ad maiores honorũ gradus, quàm quos anteà adepti erant, potuiſſe conſcendere ſcribit D. Hieronymus, loco citato; iuris ſeueritas nec ad priſtinos redire paſſa eſt, *can. 1. 1. q. 7.* licèt ſoleat Eccleſia benignitatem ſuam ſæpiùs impertiri, *can. ſi qui voluerint. can. maximũ, & can. conuenientibus, ead.* Contra eos verò qui pertinaciter hæreſin tuẽtur, nec ad gremium redire volunt grauiùs agitur; ſiquidem, vt dixi, in primis excomunicatione plectũtur maiori, anathematis, quã in[illegible]rrũt ipſo iure: eſt enim canon latæ ſententiæ, ità vt non opus fuerit aliâ ſententiâ



Digitized by Google

condemnatoriâ, ſed tantùm declaratoriâ.*can, Epiſcopi.* 26. *q.* 5. *cap. cùm ſecundùm. h. t. in* 6. Prætereà omnino vitandi ſunt hæretici, nec cibus cum eis ſumendus, *can. ad menſam.* 11. *q.* 3. *can. omnis qui.* 24. *q.* 1. & qui cum eis verſatus fuerit, excomunicationis vinculis innodabitur: qui eorum templa, ſicut qui ſynagogas Iudæorum ingreditur, & cum eis Deum orat, *Can.* 64. *Apoſtolorum*, ſi clericus, καθαιρέσει laicus ἀφορισμῷ ſubiiciendus eſt, ait Zonaras; eos enim nec templa habere, nec congregationes, ſynaxes, Litanias agere licet, *l. cuncti. C. eod. cap.* 12. *h. t. Nouella Juſt.* 32. nam orationes hæreticorum potiùs ſunt ἀλογίαι, quàm εὐλογίαι, *can.* 32. *ſynodi Laod.* & è contrario non eſt concedendum hæreticis Eccleſias ingredi, *can.* 6. *eiuſdem ſynodi.* Horum quoque filij ab omnibus beneficiis & officiis vſque ad ſecundum gradum arceri debent, *cap. excomunicationem.* 13. *h.t. cap. ſtatutum. eod. in* 6. ad exemplum reorum læſæ Maieſtatis, *l. quiſquis. C. ad l. Jul. Maieſt.* Sunt & incapaces capiendi hereditates, & legata ex teſtamento, *c.* 5. *hoc tit.* nec vllam habent teſtamenti factionem, vt refert ex conſtitutione Theodoſij D. Auguſtinus, *lib. contra Parmen.* teſtes eſſe nō poſſunt. *l. quoniam. C. eod.* licèt contra eos inteſtabilis quilibet admittatur, *cap. in fidei* 5. *h. t. in* 6. Nullam verò diſtinctionem admittimus inter hæreticos, cuiuſcumque enim generis ſint eodem iure cenſentur noſtris conſtitutionibus: nec fit differentia inter Manichæos, Samaritas, & alios, à Iuſtiniano in dicta. *l. quoniam*, & *Nouella* 45. in quibus hos, quòd ceteris fuerint improbiores, inteſtabiles omnino facit, reliquos verò, quantùm ad accuſationem, non quantùm ad contractus, & teſtamenta, Manichæi ſiquidem & Samaritæ ab hæreticis diſtingui videntur conſtitutionibus Imperatorum, vt indicat titulus *Codicis de hæret. & Manich. & Samar.* & *Nouel. Theodoſij*: imò & titulus noſter in 4. *compilat.* ideò quòd Manichæi ad faſtigium malitiæ & impietatis perueniſſent, *l.* 5. *C. eod.* lucem enim & noctem ſibi Deos ſtruebant, vetus Teſtamētum reſpuebant, & de Paracleto infinitas blaſphemias effundebant, vt conſtat ex Cyrillo, *catecheſi* 6. Samaritæ verò ſunt etiam hæreticis peiores, nec tamē propriè hæretici, quum conflati ſint ex Iudæis & Paganis, qui nec iudicium futurum exſpectant, nec Chriſtum Dei filium fatentur, reſurrectionem negant, quam in procreatione liberorum cōſiſtere contendunt, vt ſcribit Philaſtrius, *lib. de hæreſibus* His Iuſtinianus *Nou.* 129. reſtituit bonorum adminiſtrationem, & teſtamenti factionem, quam poſteà Iuſtinus eius ſucceſſor eis ademit, *Nou.* 1[illegible].

Digitized by Google

## *DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB EIS,*
## TIT. VIII.

HÆreticis affines ſunt ſchiſmatici; omnes enim hæretici ſunt ſchiſmatici, ſed non è contrario ſchiſmatici ſunt hæretici. Hæreſis eſt diuerſa ſequentium ſecta; ſchiſma verò eadem ſequentium ſeparatio. Hæreſis eſt ſchiſma inueteratum; ſchiſma, recens congregationis ex aliqua ſententiarum diuerſitate diſſenſio; cui tamen vna religio, eadem ſacramenta, nihil in Chriſtiana obſeruatione diuerſum, vt ait D. Auguſtinus *lib. 2. contra Creſconium.* quæ differentia congruit cum D. Hieronymo, qui in *can. inter. 24. q. 3.* ait hæreſim eſſe quæ peruerſum dogma ſequitur; ſchiſma verò id quod naſcitur ex aliqua Epiſcopali diſſenſione, quam odium fraternum vocat D. Auguſtinus, *lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas*: *odium*, inquam, *fraternum*, quia inter Chriſtianos, & fidei Catholicæ cultores, eiuſdémque matris, Eccleſiæ nempe, filios naſcitur; vt olim inter Apoſtolorum diſcipulos, *Ego ſum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo, ego Chriſti*, 1. *ad Corinthios, cap. 1.* Hanc diſſenſionem ſchiſma vocat Apoſtolus, διχοστασίαν & ἀναστασίαν, id eſt, *ſciſſuram*; quam cauſam dediſſe creandorum Epiſcoporum, cùm anteà Eccleſiæ presbyterorum conſilio gubernarentur, teſtatur D. Hieronymus *ad Titũ 1. cap. 1. In toto orbe decretum eſt, vt vnus de presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſia cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Et huic presbytero ceteris præpoſito nomen Epiſcopi datum fuit, à Græco verbo σκοπεῖν, vel ἐπισκοπεῖν, quod eſt, *ſpeculari*, quia oculum debebat intendere ad reliquorum diſſenſiones & ſcandala, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας, καὶ τὰ σκάνδαλα, vt eſt apud D. Paulum *ad Romanos, cap. vlt.* Triplex verò genus diſſenſionis & diſſidij in Eccleſia animaduertitur, hæreſis, ſchiſma, inſolentia: hæreſis, vt dixi, eſt eorum qui omninò alienati ſunt à fide; ſchiſma eorum qui propter quaſdam quęſtiones medicabiles πρὸς ἀλλήλους διενεχθέντες inter ſe diſſident: inſolentia, quæ Græcis παρασυναγωγὴ, eorum qui ob crimen aliquod à ſacris prohibiti, canonibus non obtemperauerunt. Hæretici ex albo eradi, Chriſtianorũ, & gremio Eccleſiæ, ſchiſmatici abſcindi tantùm dicebantur: & illorũ olim à quibuſdam baptiſmum aboleri, horum conſeruari exiſtimabatur: inſolentes verò ſeparari dicebantur, & facilè per penitentiam reſtituebantur: quæ diſtinctio latè proponitur à D. Baſilio *can. 1. ad Amphilochium.* Ergo



Digitized by Google

Schiſmatici ſunt qui obſtrictâ ceruice ſe ab Eccleſiæ autoritate & obedientia ſubtrahunt, & ſe ab ſede Apoſtolica diuidunt, *can. non vos. 23. q.* 1. veluti ſi presbyter aliquis ſe ab Epiſcopi ſui communione cum quibuſdam aliis ſubtraxerit, vt ex *can. 10. Concil. Carthag.* refertur in *can. ſi quis presbyter.* 11. *q.* 3. Ex quo notandum propriè ſchiſma non fieri ab vno homine tantùm, ſed ab eo cuius tumorem & arrogantiam alij ſequuntur, & relictâ propriâ & generali Eccleſiâ, aliam habere cupiunt priuatam, & in ea res Eccleſiaſticas interueniente presbytero peragere citra voluntatem Epiſcopi, κτ̀ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ait *canon 6. ſynodi Gangrenſis*, ſicut Euſtathianos feciſſe refert Zonaras ad hunc canonem, quod etiam declarat Nicolaus I. *in Ep. 6. ad Magnum, can. denique. 7. q. 1.* agens de his qui ſibi pſeudoepiſcopos conſtituebant, quos gentilibus adæquandos eſſe dicit *can. non afferamus. 24. q. 1.* Qui verò Pſeudoepiſcopi manus ſuſcipiunt hæreſiarchis ipſis æquiparantur, vt de Octauiano & Guidone refertur in *cap. 1. h. t.* Octauianus enim Pſeudopontifex factus fuit, & Victor vocatus, factione & malitiâ Guidonis Cardinalis Cremenſis contra Alexandrum III. qui quidem Guido poſt obitum Octauiani Pſeudopontifex etiam renunciatus eſt Lucæ in Tuſcia, & vocatus Calliſtus III. non, vt gloſſa annotauit, Paſchalis; ſiquidem Ioannes Strumenſis poſt eos ſedem arripuit, dictus Paſchalis III. vt eſt apud Othonem Friſingenſem. Pœna ſchiſmaticorum verò eſt, vt præter anathematis ſententiam per exteram poteſtatem coërceantur, *can. non vos. 23. q. 5. Per exteram poteſtatem* intelligit Pelagius ſeculares iudices, non abſimili ſenſu, quo apud Iuriſconſultos exteri dicuntur, ſeu extranei, qui non ſunt ſui heredes, qui non ſunt de familia, apud Iuſtinianum, *tit. de heredum qualit. & differ.* Hos eoſdem iudices ſeculares idem Pelagius, *Poteſtates publicas*, vocat, in *can. ſeq.* ſunt enim laici iudices quaſi miniſtri Eccleſiæ ad tuendam eius diſciplinam, ad id exſequendum, quod ſacerdotes doctrinæ vi & imperio perficere non poſſunt, *can. principes. eâd.* Proſcriptione quoque bonorum, & exſilio puniuntur, *can. de Liguribus. eâd.* omnibus officiis, dignitatibus, & prærogatiuis deſtituuntur, *can. factus. 7. q. 1. & can. didicimus. 24. q. 1.* Denique ordinationes, promotiones dignitatum, & rerum conceſſiones, alienationes ab iis factæ nullius ſunt momenti, *c.* 1. *h. t.* niſi ſuper his ritè fuerit diſpenſatum, *cap. 2. eod.* Suſcepti tamen ordines ante ſchiſma, poſtquàm redierunt, ex liberalitate, & indulgentia eis conceduntur, ademptâ omni ſpe promotionis ad maiores, *can. omnis.* 1. *q.* 1. & quod dico, nullius eſſe momenti ordinationes, intellige quantùm ad executionem, *can. ordinationes.*

Digitized by Google

*9. q. 1.* quam licèt non conferat ſchiſmaticus, ſeruatis tamen Eccleſiæ formis & ritibus, ordinis characterem confert, vt Oſtienſis, Panormitanus, & alij cenſent; ideò Cardinalibus ſchiſmaticis ordo non adimitur, ſed ſuſpenditur, *cap. vnico. h. t. in 1. compilat.* Conſecrationem Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum à ſchiſmatico factam, & omnia, præter baptiſmum, & chriſma dicuntur retractari, quæ quidem niſi à vero Pontifice reſcindantur, vel in ſuſpenſo ſunt, vel rata omnino habentur; nam ex hiſtoria, ſinè reſtitutione & indulgentia, Cardinalatus dignitatem & honorem tempore ſchiſmatis inter Vrbanum VI. Romæ, & Clementem VII. Auenioni ſedentes, locum & vim habuiſſe didicimus. Beatus enim Petrus de Luxemburgo, Cardinalis creatus ab Antipapa Clemente, obijt miraculis, & morum ſanctitate clarus, cuius reliquiæ etiam hodię cum ſumma veneratione Auenioni in Eccleſia Celeſtinorum aſſeruantur, & à peregrinis cum ingenti cultu viſuntur.

## *DE APOSTATIS, ET REITERANTIBVS baptiſma,*

### TIT. IX.

SCHISMATICIS maximè accedunt Apoſtatæ: nullus enim Apoſtata eſt qui non ſit ſchiſmaticus, quicumque enim recedit à vera fide, ſcindit ſe & diuidit à Chriſto; & ideò in *can. beatus.* 3. *q. 4.* definitur, tranſgreſſor ſpontaneus legis ſuæ, & propoſiti ſui. Ex quo notandum verè Apoſtatas eſſe, qui ſponte, non vi coacti recedunt, *can. alieni. 2. q. 7.* quicumque enim metu & terrore, hoſtium Chriſtum negant, Apoſtatæ propriè non dicuntur, quamuis tamen grauiter peccent, pœnáſque canonicas non effugiant, *can. 62. Apoſtolorum. can. nolite. 11. q.* 3. Lapſis & errantibus ſubueniendum eſſe ait Theodoſius *in l. 3.C. h. t.* Per lapſos ſinè dubio debemus intelligere eos, qui metu mortis à vero tramite receſſerunt: quibus & ideò faciliùs venia indulgetur ſi penitentiam egerint. Quod apertiùs exprimitur in *can. 1. ſynodi Ancyr.* Eos enim aliquo modo excuſandos cenſet, qui intolerabili tormentorum aſperitate victi Deum abnegarunt, non fraude aliquâ, μήτε ἐκ μεθόδου τινος, ἀλλ᾽ ἐξ ἀληθείας, id eſt, *fictè & fraudulenter, ſed verè* βιασθέντες ἔθυσαν, id eſt, *coacti immolauerunt, can. 4. ead.* Hanc etiam diſtinctionem depræhendimus ex

Concilio Nicæno, *can. 19.* iuxta editionem Alphonſi Piſani, & Franciſci Turriani: in eos equidem qui ſinè periculo, & vi regum, principum, & gentilium à fide defecerunt animaduertit. Quin & definitio Apoſtatæ id ſatîs indicat, qui Hebræis dicitur *Satanas*, &, *Belial*, id eſt, *prauaricator, & abſque iugo,* vt ſcribit D. Hieronymus *in cap. 27. Iſaïæ,* & Anaſtaſius Nicænus *quæſtionibus in Scripturam*: quæ verba tantùm ad ſuperbos & ambitioſos referuntur. Duplex verò eſt Apoſtaſia, alia a fide, alia à religione; licèt gloſſa triplicem conſtituat; aliam nempe ab obedientia, Prima, maximum crimen eſt, ſacrilegium vocat Conſtantinus in *l. 1. C. h. t.* ideò Apoſtatas ab omnibus muneribus, honoribus, & facultatibus contrahendi teſtandi, alienandi repellunt; & eorum bona fiſco addicunt Imperatores *in l. 2. 3. & 4. C. eod.* imò & capitali pænæ ſubijciendos docet Harmenopulus, *lib. 6. tit. 11.* Quod ſi huius criminis eos peniteret, cum fidelibus communionem non habebant, ſed eos canon *4. Synodi Ancyr.* inter Audientes vnius anni ſpatio conſtituit; inter penitentes, hoc eſt, in ſubſtratione, biennio, inter fideles alio biennio; & tum demum ad id quod eſt perfectum, ἐπὶ τὸ τέλειον, ad ſacrum myſterium acceſſus dabatur. Duriùs paulò egerat anteà ſynodus Nicæna in dicto *can. 19.* quæ in auditorio triennium, in ſubſtratione ſeptennium, inter fideles abſque communione biennium definierat: poſteà Siricius Papa qui annos circiter ſexaginta à Nicæno Concilio pontificatum geſſit, ſeueriorem legem tulit in *epiſt.* 1. *ad Himerium Tarraconenſem, cap. 3.* Deſertoribus enim, ſiue Apoſtatis nullum tempus conſtituit, ſed toto vitæ tempore eos penitentiam agere, & à ſacra communione præterquàm in articulo mortis arceri voluit; quâ pœnâ etiam vſi ſunt Theodoſius, Valentinianus, & Arcadius in dicta *l. 3. h. t.* *Perditi nullo remedio penitentiæ, quæ ſolet alijs criminibus adeſſe, ſuccurritur.* Apoſtaſia religionis, & deſertio ordinis ſiue clericalis, monaſtici, *can. eos. 20. q. 3.* Clericus enim qui vel habitum, vel & vitæ modum mutat, Apoſtata eſt, *cap. 1. h. t. can. vlt. 50. diſt.* Habitus nomine, tonſura, & quiuis alius clericalis ordinis ſtatus intelligitur; ſiquidem ad tonſuram ferendam compelli debent clerici, quia in tonſura ordo confertur, *can. ſi quis. 23. diſt.* Quod ſimiliter dicendum de veſtibus quæ peculiares ſunt clericis, & diſtinctæ à prophanis; quibus qui clerici fiebant olim ſolenniter indui ſolebant, & ſicut per tonſuram, ità per veſtem, per cingulum ordo conferebatur; & tunc certo loco, certæ Eccleſiæ ordinabantur, vt *ſup. tit. de vita & honeſt. & tit. de cleric. non reſident.* attigi. Similiter Monachi tonſuram ſuam & veſtem habebant, quibus monaſterio

ordinabantur, *can. qui verè, 16. q. 1. can. quidam. 18. q. 2.* Ideò quicumque ab Eccleſia vel, Monaſterio cui tonſi, & ordinati fuerant, recedebant, vt Apoſtatæ puniebantur, *can. 1. 20. q. 3. can. 21. ſynodi VI. in Trullo.* Crimen hoc Apoſtaſiæ magnum, & ferè omnibus pœnis, quibus Chriſti deſertores, compellendi ſunt: excommunicatione potiſſimùm & anathemate, *d. can. 1. 20. q. 3.* Si verò votum religionis contemnentes in hæreſim dilabantur, eâdem pœnâ quâ hæretici plectendi ſunt, *l. vlt. C. h. t.* Iuſtinianus quidem Apoſtatas cohorti præſidis prouinciæ addicebat, *Nou. 6.* ſed deinde *Nou.* 123. eos reuocari in monaſterium voluit, ità tamen, vt ſi iterum à religione deficerent, cohortalibus adſcriberentur: quod tamen Leo immutauit *Nou.* 8. nolens eos vnquam cohorti adſcribi, ſed vt fugitiuos requiri, & retrudi in monaſterium. Quod hoc iure locum habet, diſtinctione tamen poſitâ, vtrùm deſertores clericatus, vel monaſticæ vitæ excommunicati redire noluerint, ſed militiæ, vel alicui miniſterio publico vacauerint, tunc reuocati in monaſterium vt laïci ſinè vllo gradu reputentur, vt ſcribit Balſamon *ad can. eos. 11. q. h. 3.* deſumptum *ex can. 7. Concilij Calced.* Si verò ſimpliciter propoſitum mutarint, & penituerint, reſtituantur; priuati tamen omnibus bonis antè poſſeſſis, honoribus, & prærogatiuis, *can. mandamus. 19. q. 3.* iuxta ſententiam *canon. 26. Apoſtolorum.* Tertium genus Apoſtaſiæ, quod affert Gloſſa *in cap. primum. h. t.* omitto, vtpotè inſolitum & inauditum, quod naſci dicit ex inobedientia, & contemptu diuinorum mandatorum, ſacrarúmque conſtitutionum ſiquidem horum tranſgreſſor peccatum quidem committit, ſed non apoſtaſiam, vt optimè docet Panormitanus; niſi diuina mandata obligare non credat, vel Eccleſiæ, & Prælatorum autoritatem & poteſtatem neget; ſed tunc hoc genus nouum non eſt, & idem ferè cum primo, quo quis fidei deſertor eſt, & in hæreſim labitur, *can. nulli fas. 19. diſt.*

Additur in *hoc tit.* de reïterantibus baptiſmum, quæpars ſuo diſtinguenda titulo videbatur, vt in Codice Iuſtiniani; quia baptiſmi iteratio hæreſis potiùs fuit, quàm apoſtaſia. Donatiarum & Arrianorum error hic fuit, *can. nunc autem. can. non licere, & ſeq. de conſecr. diſt. 4.* iniuria enim fit ſacramento per iterationem, *cap. 2. h. t. can. quemadmodum, 23. q. 7.* ſed de his *ſup. tit.* de *Presbytero non baptizato.*

Digitized by Google

## *DE HIS QVI FILIOS OCCIDERVNT.*

### Tit. X.

A Pvblicis accuſationibus ad priuatas deſcendit Gregorius, & imprimis tangit crimen homicidij, quod diuiditur in parricidium, & homicidium; hoc titulo de parricidio, & ſeq. tum de illo. Quæret aliquis cur hoc titulo agitur tantùm de nece filijs illata à parentibus, non ex aduerſo, quod deſiderandum fuit, quum lex parricidij omnes gradus tam aſcendentium, quàm deſcendentium complectatur? lex nempe Pompeia, *l. 1. ff. ad l. Pompei. de parricid. & l. unica. C. de his qui filios, vel parentes occid.* & parricidij vox non ſolùm ad parentum necem, ſed etiam filiorum & fratrum referatur, vt apud Tullium *pro Cluentio, fraternum parricidium dicitur*: ſed & ciuium apud eundem Tullium *7. in Verrem*; imò & cuiuſcumque hominis: πατροκτονία, ſumitur pro ἀνδροκτονία ex lege Numæ, quam refert Feſtus, *ſi quis liberum hominem duit, parricida eſto.* Propriè tamen parentum parricidium dicitur; vnde eſt quòd Nicolaus ad conſulta Bulgarorum, *cap. 24.* ait, *Quid parricida*, id eſt, *qui patrem, vel matrem, fratrem, aut ſororem interficit, pati debeat, leges indicant*, quod refertur in *can. 53. ſynodi Vuormac.* Si quis igitur parentum ſanguine manus ſuas maculauerit, pœnâ puniendus eſt legibus notiſſimâ; quam non tamen Pompeius introduxit, quippe anteà in vſu fuiſſe conſtat *ex l. 9. ff. eod.* pœna parricidij more maiorum inſtituta eſt, quippe lege XII. Tabularum iam recepta erat, vt ex *Tullio 1. ad Herennium* liquet. Ponpeius eam more populi Romani obſeruatam lege fimauit, & de ea publicam quæſtionem Cornelius Sulla primus inſtituit, vt notum eſt *ex l. 2. §. deinde. de orig. iur.* Dicta tamen fuit non Cornelia, quia ea lex ad omnes ſicarios extendebatur; ſed Pompeia, quia Pompeius licèt pœnam non ſtatuerit, tamen perſonas, circa quas parricidium committi diceretur, expreſſit, *d. l.* 1. & ad hanc legem extendere debemus quæ de matre, quæ interemit filium dicuntur in *cap. 1. & 2. h. t.* Cuius potiſſimùm fit mentio ideò *h. t.* quia frequentiùs euenire ſolet vt matres filios ſuos, quàm filij matres interficiant, partim incuriâ, partim odio, partim ob luxuriam; tædio enim eſt ijs filios numeroſiùs augere, quum non pro filijs habendis matrimonium, ſed libidinis explendæ cauſâ contrahunt: ideò eas capitali pœnâ plecti voluit Recaredus rex Gothorum, vt eſt

vt eſt in *can. 17. Concilij Toletani III.* Et licèt mater calore iracundiæ ad hoc ſcelus impulſa fuerit, non excuſatur: ſed pœnâ canonum coërcetur, quæ mitior eſt illa, quam leges inferunt; quia quum ſanguinis, vel mortis ſupplicium horreant, *cap. ſententiam, ſup. ne clerici, vel monachi*; hoc tantùm ſtatuitur vt in monaſterio recludatur, illic perpetuam penitentiam actura; quòd ſi maritum habeat, non erit à viro ſeiungenda, ſed pro qualitate criminis punienda, *cap. 2. h. t.* Pœna verò quam patris, matríſve interfectores incurrunt, notanda eſt ex *can. latorem* 33. *q. 2.* ex quo conſtat hoc iure certam & definitam pœnam non eſſe, quam iuris poſitiui faciunt Theologi, ſed tamen hoc conſtitutum manet, vt brachio ſeculari tradantur, *can. quum non ab homine. ſup. de iudic.* Non ſolùm autem mulier quæ mortem gladio & vi intulit, ſed & quæ potionibus & venenis, quæ φθόρια vocat ſynodus Ancyr. vel alijs prauis artibus necem filijs procurauit, vel in vtero ſuo abortum fecit, *can. conſuluiſti. 2. q. 5.* pœnis homicidarum ſubijciendam ait *can. 91. ſynodi VI in Trullo,* ſegregationem quidem totius vitę tempore primùm irrogatam fuiſſe, deinde decennij oſtendit *can. 21.* dictæ ſynodi, quod confirmat D. Baſilius *in can. 2. ad Amphil.* His non annumeratur, quæ exterrita, vel metu commota partum aluo effudit, quem *exterricineum* vocat Feſtus; ſicut etiam propter ſuffocationem quæ fit in lecto à patre & matre ſimul decumbentibus: vbi enim non voluntas, ſed euentus mortis cauſa fuerit, crimen homicidij non eſt, *cap. vlt. h. t.* quamuis tamen culpâ non vacent, quæ ex ipſorum confeſſione elicienda eſt, dicto *can. conſuluiſti.*

## *DE INFANTIBVS, ET LANGVIDIS EXPOSITIS*

### TIT. XI.

HIc titulus pars eſt & ſequela ſuperioris, quum parẽtes qui filios exponunt occidere eos videantur, *can. paſce. diſt. 86. l. necare. de liberis agnoſc.* mulier enim quæ ſui fœtus curam non habet ſed eum vel abijcit, vel exponit, homicidij, & cædis rea habẽda eſt, vt ait D. Baſilius *in can. 33. ad Amphil.* in quem Balſamon rectè ſubdit ſynodali conuentu definitum fuiſſe, eos qui proprios filios in templi aditibus exponunt, vt homicidas puniendos, etſi infantes ab alijs educentur: quod congruit cum *can. ſi expoſitus, 87. d.* nec enim per eos ſtetit quin morerentur, niſi miſericordiâ diuinâ erepti fuiſſent, quod ſanè tribuendum eſt prouidentiæ diuinæ, non fortunæ; ſiquidem ait Clemens Alex. in Eclogis



Digitized by Google

ἐκ τῶν προφητικῶν partus & infantes expoſitos angelis curãdos & tractandos cõmitti: ἡ γραφὴ φησὶ τὰ βρέφη ἐκτεθέντα τημελούχῳ παραδίδοσθαι ἀγγέλῳ, ὑφ' οὗ παιδεύεσθαί τε καὶ αὔξειν. Tales autem infantes erepti à periculo, liberantur à patria poteſtate, quum ſuum dicere non poſſint eum parentes, quem pereuntem contempſerunt, *l.2. C. h. t.* ſed nec educatores & collectores ius vllum in eos, velut in filios, aut ſeruos habere poſſunt, ex conſtitut. Iuſtiniani in *l.vlt.C.eod.* non poſſunt aliquod ius vindicare, inquit Greg. in *cap.vnic. h.t.* quia pietatis officium gratis exercere debuerunt, *l. 2. C. de ingen. manum.* quamuis tamen ante ipſum Iuſt. expoſitos iure ſeruorum, vel filiorum retinere poſſent, ex conſtitutione Conſtantini *in l. 1. C. Theod. de expoſitis*; ac ſi eos eâ cõditione redemiſſent, *l. vnicâ C. Theod. de his qui ſanguinol. acceper.* quam legem primam intelligendam eſſe quidã putauerũt, quoties educator expoſitũ de volũtate domini vel patris collegerit; hæc enim verba *Quicũque puerũ, vel puellam proiectam de domo patris, vel domini volũtate ſcientiáq; collegerit &c.* sũt ità interpũgẽda, vt poſt verbum, ſcientiaque, apponenda ſit virgula; quaſi dixerit Conſtantinus vt. quicumq; collegerit puerum vel puellam proiectam de domo, patris vel domini voluntate, ſcientiáq;: correxit hoc Iuſt. quia plerique infantuli excipiebãtur & colligebantur obtentu miſericordiæ, vt poſteà ætate prouecti ad quæſtum meretricium & profanum adhiberentur, quod inſectatur Iuſtinus martyr in *Apol. 2.* ad Antoninũ Pium. πρῶτον μὲν ὅτι τοὺς πάντας σχεδὸν ὁρῶμεν ἐπὶ πορνείᾳ προάγοντας οὐ μόνον τὰς κόρας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄρσενας. id eſt, *Primùm quidem quòd omnes ferè videamus ad quæſtum meretricium educari, atque produci non puellas modò, ſed & maſculos expoſitos.* Ab expoſitis, qui vulgò ἔκθετοι, diſtinguendi ſunt qui pro derelicto habentur, ἀπρογνόντοι. Infantes enim qui lactentes ſunt exponi dicuntur; alij verò ſeptennio proximi pro derelicto haberi: illi nanciſcuntur plenam libertatem, hi priſtinum ſtatum retinent; ſi liberi genere ſunt, vel ingenui, libertatem conſeruant; ſin minùs ſerui manent, niſi eo caſu, quo ob ægritudinem eiecti à domino fuerunt, *l. 2. §. ſed ſcimus. C. de vindic. lib.* Non ſolùm autem iure ciuili *dict à l.* Conſtantini expoſiti collectoris fiebant, ſed etiam hoc iure; dummodò excipiens eos Eccleſiæ conteſtaretur, id eſt, in teſtationem redigeret, teſtibus vocatis coram Epiſcopo, vt omni calumniâ vacuus accuſari non poſſet furti, vel plagij, *dicto can. vlt. 87. diſt.* quem non ex Arelatenſi Concilio II. ſed ex Vaſenſi detractum quidam exiſtimant; quod ad exemplum Iuſtiniani correxit Gregorius in *cap. vnico, h. t.* ſtatuens vt ſeruus, ſiue ingenuus, infans ſiue ἔκθετος, ſiue ἀπρογνόντος; cuiuſcumque ætatis, languidus ac alimentis deſtitutus, liber fiat. Porrò infantis

Digitized by Google

nomen quamuis omnem filium contineie iure etiam Romano dicat D. Hieronymus, *quæſt. in Geneſim*; tamen hoc loco continet tantùm ſanguinolentos, & tenellos qui ἐν χύτραις, in ollis, corbibus, aut clypeis, faſcijs colligati fluminibus exponebãtur, vnde obſtetrices, quæ tale facinus exercebãt ἐγχυτρίστριαι dicũtur, apud Ariſtophanẽ. Ne verò periculo illæſi grandiores facti parentibus miſcerentur, ſolebant veteres, notas quaſdam eorum corporibus imprimere: Iuſtinus, *lib. 44. Tunc & lineamentorum ſimilitudine, & notis corporis, quæ inuſtæ paruulo fuerant, nepos agnitus*. Imò & ne priuarentur omnimodò bonis paternis in corbe aliquam pecuniæ ſummam apponebant. Terentius in *Heautont. act. 4. ſc. 1.*

*Cùm exponendam do illi, de digito annulum*
*Detraho, & ei dico, vt vnà cum puella exponeret,*
*Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis.*

## *DE HOMICIDIO VOLVNTARIO, VEL CASVALI,*

### TIT. XII.

TRACTATVM nunc generalem de homicidio aggredimur, quo nomine non intelligimus tantùm necem hominis gladio, vel telo, ſed etiam aliâ quacumque arte, vel dolo factam, ex lege Cornelia de ſicarijs, *l. 1. ff. ad l. Cornel. de ſicar. cap. ſi aliquis. h. titulo.* Hominis dico cædem, cuiuſcumque ſit conditionis & ſtatus, ſerui vel liberi, *l. 1. §. & qui hominem, eod* cuiuſuis etiam ætatis, *l. penult. C. eod.* etiam eius qui adhuc in vtero matris eſt, *l. ſi mulierem. ff. eod.* adhibitâ tamen diſtinctione, vtrùm fœtus iam formatus fuerit, vel non; ſiquidẽ corporis lineamenta ſi nondum compoſita ſint, anima etiã nondũ infuſa eſt; & tunc non cõmittitur homicidiũ, quod cadit tantùm in id quod animatum eſt, *can. quod vero 32. q 2.* animam autem habet id quod vitam habet, quia vita eſt anima, ſinè qua perfectio corporis eſſe non poteſt: & ideò Philoſophi animã definiunt, perfectionẽ corporis inſtrumẽtarij; id eſt operationẽ, ζωὴν, quaſi ζέουσαν feruentem quandam ſubſtantiam quæ vitales facultates ac vires aperit, ac producit apud Ariſtotel. *2. de anima*: à quo ità definitur anima, πρώτη ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ, id eſt, *primus actus corporis naturalis organici*: Et hæc quidem anima non ſtatim cum ſemine deriuatur, *can. Moyſes ead.* habetur quidem potentia, ſed non actu priùs quàm conceptus ſeparetur, cibum trahat, καὶ ποιεῖ τὸ τῆς τοιαύτης ψυχῆς ἔργον, id eſt, *officio animæ fungatur*, antè verò vitam ſtirpis agit, vt idem Philoſophus



Digitized by Google

*2. de generat. cap.* 3. docet D. Hieronymus *epiſt. Algaſia. q.* 151. *ſemina paulatim formantur in vteris, & tamdiu non reputatur homo donec elementa confuſa ſuas imagines, membráque ſuſcipiant*: ideò nec homicidium, nec cædes committi dicitur in plantam & ſtirpem, nec ad id pertinet lex Cornelia de ſicarijs, ſed aliquando ad legē Corneliā de veneficis, vt ſi quis exuſſerit inſulam, vel aliquid aliud, *l.* 1. *& l.* 10. *ff. eod.* Quod mirum videri potuit, quum illa reſpiciat tantùm mortē vi & gladio, vel magicis artibus & inſidijs homini illatam; vt conſtat *ex Paulo 5. ſentent. tit.* 23. non verò ad incendium, cuius peculiaris eſt titulus de incendio, ruina, naufragio: niſi dicamus pertinere hoc ad l. Cornel. quoties mors illata eſt incendio, dolo malo perpetrato; quod non alienum erit à lege Cornelia, quæ quamlibet cædem coërcet tam violentam, quàm malis artibus factam; vnde Martianus in *dicta l.* 1. rectè ait, *qui hominem occiderit, cuiuſve dolo malo incendium factum fuerit, ſcilicet, vt mors alicui inferatur*: cui ſententiæ adſtipulantur hæc verba, *dolo malo*; dolum enim malum Seruius & Labeo definiunt, machinationem quādam alterius circumueniendi. *l.* 1. *ff. de dolo.* & quod maius eſt, dolus malus propiùs accedit ad partem l. Corn. de veneficis; quia ſæpè ſumitur pro veneno, pro magicis artibus: Catullus ad Furium; *Nihil timetis non facta impia, non dolos veneni.* Igitur lex iſta de homicidio, non punit damnum rebus inanimatis & ratione carentibus illatum, niſi cædis patrandæ animo factum fuerit: nec igitur fœtus, qui in vtero adhuc formā hominis nō habet, iactura, homicidium nuncupabitur, ex ſententia D. Auguſt. & Hier. iuxta legem Moſis in dicto *can. quod vero, & ſeqq.* Moſes enim abortionem informati fœtus multâ pecuniariâ, formati verò capitali ſupplicio plecti voluit, *Exodi cap.* 23. & vt Græci dicunt ἐὰν ἐξεικονισμένον ᾖ τὸ παιδίον, id eſt, *ſi formatus, ſiue effigiatus ſit puer.* Quam diſtinctionem ob nimiam ſubtilitatem improbat D. Baſil. qui quomodolibet partus ſit, ſiue formatus, ſiue non, cædis & homicidij pœnas luendas eſſe decernit, *can.* 2. *ad Amphil.* ſecutus hac in parte ius ciuile, quod etiam noſtri canones admiſerunt, vt conſtat ex dicto *cap. ſi aliquis. h.t.* à cuius ſententia recedit Innoc. III. *in cap. ſicut.* 20. *h.t.* ſequutus Moſis legem, & veterum Patrum opinionem, quam & amplectitur D. Thomas *2.2.q.3.art.1.* niſi dicamus dictū *c. ſi aliquis*, loqui quoties medicamentis & poculis ſterilis fit mulier, quò liberiùs libidinem explere poſſit: & ità hoc iure homicidiū propriè fieri dicitur de fœtu animato, qui hominis appellatione cōtinetur. *l. hominis ff. de verb. ſignif.* quamuis & aliquatenus qui abortū, vel ſterilitatē procurauit, reuſi omniū qui naſci potuiſſēt, D. Auguſt. ſermone *de tēpore* 244. *Mulier quæcumque fecerit hoc, per quod iam non poſſit concipere, quantoſcumque parere*

Digitized by Google

*poterat, tantorum homicidiorum ſe ream eſſe cognoſcat.* Vt autem propius ad materiam iſtius tituli accedamus, dicendum eſt licèt homicidium committatur, non tamen ſemper pœnam infligi, ſed diſtinctionem adhibendam eſſe; aut enim homicidium voluntarium eſt, aut non; ſiquidem ſi ſponte & dolo malo, id eſt, animo occidendi fiat, lege Corneliâ vindicatur, *cap. ſicut. 6. §. ili. 1. h. t.* aut verò fortuito caſu, & non dolo malo; & tunc crimen homicidij non incurritur, *l. 1. & 5. C. ad leg. Cornel. de ſicar. cap. lator. h. t.* Non enim omnia homicidia damnanda ſunt, ſed ea tantùm quæ cum iniuria coniuncta ſunt *σωὶ ἀδικίᾳ*. Iniuriam intelligimus non ſolùm dolum malum, & quoties animus, & conſilium inſunt, ſed etiam quamlibet craſſam & ſupinam negligentiam, *μεγάλlω ἀμελείαν*, latam culpam, quæ dolo aſſimilatur; imò & non magnam & omnino craſſam, ſed leuem negligentiam, quæ pœnâ homicidij coërceri debet, vt ſcribit Balſamon in *can. 92. ſynodi VI. in Trullo*, iuxta id quod Iuriſconſultus etiam ex leuiore culpa de cæde illata, legis Aquiliæ actionem competere ait in *l. qui occidit. §. penult. ad leg. Aquil.* licèt enim ex reſcripto D. Adriani, in maleficiis voluntas ſpectetur, *l. Diuus. ad l. Cornel. de ſicar.* tamen voluntas, & conſilium ſæpiùs præſumuntur ex negligentia, & incauto euentu: ſiquidem, vt noſtri loquuntur, ſi quis rei illicitæ, vel etiam licitæ non adhibitâ diligentiâ operam poſuerit, homicidij tenetur, *cap. presbyterum, & ſeq. cap. ad audientiam, & ſeq. h. t.* Non tamen vt eâ puniatur pœnâ quâ alius verè homicida, ſed aliquantò mitior penitentia danda eſt, *can. ſtudeat. 50. diſt.* niſi quoties dans operam rei licitæ ſinè vlla culpa, & negligentia homicidium facit: tunc enim nullo pacto reus homicidij erit, *cap. dilectus. h. t.* nec ad id pertinet lex Cornelia, *l. in lege. ff. ad l. Cornel.* Valentinianus verò Nouellâ *de homicidio*, declarat, quemlibet interfectorem reum cædis eſſe, licèt omnis dolus, culpa, & negligentia abſint; nec alio modo poſſe abſolui, quàm Principis adnotatione, id eſt indulgentiâ principis manu ſubſcriptâ: quod & multò antè Valentinianum obtinuiſſe, & à Diocletiano conſtitutum fuiſſe conſtat ex *lege eum qui. 5. C. eod.* quod & hodiè in Gallia edictis regiis cauetur: nec hoc alienum à lege diuina, quâ doli & culpæ expertes, ob cedum rei & polluti cenſebantur, & ad eluendam huiuſmodi labem cogebantur exſilij causâ in vrbes deſtinatas ſecedere, quarum tres trans Iordanem, aliæ in terra Chanaan collocatæ erant, *cap. 35. Numer.* his enim templi ingreſſus prohibebatur, *ὥστε μήπω καταρθαρθῶσι*, id eſt, *vtpotè nondum expiatis*; ſed in vna harum vrbe mediâ inter ſacram, & profanam, quaſi templo quodam

ſecundario manere debebant, *τρόπον τινὰ δεύτερον ἱερὸν*, vocat Philo Iudæus, *lib. περὶ τῶν ἀναφερομένων, de ſpecialibus.* Quod quidem exſiliũ, tum ad expiandum ſcelus licèt fortuitum, tum ad effugiendam iram & impetum parentum & cognatorum, qui vltrò necem ſuorum vindicare nitebantur, inſtitutum fuit. Quem ordinem ſuis legibus Athenienſes amplexi ſunt, vt ex Demoſthenis orat. aduersùs Ariſtocratem conſtat, & Romani apud Dionyſium Halicarn. *lib. 3. c. 5.* Imò & hoc iure noſtro, licèt ab omni ſuſpicione culpæ quis alienus ſit, aliquantulâ tamen penitentiâ purgare ſe debet, *can. clerico.* 50. *diſt. cap. petitio. h. t.* licèt nullum ſit crimen, *can. ſi non licet. 23. q. 5.* ſiquidem voluntarius homicida perpetuo anathemate ſubiicitur, & cõmunionem in extremo vitæ habitu tantùm accipit, non voluntarius ſeptem vel quinque annos in penitentia agere debet, *can. 22. ſynodi Ancyr. can. 78.* collectionis Martini Braccarenſis. D. Baſilius viginti annos penitentiæ voluntariis, vndecim inuoluntariis tribuit *can. 56. & 57. ad Amphil.* quod intelligendum eſt de homicidio à laicis commiſſo; nam clericus homicida aliis pœnis plectitur. Ad cautelam etiam non conſcio & innocenti pœnitentia iniungitur, *cap. ſignificaſti, h. t.* Porrò ſicut homicidium dicitur ſolius hominis, non bruti, aut plantæ; ità nec propriè committi niſi ab homine poteſt: ideóque ſi animal quoddam hominem occiderit, necari etiam debuit olim, vt de apibus quæ occiderunt hominem refertur in ſynodo VVormacienſi ſub Hadriano II. *can. 64.* Antiqui hac in parte multùm fuere ſuperſtitioſi; ſiquidẽ legẽ Draconis magni fecerunt quæ animâ etiam, carentia vrbe, agríſque exterminanda ſanxerat, ſi caſu quempiam peremiſſent, vt de ſtatua homicidij poſtulata ſcribit Pauſanias *in Eliacis lib. 5. & 6.* Præter homicidium ſpontaneum, & fortuitum, duo alia genera ſunt, ex quibus tamen crimen non incurritur; vt ſi miles ducis iuſſu aliquem occiderit, *can. miles. 23. q. 5.* vel miniſter, iudicis autoritate, *can. cùm miniſter, & ſeq. ead.* licèt enim iniuſta, & iniqua ſit cædes, tamen non tenetur qui ſuperioris ſui mandata exſequitur, *cap. paſtoralis. §. quia verò. ſup. de offic. indic. deleg.* Alterum genus eſt, cùm quis occidit, ſe & ſua defendendo, veluti ſi furem aut latronem occiderit. *cap. 2. h. t.* ſiue nocturnus is fuerit, ſiue diurnus, dummodò die iam lucente ſe telo, vel alio modo defenderit, *cap. 3. cap. ſignificaſti 2. h. t.* nam ſi quis potuit latronis inſidias effugere, vel *ἐκ μελέτης αὐτὸν ἐφόνευσεν*, id eſt, *eum deditâ operâ interfecit*, in talem homicidam animaduertendum eſſe docet conſtitutio Chliareni *lib. 3. ſententiarum ſynod.* Et de his omnibus cædium modis peculiaria iudicia habebant Athenienſes; Areo-

Digitized by Google

pagitarum, qui de ſpontaneis iudicabant; de inuitis, & fortuitis, in Palladio cauſa agebatur; de his qui iure occidiſſe contendebant, in Delphinio; de his quæ à rebus inanimatis fiebant, in Prytaneo: de his qui cæde non ſponte factâ, iterum aliam ſponte fecerant, vel vadimonium deſeruerant, in Preatico, vt eſt apud Demoſthenem, *Orat. aduerſ. Ariſtocrat.* & Helladium *in Bibliotheca Photij.*

## *DE TORNEAMENTIS,*

### TIT. XIII.

SPecialis hic titulus pertinet ad homicidium, quod in torneamentis fit. Torneamēta erant ludi ferè ſimiles gladiatoriis & Circenſibus: ſicut enim Circenſes ludi dicti fuerunt, quaſi Circuenſes, & Circus à circuitu, vt refert Iſidorus 7. *Etymolog.* vnde in veteribus Gloſſis, *circare*, eſt *circuire*, & *circada*, circuitio, apud Iuonem Carnotenſem, *Epiſt. 286.* ità & Torneamenta dicta fuerunt à Græco verbo τορνόειν, quod eſt *Circuire* apud Homerum; in medio enim campo Circus deſignabatur intrà quem pugnaturi ſiſtebantur, Gentilium more, vt refert Crantzius *lib. 1. Saxoniæ, cap. 4.* Græci in veteribus Gloſſis vulgò vocant hæc torneamenta, τορνέσια vel τουρνέσια apud *Myrepſum lib. de droſatis, cap. 16.* & τόρνε apud Nicephorū Gregorā *lib. 10.* qui in geneſi Ioannis Imperatoris hunc ludum plenè deſcribit. Ait enim populum diuidi in turmas, tribus, & curias, & hinc inde ad prælium armis concurrere, hâc lege, vt qui alterum vulnerarit, vel interfecerit indemnis ſit, & ἀνέγκλητος. Alij à Troiano ludo ducere malunt, Torneamentum, quaſi, Troiamentum; firmatur eorum ſententia, ex eo quòd equeſtri pugnâ Troianum excidium apud veteres iuuentus ſoleret repræſentare, τὴν ἱππασίαν τροίαν vocat Xiphilinus in Iulio, de quo etiam Troiano ludo Tacitus 6. *Annal.* Suetonius in Nerone & Tiberio. Virgilius 5. *Æneidos.*

*Troiáque nunc pueri Troianum dicitur agmen.*

Omnem hunc cruentum morem damnauit Conſtantinus *in l. vnica. C. de gladiator.* Et poſt eum Honorius, teſte Theodorito *lib. 5.* ſed nihilo minùs vſque ad poſtremos Imperatores hoc malum peruenit, vt conſtat ex Zonara, & Cedreno: & eadem penè crudelitas, licèt alio nomine quaſi velo operta, remanſit vſque ad tempora Innocentij II. qui in *Concilio Romano, can. 4.* prohibuit omnino torneamenta, & tentamenta quæ fiebant ad virium oſtentationem; quam conſtitutionem

Digitized by Google

minùs exactè ſeruatam repetere coactus fuit Eugenius III. in *Concilio Rhemenſi cap.* 12. Baron. Annal. Tomo 11. tum deinde Alex. III. *in Concil. Lateran. cap.* 20. vt refertur in *cap.* 1. & 2. *hoc tit.* Nec per torneamenta prohibita, hoc loco debemus intelligere Ludos omnes, Hippodromia, curricula, & venationes, & alia quæ diebus dominicis prohibentur in *can.* 24. *ſynodi VI. in Trullo*, & *can.* 64. *ſynod. Carthagin.* Diſtinguit illic, & in *cap.* 29. *tit.* 17. *Nomocan.* rectè Balſamon ludos vetitos à licitis ad quos non ſolùm laici, ſed etiam clerici citra vllum præiudicium accedunt: præiudicio enim carere dicũtur à quibus abeſt periculũ nõ tantùm vulneris, aut mortis, ſed etiam infamiæ ob turpitudinem eorum quæ illic geruntur, *can.* 63. *ſynodi VI.* Sublata ſunt omnia illa virium tentamenta periculoſa, non verò alia: nec enim curſum equorum ἱππικὴν, aut μονόβολον, aut κοντρμονόβολον vnquam prohibuerunt Patres, niſi diebus feſtis, vel ſi in locis ſacris, & religioſis fierent, vt annotat Balſamo, & hac de re edidit conſtitutionem Celeſtinus III. *in Epiſt. ad Epiſcopos Angliæ*, quam refert Rogerus in ſuis Annalibus, prohibens ne in terra ſancta, vbi ſteterunt pedes Domini, torneamenta tyronum, exercendæ virtutis causâ inuenta fiant, vbi torneamenta intelliguntur, non haſtiludia, & cruenta prœlia, ſed equorum curſus & agitatio quæ licita eſt, & de quibus intellexit Innocentius III. *in Concilio Lateran.* cùm ob Crucis negotium vſque ad triennium torneamenta prohibet exerceri. Quæ tamen ratio fuit cur Chriſtianis torneamenta facere liceret, vt nempe contra Chriſti hoſtes expeditiores eſſent, vt in Richardo rege Angliæ refert Matthęus Paris, ad annum 1194. Hi ludi vulgò *Tabula rotunda* vocabantur, & Equites *Tabulæ rotundæ.* Lanceæ verò, & haſtę ferro erant munitæ hebete, atque obtuſo inſtar vomeris, non acuto: vt idem narrat in *Henrico III.* Nec minùs hoc titulo comprehendere debemus Naumachiam, ex qua etiam ſæpè naufragia contingunt: hunc ludum deſcribit Virgilius 5. *Æneid.* & Dio refert Domitiânum locum effodiſſe in quo naumachiæ ludus fieret. Prohibetur etiam θηριομαχία, quâ arenarij & beſtiarij ad certamen cum feris inuitantur, qui mos & hodie durant in pleriſque locis, vt apud Vaſates Aquitaniæ populos, quos in vigilia B. Ioannis Baptiſtæ tubarum ſtrepitu, & acutis ſtimulis tauros ad pugnam prouocaſſe olim, notum eſt, tam cruento prælio, vt ſæpiùs mors aut vulnera ingentia reportarentur, qui abuſus hiſce poſtremis temporibus ſublatus eſt. Denique ludi alij qui deſcribuntur à Iuſtiniano in *Nou.* 105. *cap.* 1. improbantur hoc tit. adeò vt qui hæc certamina ſubierint pœnâ anathematis plectantur, &

mortui

mortui priuentur Eccleſiæ ſuffragiis & ſepulturâ, ac ſi ſibi mortem conſciuiſſent, *can. placuit. 23. q. 5. Extrauag. Joannis XII. de Torneamentis, cap. vnico.* Henricus III. Rex Angliæ hanc pænam addidit:, quâ tale crimen terrori eſſet, vt transgreſſorum heredes paternâ hereditate priuarentur, teſte eodem Matthæo. Quod ſi nullum oriatur periculum ex ludis ſimilibus, faciliùs conceduntur veluti, qui legibus Romanis πεντάθλου nomine cenſentur, ſcilicet curſus, ſaltus, iaculum, luƈta, pugilatus, *l. ſolent. de aleatoribus.*

## DE CLERICIS PVGNANTIBVS IN DVELLO, TIT. XVI.

HIc titulus reſpicit etiam homicidium quod committitur in duellis; & in eo tantùm differt à titulo de purgatione vulgari, quòd hoc de duello agatur quatenus ſpeƈtat homicidium; infrà verò, an licita ſit duelli purgatio, ſicut alia genera purgationum. Maximè autem duellum prohibetur clericis, *cap. 1. h. tit.* quia ex eo ſuccedunt homicidia, & membrorum mutilationes, *cap. vlt. hoc tit.* nec aliter differt Torneamentum à duello, niſi quòd duellum eſt duorum bellum: torneamentum plurimorum. Ex Danis primùm ceſſit duelli modus, apud quos pro omnibus litibus & contentionibus duellum committebatur, quod detreƈtare ignominioſum erat, vt ſcribit *Krantzius lib. 2. Daniæ*: quem tamen morem ſublatum ab Haraldo rege, reſtituit, & reuocauit Canutus, vt idem ſcribit *lib. 5.* Ab his populis ad Saxones, quos bellis ſæpiùs deuicerunt, vſus tranſiit, tum deinde à Saxonibus ad Francos & Gallos, atque ad Longobardos: ſiquidem Longobardi ex Scania, ſiue Scandia Daniæ regione in Italiam, & alias deinde prouincias exundarunt, ſed inter omnes nulli hiſce laqueis magis ſeſe implicarunt quàm Galli, apud quos tandem exoletum hunc morem lege latâ renouauit Gundebaldus rex Burgundionum, vt ſcribit Agobardus, *lib. de iure duelli*; ità vt nec conſtitutiones Eccleſiaſticæ id impedire potuerint. Concilium Valentinum anno *855. can. 12.* ſub graui pœna cauit, vt non ſolùm occiſor, ſed & occiſus vt ſuiipſius homicida puniretur: quam conſtitutionē confirmauit Alex. III. *in cap. 1. h. t.* ſtatuens tam viƈtum quàm viƈtorem clericum deponendum eſſe. Moris fuit non ſolùm laicis ſed etiam clericis omnes controuerſias etiam Eccleſiaſticas duello definire, vt *ex Anonymo de miraculis ſanƈti Benediƈti, cap. 11.* conſtat, quod notandum

eò proceſſerat lex impia Gundebaldi, vt non ſolùm in rebus & controuerſijs dubiæ probationis duelli certamen iniretur, ſed etiam in iis in quibus nulli teſtes, nullæ probationes requirebãtur. Agobard. ſcribẽs ad Imp. Ludouicum; *Quæ omnia*, inquit, *pluſquam in ceteris gentibus abundant inter Gundebados, apud quorum legem non licet diſcuſsione, aut veracium teſtimonio cauſas terminare.* Nec ſolùm duello & monomachiâ, ſed etiam polymachiâ, pluribus ſimul ſcutis, & baculis decertantibus, teſte Adreualdo Floriacenſi *lib. 1. cap. 25. & in Capitul. lib. 4. cap. 23.* quod nunquam probatum fuit ab Eccleſia, imò maximè damnatum eſt, *can. monomachiam. 2. q. 5.* non tantùm inter clericos, ſed alios, quod nominatim dicitur *h. t.* de clericis; quia, vt ait Iuo Carnotenſis *Epiſt. 241. monomachia vix, aut nunquam ſinè ſanguinis effuſione tranſigi ſoleat*, quod alienum eſſe à clericis debet, *can. his à quibus. 23. q. 8.* Et quamuis ſæpiùs inter eos duellum ſuſceptum fuiſſe reperiatur, tamen nunquam id iure factum fuit; ideò Goffridus Vindocinenſis quærit à Petro Epiſcopo Xantonenſi cauſam, cur duellum commiſſum fuerit inter Raynaldum & Guillelmum monachum: ideò & Fredericus Imperator in Lugdunenſi Concilio ſub Innocentio IV. excomunicatus fuit, quòd clericos ad duella coëgiſſet, vt ſcribit Nangius. Antiquitus duellorum conceſſio apex erat ſupremæ iuriſdictionis, quæ tale ius, tantùm dominis intrà ditionum ſuarum terminos concedebat, vt annotauit *Chopinus lib. 1. de iure Andium*: & ideò quum clerici exempti ſint à iuriſdictione ſeculari, non poterant huic legi ſatisfacere, ad quam tamen inuiti vocabantur, vt Mattheus Paris teſtatur in *Henrico III. Clerici*, inquit, *collectis, & talliis affliguntur, non ſolùm trahuntur ad iudicium ſeculare, ſed, vt aſſeritur, coguntur duella ſubire.* Sæpe fraus Eccleſiaſticæ ſanctioni fiebat; nam clerici alios in ſuum locum ſufficiebant, quod damnat Alexander III. nec eos minùs homicidij reos eſſe decernit, quàm qui interfectores fuerunt, *cap. 2. h. t.* Hæc autem duellorum prohibitio generaliter ſumenda eſt, non tantùm cùm gladiis, enſibus, vel pugionibus pugnatur, ſed etiam fuſtibus & baculis iuxta Longobardorum legem, *lib. 2. tit. 50. & lib. 10. tit. 11.* Quod genus quia minùs periculoſum vulgò admiſſum fuit, & illorum exemplo Francorum legibus comprobatum. *cap. 3. 23. & 29. lib. 4. Capitul.* & apud Aldreualdum, loco citato: ſed tamen quia & hæc pugna ſinè ſanguinis diſcrimine componi non poterat licèt ſcutis & fuſtibus ageretur, prohibita fuit apud Iuonem *Epiſt. 247.*

Digitized by Google

## DE SAGITTARIIS,

### Tit. XV.

CÆdes impedire conantur canones, & quia nullum ſæuius, & crudelius fuit genus armorum, quàm ſagittarum, & baliſtarum, ideò ſummus Pontifex inter Chriſtianos exerceri omnino prohibet. Ratio communis hæc eſt, quòd ſagittæ veneno eſſent illitæ; Herculem enim primùm iacula hydræ veneno tinxiſſe ferunt: admiſcebatur præterea ſanguis hominum, quod Scythas obſeruaſſe refert, Ælianus *lib. 9. animal. cap. 15.* ideóque τοξικον, quod nobis eſt *venenum*, fuit deductum à verbo, τοξον, quod eſt arcus cum ſagitta, vt tradit Dioſcorides *lib. 6. cap. 20.* Alij ideò conſtitutionibus baliſtas & ſagittas vetitas fuiſſe dicunt, quòd ſummam hominum ſtragem facerent, nec validiores ab aliis puſillis diſtinguerentur. Hanc artem ſæpiùs deteſtati ſunt Reges Franciæ legitimis armis certare ſatius ducentes: quæ cauſa eſt cur Guillelmus Brito, *lib. 2. Philippidos*, referat Philippi Auguſti temporibus incognitos fuiſſe arcus & baliſtas,

*Francigenis noſtris illis ignota diebus*
*Res erat omninò, quid baliſtarius arcus,*
*Quid baliſta foret.*

Ignotas quidem non fuiſſe baliſtas, ſed potiùs improbatas, & ab vſu cõmuni reiectas à Philippo ſentiendũ eſt; quia & his vſum ipsũ aliquãdo fuiſſe docet; imò & Rigordus in eius vita pariter hunc regem baliſtariis vſum fuiſſe refert, & ante ipſum Ludouicũ patrem eius, teſte Sugerio; ſed & õnes alij hiſtorici baliſtas & catapultas receptas fuiſſe narrant. Baliſta & catapulta idem fuit inſtrumentũ, quod tractabant veteres ad iaculanda ſaxa, πετροβολικὸν ὄργανον vocat Polybius, quod primũ reperiſſe Dionyſium Syracuſanũ refert Ælianus *lib. 6. cap. 12.* & eo non ſolũ ad mittendos lapides, ſed etiam tela vtebantur, vt cõſtat ex Onoſandro *cap. 42.* nõ tantùm ad expugnandos muros ciuitatũ, ſed etiam ad debellandos exercitus. Cæſar *1. de bello ciuili. Cẽtones inſuper iniecerunt, ne aut tela tormentis miſſa tabulationẽ perfringerent, aut ſaxa ex catapultis lateritium diſcuterent.* Tanta autẽ vis inerat his catapultis & baliſtis, vt ſaxa etiam pondo talenti mitterent, quæ ideò dicebantur talentariæ, ſeu centenariæ, apud Siſennam *4. hiſtoriar.* Noniũ, & Syneſium, *Epiſt. 132.* Tã ingentẽ tormentorũ molẽ induſtria hominũ ad vſus faciliores & promptiores



Digitized by Google

accommodauit; & cœperunt confici baliſtæ ità leues & expeditæ, vt milites circumferre eas poſſent, vt docent Tactica Vibicij, quæ quia manu geſtabantur, & diſtendebantur dictæ ſunt χειροβολίσαι à Conſtantino Porphyrogeneta, *de adminiſtrando imperio, cap. 53.* & tam ab equitibus, quàm peditibus geſtabantur: Equites vocant Græci *ἱπποτοξότας*, pedites τοξότας. Syneſius *Epiſt. 131.* ἀπημπολημένων αὐτοῖς τῶν ἵππων, ἐγένοντο μόνον τοξόται, id eſt, *diſtractis ſibi equis, ſagittarij tantùm effecti ſunt.* Vtebantur verò baliſtarij, & ſagittarij vario genere telorum, cateiis, & falaricis, & ſagittis. Differentiam ponit Iſidorus 18. *Orig. cap. 7. & 8.* quædam erant in modum ſphæræ, aut cylindri, quæ propter grauitatem longè non ferebantur; addiderunt pennas primi Cretenſes, vt velociores facerent. Fuerunt etiam quadrelli, ideò dicti, non vt quidam putauerunt, quòd aptiùs quadrarent arcubus & baliſtis manu diſtendi ſolitis, ſed quia cuſpidem quadratam habebant: hodiè adhuc in Italia ita nominantur, & earum mentionem facit Guillelmur Brito *lib. 2. Philippidos*,

*Nec tamen intereà ceſſat baliſta, nec arcus,*
*Quadrellos hic multiplicat, pluit ille ſagittas.*

Sed hæc tandem deſierunt, non vi conſtitutionis in *c. vnic. hoc tit.* ſed poſtquàm grauius & periculoſius inſtrumentum inuentum fuit, tormentum igneum, quo glandes igneæ, & pilæ plumbeæ mitti cœperunt, noſtris, *Arquebuſe*; cuius denominationem ab arcu deductam fuiſſe dubium non eſt. Summi Pontifices tam nefarias & cruentas artes abolere nunquam potuerunt etiam inter Chriſtianos. Aduersùs verò infideles prohibere nunquam cogitarunt, *dolus, an virtus quis in hoſte requirat?* quæ eſt mens D. Auguſtini in *can. Dominus. 23. q. 2.* Sed neque licuit vnquam hoſtibus & infidelibus arma vendere, *l. vlt. C. quæ res export. non deb. Nou. Iuſtiniani 142. Nou. Leonis 60. cap. ad liberandum. ſup. de Iudæis.* Licebit & addere conſtitutioni huius tituli, baliſtas, & ſagittas prohibitas non fuiſſe, ſed potiùs quoddam militum genus his vtentium, qui impij & crudeles admodùm erant, quos Ruptarios, aut ab his ſaltem non longè diſpares quidam putant, hæreticorum Albigenſium maximè ſocij, vt conſtat ex hiſtoria Albigenſiũ, & pluribus conſtitutionibus Innocentij III. à quorum conſortio & communione clericos ipſe arcet in *can. 18. Conc. Lateran.* Ruptarij verò illi dicti fuerunt, quòd omnia perderent & rũperent, in libro qui inſcribitur; *Præclara facinora Comitis Montisfortis.* Alij à verbo Rutta, id eſt, turma, ſeu manipulo militũ deducere malunt, de qua mentio apud Nicetam in Balduino, & Guillelmum Neubrigenſem *lib. 2. cap. 27.*

Digitized by Google

## DE ADVLTERIIS, ET STVPRO,

### Tit. XVI.

TRANSIT Gregorius ad varias criminum accuſationes, & imprimis ad adulteriū & ſtuprum, qui titulus ità rectè concipitur, quia differētia ponitur à Iuriſconſultis inter adulterium & ſtuprum; quòd adulterium committatur tantùm in nuptam, ſtuprum in virginem, vel viduam, *l. & ſtuprum. ff. eod.* licèt ſæpiùs in iure vnum pro altero ſumatur, *l. inter, ff. de verb. ſignif. can. nemo. 32. q. 4.* ſicut etiam vtrumque nempe adulterium, & ſtuprum pro inceſto. Tullius pro Sextio, *adulterium ſororis dicit.* & pro Milone, *Clodius cum ſorore germana nefarium ſtuprum fecit.* Hoc triplex crimen μοιχείας nomine intellexerunt Græci, ſed propriè adulterium, ſicut ſtuprum per διακόρευσιν, quæ eſt propriè in virginem, apud Suidam. Cur autem Gregorius de adulterio ante grauiora crimina, quæ ſequentibus titulis referuntur, tractauerit, non abs re quærendum eſt, quum pleriſque dubium fuerit an inter maiora crimina ſit numerandum: Alexander enim III. in *cap. at ſi clerici. ſup. de iudicijs*, inter minora conſtituere videtur his verbis: *de adulterijs vero, & alijs criminibus quæ ſunt minora*: Certum quidem eſt Vlpianum inter grauiora numeraſſe, & Gratianum Imperatorem inter ſcelera ſæuiora, *l. 7. C. de indul. crimin.* Clemens quoque *in can. quid inquit. 32. q. 7.* nihil grauius eſſe adulterio dicit; olim licèt legibus ciuilibus, præſertim Romuli, mariti vxores adulterij reas morte mulctare poſſent, quod & in vniuerſa Græcia vſurpatum refert Polybius *lib. 2.* & Lyſias *in orat. de Eratoſthenis cæde*: tamen coram magiſtratibus accuſatio capitalis non fuit: primus Auguſtus pœnam inſtituit, ſed qualem dubitatur; quum modò exſilij, modò capitis ſententiam dixiſſe reperiamus apud Tacitum 3. *& 4. Annal.* quod obſeruat etiam Cuiacius *6. Obſeruat. cap. 10.* Conſtantinus omninò capitalem effecit in *l. quamuis. C. eod.* quum anteà ſi quæ capite damnarentur, id fieret extra ordinem ex cauſa ſpeciali, vt annotauit idem Cuiacius ad *l. 9. C. eod.* Quid ergo, an Alexander III. inter leuiora crimina adulterium recenſuit? Minimè: nam omiſſis varijs ſententijs, quæ hæc verba variè interpretantur, *de adulterijs, & alijs criminib. quæ ſunt minora* adulterio ſcilicet, dicendum puto mentem nunquam fuiſſe Alexandri III. vt adulterium leue crimen faceret, ſed ità loquutum fuiſſe ad reprimendos errores

Eee 3

eorum qui adulterium nullâ penitentiâ expiari poſſe ſentiebant, inter quos fuit Tertullianus, *lib. de pudicit. Audio edictum, & quidem peremptorium; Pontifex Maximus Epiſcopus Epiſcoporum dicit; Ego mœchiæ & fornicationis delicta penitentiâ functis dimitto*: addit enim huic edicto non poſſe adſcribi, bonum factum. Duplicis generis ſunt crimina, alia quæ indulgeri non poſſe dicebant; maxima nempe; alia media ſeu modica, quorum venia dabatur: ideò contendit Tertullianus inter grauiora ponendum eſſe adulterium *eod. lib. Nec enim, inquit, mœchia & fornicatio de modicis, & de medijs delictis deputabuntur.* Error hic maximè viguit in Africa, vt adulteris denegaretur penitentia, teſte D. Cypriano, *epiſt. 52. Quidam de Epiſcopis iſtis in prouincia noſtra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum penitentiæ locum contra adulteria cluſerunt.* Alexander igitur vt errorem hunc comprimeret, ſtatuit penitentiâ peractâ poſſe Epiſcopum diſpenſare ſuper adulterio: ideò non malè hoc ſenſu, illud minoribus delictis adiecit, ad differentiam maiorum, quorum diſpenſatio vix conceditur, aut ſaltem ſummo Pontifici reſeruatur. Culpæ grauiores, & quæ vulgò indulgeri non debent, à ſummo Pontifice relaxantur, *cap. quod tranſlationem. ſup. de offic. leg.* vbi caſus enumerat gloſſa, & eam diſtinctionem adhibet, & poſt eam Panormitanus & alij Interpretes. Olim ſiquidem pro grauiſſimis quibuſque delictis ad ſummum Pontificem recurrebatur, vt ex *epiſt. Nicolai I. ad Ronolardum Epiſcopum*, probat Baronius ad annũ 367. Id verò tam de adulterio à clerico; quàm laico commiſſo accipiendum eſt; licèt enim clericus grauiori pœnâ dignus ſit, tamẽ, penitẽtiâ ritè peractâ, pœna depoſitionis ei remitti poteſt: quod ſic ex Concilio Nicæno intelligendũ ſcribit Hormiſda *in can. ſi quis diaconus, 50. d.* iuxta ſeueritatem legum Eccleſiaſticarum conuictus de adulterio nunquam reſtitui poterat; ideò Hormiſda in eo can. huiuſmodi rigorem penitentiâ peractâ, temperandum eſſe ait. Eſt verò temperamentum tale, vt ſcilicet depoſitus reſtituatur ad quædam, non ad omnia, veluti ad celebrationem Miſſæ, quia ius hoc ademptum non redditur, ſed ad baptizandum, & miniſterium altaris exſequendum. *can. quicumque & ſeq. ead d.* de quibus pleniùs infrà *de penitentijs.* Hoc crimen maximè abhorrent ſacræ conſtitutiones, quæ omnes omninò non tantùm fœminas, ſed etiam mares huic pœnæ ſubijciunt; imò grauiùs delinquere virum, quàm vxorem, & conſequenter ſeueriùs puniendum docet D. Auguſtinus in *can. indignantur, & ſeq. 32. q. 6.* grauiora enim vitia peccatorum facit ſublimitas peccantium, *can. nulli. 25. q. 1.* contra mentem legis Iuliæ, quæ fœminas tantùm inſeque-

Digitized by Google

batur, & iure vxoris, ſicut iure mariti non licebat vindicare adulterium. Idque admittere voluerunt Interpretes ſinè diſtinctione, vtrùm vir cum nupta, an cum ſoluta conueniat. Hoc ſenſu ſumpta *l. 1. C. h. t.* licèt contrarium videri potuerit, & accuſationem ceſſare cùm maritus non nuptam aggreditur, ſed bene cum eo agi poſſe quoties alienum thorum violat: quod oſtendere videtur ipſius adulterij definitio, quæ eſt alieni thori violatio, nec niſi in nuptam committitur, *l. inter. l. vxor. §. Diuus. ff. eod.* & hoc ità etiam iure Canonico cenſendum docet Zonaras *in can. 48. Apoſtolorum*, dum ait, nullum eſſe canonem quo mœchiæ, id eſt, adulterij icrimini ſubijciatur vir ſi peccauerit in non nuptam, ἐὰν εἰς ἐλευθέραν γάμου ἡ ἁμαρτία γένηται, ſed tantùm fornicationis, πόρνον κρίνομεν τὸν τοιοῦτον, id eſt, *fornicatorem eum iudicamus*, quod ex Baſilio ſumpſit *in can. 21. ad Amphil.* cùm ait canonem nullum eſſe, intelligere debemus, id nullo Concilio definitum eſſe, licèt vtrinque adulterium committi cenſuerit D. Ambroſius, cuius ſententiam numero Canonum adſcripſit Gratianus in *can. nemo. 32. q. 4.* aliquo modo æquales facit maritum & vxorem ius Canonicum: nec tamen omninò: nec enim facilè ad accuſationem contra maritum vxor admittitur, *can. Chriſtiana. 32. q. 5.* nec enim ius ſuum habet ſicut maritus, cui ius ciuile ſpecialiter indulſit, vt iure mariti vxorem accuſare poſſit intrà ſexaginta dies, *l. iure. C. eod.* ſicut & patri tantummodò, *cap. maritis. h. t.* quibus elapſis vnicuique iure publico licèt accuſationem inſtituere, vel etiam antè, ſi pater & maritus dixerint ſe nolle agere, *l. ſi maritus. §. ſi negauerint. ff. eod.* Differentia hæc eſt inter has duas accuſationes, quòd pater, vel maritus iure ſuo agentes non teneantur ad libelli inſcriptionem, non incurrant calumniæ pœnam, niſi poſt ſexaginta dies adhuc vti velint iure proprio, vel etiam publico legis Iuliæ, quo extraneus admittitur; & ſic intelligenda eſt lex *is cuius. in fi. & l. pater, ff. eod.* in quibus moratur Cuiacius. Hodiè verò ſinè vlla inſcriptione, & ſinè ſexaginta dierum termino maritus ſolus agens poteſt iure mariti agere, non alius iure extranei, *l. quamuis. C. eod.* non tamen temerè accuſandi facultas conceditur ſinè accuſatoribus & teſtibus: quibus deficientibus olim ad candentis ferri examen mulier cogebatur, apud Iuonem *epiſt. 249. 252. & 280.* Eſt prætereà facultas patri & marito adulterum & adulteram occidere, *l. marito. in fi. eod.* dummodò id fiat in ipſo ſcelere, *l. quod ait. eod.* quod non licuit vnquam vxori tentare aduerſùs maritum, imò nec eum digito contingere, vt ex M. Catone refert Gellius *cap. 24. lib. 10.* minimè iure veteri

Digitized by Google

ante legem Iuliam non licuiſſe marito adulterum interficere conſtat, niſi humilioris conditionis, veluti arenarium, hiſtrionem, & lenonem, libertum, *l. nec in ea. & l. marito. ff. eod.* vel niſi ſe telo defenderit, exemplo furis, *l. 7. ff. quod metus cauſâ*: adulter enim fur eſt nuptiarum, & nocturna furta dicuntur adulteria, νυκτοκλεπίαι. Similiter etiam nocturnus adulter liberiùs occidi poteſt, ſicut fur nocturnus, *l. Gracchus. C. h. t.* vtpotè qui contra ius gentium peccent; ſicut enim furtum aduerſatur iuri gentium, ità & adulterium, *l. probrum, ff. de verb. ſignif.* Hoc iure, marito, vel patri vxorem, vel adulterum necare nunquam magis licuit, quàm dimiſſâ vxore ob adulterium aliam ſuperducere, *can. ſi quod verius. 32. q. 3.* ſed pœnâ canonibus ſtatutâ crimen vindicandum eſt, grauiore contra clericum, quàm contra laïcum, dicto *can. ſi quis diaconus. 50. diſt. & can. 88. ſynodi VI. in Trullo.* Legibus verò ciuilibus præter capitale ſupplicium in dedecoris & infamiæ notam nares abſcinduntur, ſublatâ omni dotis repetitione vxori; ſicut donationis propter nuptias marito, *Nou. Leonis 32. & Nou. Iuſtiniani 134.* Quantùm verò ad id, differentia non eſt inter virum & vxorem, imò paria delicta, *τὰ ἴσα πλημμελήματα ἀντισυλλογίζονται mutuâ compenſatione tolluntur, cap. intelleximus. h. t.* ità vt dote mulctetur vxor, donatione propter nuptias maritus. Olim quidem non integra, ſed pro parte adimebatur, *l. cùm mulier. ff. ſolut. matrim.* niſi alter alterius mores probauerit, ſi maritus lenocinium fecerit vxoris ſuæ, vel eam conuictam retinuerit, *cap. ſi vir, h. t. can. ſi quis vxorem. 32. q. 1.* & alijs caſibus, qui deſumpti ſunt ex iure ciuili. Primitùs cùm nondum adulterium eſſet capitale, vt iam dixi, conuicti tantùm ſacris omnibus interdicebantur, & publicis conuentibus, nec ſinè penitentia ingredi templum poterant, vt refert D. Chryſoſtomus homilia 3. *de David, & Saül*: quod & conſtitutum fuiſſe apud Athenienſes ſcribit Demoſthenes, *Orat. in Neæram*: pollui ſiquidem templa credebantur ob criminis atrocitatem; quod & hoc iure partim ſeruatur: Eccleſia enim in qua adulterium commiſſum fuerit, polluta eſt, & omnino indiget reconciliatione, per aſperſionem aquæ benedictæ, *cap. ſignificaſti. h. t.*

DE

Digitized by Google

## *DE RAPTORIBVS, ET INCENDIARIIS, & violatoribus Eccleſiarum.*

### Tit. XVII.

Triplex crimen vnico titulo comprehenditur; & primùm agitur de raptoribus tam his qui res alienas rapiunt, quàm qui virginum pudori inſidiantur: vtrumque flagitium furtum eſt, & raptus, & rapinæ nomine intelligitur, ſicut de adulterio diximus ſuperiori titulo: non tamen eadem pæna omnibus infligitur; nam raptores qui res alienas inuadunt mitiùs plectuntur nempe excommunicatione, *in cap. 1. 2. & 3. h. t.* at qui vim fœminis inferunt præter excommunicationem, flagellorum etiam pœnâ, *cap. 4. h. t.* Sed nec in omnes bonorum raptores pariter animaduertitur: nam diſtinctionem adhibendam inter manifeſtos, & nec manifeſtos, exemplo iuris ciuilis monet Eugenius III. in *cap. 2. h. t.* Raptor manifeſtus is eſt, quem dominus agnoſcit & deprehendit ſua rapientem & appetentem: nec manifeſtus qui cautè vim infert, vt ſi abſente domino fores ipſius effringat, & intùs graſſetur, *l. ſi. quis vxori. §. vlt. ff. de furt.* Raptor autem ſiue manifeſtus, ſiue nec manifeſtus is intelligitur, qui vi, dolo malo, & coactis hominiarmatis deprædatur, *l. 2. ff. vi bonor. rapt.* vtrique eadem pœna imponitur quadrupli, incluſâ rei perſecutione, *l. 1. ff. eod. can. in antiquis, & ſeq. 12. q. 7.* ſed quia hæc pœna veniens ex publico iudicio, ſcilicet ex lege Iulia, de vi priuata, leuior erat quàm pœna furti, Prætori viſum fuit dare electionem, vtrùm aduersùs manifeſtum prædonem quis actione furti priuatâ agere voluerit; an verò actione vi bonorum raptorum, ex lege Iulia, dictâ *l. 2. §. 2.* ne minorem pœnam exigeret, ſi cogeretur agere publico iudicio, vi bonorum raptorum. Contra nec manifeſtum raptorem non idem eſt, quum pœna nec manifeſti furti ſit in duplum; ſatius enim erit agere vi bonorum raptorum in triplum: & hoc eſt quod voluit Papinianus *in l. ſi vendidero. §. cùm raptor. de furt.* quem variè varij trahunt, & vulgò malè intelligunt: cuius tamen ſenſus apertiſſimus eſt; *Cùm raptor omni modo furtum facit*, id eſt, ( *cùm armatis hominibus vi, & dolo, publicè, & palàm deprædatur* ) raptor manifeſtus exiſtimandus eſt, id eſt præter actionem vi bonorum raptorum quâ conueniri poteſt ex l. Iulia' poteſt plecti in quadruplum actione priuatâ manifeſti furti: ſi verò



Digitized by Google

coactis hominibus armatis ità doloſè & callidè verſatus ſit, vt non fuerit deprehenſus, tunc furti nec manifeſti pœnâ, quia leuis eſt non punitur; ſed potiùs vi bonorum raptorum. Iuris ciuilis ordinem ſequutus eſt ſummus Pontifex in dicto *cap. 2.* innuens grauiùs agendum cum prædone manifeſtè deprehenſo, qui ſi ablata reſtituere, aut ſe emendare noluerit, indulgentiæ & ſepulturæ beneficio priuabitur, pro quo Eccleſia non debet intercedere propter publicam infamiam, *can. hi qui. 14. q. 6.* atque in quadruplum damnandus eſt. His rectè adijci debent incendiarij & violatores Eccleſiarum, qui omnes latronum & prædonum nomine intelliguntur; Galli vocant *Brigandos*, vel potiùs, *Burgandos*, à Burgando inſigni prædone, qui in partibus Aquitanicis tempore Nicolai primi violentas deprædationes, etiam in Eccleſijs exercebat, vt liquet ex *can. de viro. 12. q. 2.* niſi originem longiùs repetentes, à Brigantibus populis Hiberniæ latrocinio & prædæ deditis, deducere malimus, de quibus Tacitus *12. Annal.* eâdem ratione quâ vocabulum Gallicum, *voleur*, Cuiacius deducit ad *cap. 5. de pignoribus*, à Voleronibus, apud Liuium *lib. 2.* Bagaudæ eis affines erant dicti à Græco *βαγύειν*, quod eſt, *vagari*, apud Suidam: ſicut Piratæ dicuntur *Curſarij*, *χουρσάριοι* apud Nicetam, Turcis *Caſaki*, Arabibus Sarraceni; qui omnes ſeueriori pœnæ quàm fures ſubijciuntur, *l. vnicâ. C. de his qui latr. occider.* In eos enim exerceri iudicium, & vindicta poteſt etiam diebus Dominicis, vt de Iſauris ſtatuit Honorius in *l. 9. C. de ferijs, & dilat.* Incendiariorum verò crimen graue ſemper fuit iudicatum, maximè legibus antiquis XII. Tabularum, quibus pœna hæc fuit, vt viui comburerentur, *l. 9. ff. de incend. rui. naufrag.* quam Fridericus conſtitutione ſua firmauit teſte Abbate Vrſpergenſi. Iure Saxonum omninò capitalis fuit, ſiue interdiu, ſiue noctu incendium factum fuerit, *tit. 5. §. 2. legum Saxon.* Salicis verò & Longobardicis nouies compoſitio fiebat, quas ſequuti ſunt Friſiones, *tit. 7.* & de illis intelligendus eſt *can. cùm deuotiſsimam, 12. q. 2.* Hæc compoſitio, ſeu pœna appellatur *Vuere*, & *Vuirgildum, can. omnes. 17. q. 4.* id eſt, *pretium quo damnum appretiatum fuerit*, vt veteres Gloſſæ loquuntur, & Capitularia Caroli Magni, *cap. 13. 15. & 18. lib. 4.* quod eſt tam de incenſoribus Eccleſiarum, quàm aliarum rerum: poſitâ in eo differentiâ, quòd anathematis inflicti abſolutio illorum reſeruetur ſoli ſummo Pontifici, *cap. tua nos. inf. de ſent. excom. cap. 5. h. t.* horum Epiſcopo, *arg. cap. nuper. eod. can. ſi quis membrorum, & ſeq. 23. q. vlt.* Incenſoribus Eccleſiarum adiungendi ſunt omnes prophanatores, ſacrilegi, & contemptores

Digitized by Google

legum & immunitatum Eccleſiaſticurum, vt qui in Eccleſia pugnam, vel homicidium fecerint, qui reum ad aſylum Eccleſiæ confugientem vi extraxerint, non ſolùm Eccleſiâ, ſed ab omnibus adiacentibus atrijs, cœmeterijs, & locis religioſis, *can. ſi quis in atrio. eod. can. ad Epiſcopos, can. id conſtituimus. 17. q. 4.* hunc enim locorum reuerentia, & interceſſio defendunt, *can. eos. 87. d.* in quibus nullus tumultus nulla ſeditio, clamor, aut violentia excitari debet, *l. 4. C. de his qui ad Eccleſ. confug.* Et licèt Theodoſius ſeruos vi extrahi poſſe conſtituerit, *l. 5. C. eod.* Leo Imperator contrarium ſenſit *in l. 6. eod.* & noſtri canones antè conſtituerant; adeò vt, quod magis eſt, manumiſſos, Eccleſiarum tutelæ à morientibus commendatos, in ſeruitutem, & vile obſequium reducere non liceret, ſub pœna excommunicationis, dicto *can. eos.* quam capitis eſſe voluit Leo dictâ *l. 6.* ſed ad rem. De raptoribus hoc titulo duplici ſenſu agitur ſub eodem nomine, ſcilicet non ſolùm de prædonibus & latronibus; ſed etiam de impuris hominibus vim fœminis inferentibus, qui prædonibus ſimiles ſunt, vnde & furtum facere dicuntur; & hoc crimen furtum dicitur. Virgilius *6. Æneid.*

*——— ſuppoſtáque furto*

*Paſiphaë.* & in *can. placuit 36. q. 2.* Qui mulierem rapuerit, vel furatus fuerit, aut ſeduxerit. Furtum fit pudoris & caſtitatis in matronas & virgines, quæ ideò depudiari dicebantur à Laberio apud Gellium *lib. 6. cap. 7.* Deuirginare dixit Vlpianus, *l. vlt. de offic. præſid.* Græci διαπαρθενέυειν, ὑβρίζειν, καὶ φθείρειν, *iniuriam facere, & corrumpere,* vim illam, ὕβριν καὶ φθορὰν, intolerabilem iniuriam dixit Iuſtinianus, *tit. de his qui ſunt ſui, vel al. iur.* nulla ſiquidem atrocior iniuria, & offenſio fœminis poteſt inferri, quàm quæ pudicitiam aggreditur, eò quòd ruina illa nunquam reparetur, vt ait D. Hieronymus, *epiſt. 22. ad Euſtochium.* Ouidius *epiſt. 5.* *——— Nullâ reparabilis arte*

*Læſa pudicitia.* Nihil pretioſius eſt virginitate, & ideò virgines obſidibus victoribus olim dari ſolebant apud *Athen. cap. 28. lib. 13.* Hoc autem crimen præter pœnam anathematis hanc, olim habuit, vt numquam raptor cum rapta copulari poſſet, etiam vtriuſque conſenſu accedente, dicto *can. placuit.* Balſamon *ad can. 93. ſynodi 6.* Quod ius æquè ſeruatum non fuit, propterea quòd conſenſus ſequens ruinam omnem & damnum videatur reparare, *can. tria. ead.* ſi prior diſſenſio tranſeat in concordiam, vt ait *cap. penult. & vlt. h. t. intuitu miſericordiæ rigor canonum temperandus fuit*, ait Iuo Carnotenſis *epiſt. 16.* contra edictum etiam Iuſtiniani in *l. vnica. C. h. t. Nou. 54. & 150.* quibus matrimonium inter raptorem & raptam cõſenſu accedente reparari

Fff 2

Digitized by Google

noluit, eò quòd ſemper virginibus vis inferri dicatur; *Niſi enim*, inquit, *ſolicitauerit, niſi odioſis artibus circumuenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus ſeſe prodere.* Imò etiamſi conſenſu inito, ſinè tractatu matrimonij nuptiæ factæ fuerint, ſi violentia parentibus inferatur, raptus committitur, *can. de raptoribus. 36. q. 1.* vt pluribus locis probat Panormitanus *in cap. pen. h. t.* qui quidem non ideò damnat matrimonij vim & ſacramentum; quod Concilium Tridentinum etiam confirmat, ſed crimen raptus ſinè vlla præſcriptione fori priùs diſcutiendum, legibus maximè huius regni, & conſtitutionibus regijs. Hinc etiam fit, vt qui mellitis ſermonibus, blāda oratione, vt loquitur Vlpianus in *l. item. de iniur.* fœminas inſectantur, pœnâ raptorum teneantur, *dictâ l. vnicâ.* adhibitâ tamen differentiâ, quòd flagitio patrato capitale ſupplicium, imperfecto deportatio irrogetur, *l. 1. de extraord. criminib. Paulus 5. ſentent. tit. de iniur.* quod refertur in *can. ſolicitatores, de penit. d. 1.* ſola affectatio, ſola appellatio de ſtupro, vt loquitur Fabius *lib. 4. cap. 2.* ſolus conatus vim faciunt; nec excuſantur qui blanditijs iſtis viduas, vel mulieres, quamuis ſui iuris ſeduxerint, pœnâ raptus teneri, ad inſolentiam plurimorum comprimendam ſcribit Balſamon *ad can. 30. Baſilij.* Quòd ſi fuerint ſanctimoniales tunc ſolus conatus omninò eſt capitalis, *l. ſi quis non dicam. C. de Epiſc. & cler. can. ſi quis. 36. q. 2. Capitul. lib. 1. cap. 106.*

Addendum poſtremò in hunc titulum poſt raptum ſequi turpius & deterius flagitium, vbique deteſtandum, & grauiter puniendū, quod eſt contra naturam, *can. flagitia. 32. q. 7.* Iuſtiniani *Nou. 141.* cùm vir nubit in fœminam viro porrecturus, & Venus mutatur in alteram formam, vt eleganter loquitur Conſtantinus in *l. cùm vir. C. ad l. Iul. de adult.* ſimili modo quo Saluianus 7. *de gubernatione*; *Viri in ſemetipſos fœminas profitebantur.* Hanc artem exerceri ſolitam à Sarracenis in Apulia & Calabria, quam maiorem Græciam dicunt, conqueritur Alexander III. *in cap. 4. h. t.* Has etenim regiones inuaſerunt Sarraceni, & deuaſtarunt omnino, & in eis præpoſteras illas libidines exercuerunt, ſed non ſoli: nam hoc vitium longiùs irrepſit, etiam ad clericos, quod cauſam dedit Innocentio III. *in Lateran. Concilio*, vt conſtitutionem ederet, *cap. vt clericorum. ſup. de vita & honeſt. cleric. & cap. vt clerici. inf. de exceſsib. prælat.* quibus pœna canonum aſperrima infligitur. Leges ciuiles capite mulctant, *l. cùm vir. C. de adult. & ſtupro*, cuius autor eſt Conſtantinus, quem ſequutus eſt Iuſtinianus *d. Nou. 141.* cuius temporibus Epiſcopi quidam ἀῤῥενοφθόρους diris cruciatibus multarūt, alijs capite

trũcatis, alijs calamis acutis in genitalia immiſſis, & nudis in forũ, ſicut in triumphum productis, vt ſcribit Cedrenus. Quod autem deeſt vindictæ iuris canonici, ſupplendum regiâ, id eſt, ſeculari poteſtate. *d. cap. 4. h. t.* & ſic παιδεραστίας, ſiue παιδοφθορίας crimen puniendum eſt ſecundùm leges ciuiles in dicto *can. ſolicitatores. de penitentia, diſt. 1.* apud Clementem *cap.* 3. *lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum.*

## *DE FVRTIS,*

### Tit. XVIII.

De Furto quod eſt crimen publicum diximus ſuperiore titulo, nunc de eo quod eſt priuatum: quod noſtri diuidunt in manifeſtum, & nec manifeſtum, exemplo Iuriſconſultorum; ſiquidem manifeſtum duriori ſubiicitur pœnæ, quàm nec manifeſtum, *can. pœnale. 14 q. 5.* in quadruplum ſcilicet præter rei perſecutionem: hoc in duplum *ex lege XII. tabularum. §. ſunt autem. Inſtit. de noxal. action.* §. *1. de perpet. & tempor. action.* ratio hæc fuit, quia cum manifeſtis ſeueriùs ageretur, propter ignauiam nempe; ideò in *cap. 2. h. t.* pro eo qui in furto deprehenſus occiditur, non eſſe orandum dicitur; ac nec manifeſti mitiùs tractabantur, quòd ſubtiliùs rem peragerent, & eo exercitio in diſciplina militari maiorem induſtriam haberent, vt narrat Gellius de Ægyptiis, & Lacedæmoniis, *cap. vlt. lib. 11.* quo factum, vt nec infamiâ notarentur; τὸ παλαιὸν οὐ διεβέβλητο ἡ κλοπὴ, εἰ μὴ φωραθεὶς ὁ κλέπτων ὑπῆρχεν. id eſt, *olim furto nulla infamia dabatur, niſi cùm fur deprehenſus eſſet*, ſcribit Suidas; quod & innuit Alexander III. in *cap. vlt. hoc. tit.* Verumtamen aduertendum ſub nomine nec manifeſti furis, nocturnũ non intelligi, quippe longa fuit differẽtia: ſiquidẽ nocturni aliquando ſunt manifeſti, aliquãdo nec manifeſti, *can. vulgaris. de pen. diſt. 1. l. 1. de extraord. criminib.* ſimiliter, & interdiarij; qui tamẽ mitiùs tractabãtur quàm nocturni legibus XII. tabularum: quãtò enim facilior graſſandi facultas eſt noctu, tantò durior pœna, vt docet ex Græcis autoribus Cuiacius *Obſeruat. 6. cap. 8.* Simile eſt dicendum de furibus & latronibus perſonatis, qui vultus ſuos laruis tegunt, ne dignoſcantur, quos *Vualapos* vocant leges Langobardorum *tit. 12.* §. *2.* Hi nec minùs manifeſti ſunt ſi deprehendantur, deprehendi enim dicuntur non tantùm qui capti effugere nequeunt, ſed & qui detecti fugiunt, *l. 7. de furt.* modò clamor adhibitus ſit, ex lege XII. tabularum, *l. 4. ff. ad leg. Aquil.* Plautus *in Milite. Vbi abiit, conclamo.* & Seruius *ad 3. Bucol.*



Digitized by Google

*Et cùm clamarem, quò nunc ſe proripit ille.*

Græci deprehenſum in furto detectum & conclamatum, id eſt, manifeſtum *ἐπ' αὐτοφώρῳ* vocant. Præter manifeſtum, & nec manifeſtum, erant alia genera, quæ recenſet Iuſtinianus *tit. de obligat. ex delict.* & *Paulus 2. ſentent. tit. 31.* quorum nomina licèt euanuerint cum formulis, & ſolennibus actionum, tamen re verâ communis actio remanſit, nec vtilitas periit, quam ſub nomine furti nec manifeſti contineri voluit Iuſtinianus. De his etiam hoc iure agitur, vt *in cap. 4. h. t.* de furto non exhibito, quoties furti conſcius quærenti domino non indicauerit, vel apud ſe habens non exhibuerit; ſicut de furto concepto, id eſt, inuento apud alium quàm furem, vel de oblato, id eſt alteri à fure tradito apud eundem *Paulum 2. ſentent. tit. 11.* is enim non minùs quàm fur, furti actione tenetur, *l. 2. & 5. C. eod.* Legum Ripuariorum *tit. 4. Quod ſi in domo fuerit, & ei ſcrutinium, cuius eſt domus contradixerit, fur habeatur:* vbi notanda vox, *ſcrutinium*, quod redolet veterem formã perquirendi furta per lancem & licium, de quo aliquid *inf. tit. de ſortilegiis* dicemus, is autem ſocius eſt fraudis & criminis, *can. ſi res aliena, 14. q. 6.* ſicut qui & opem tulit, vt furtũ fiat, *can. omnes, 17. q. 4.* veluti ſi quis ſuadeat ſeruo dominũ relinquere vel contẽnere. *can. ſi quis ſeruũ, & ſeq. 17. q. 4.* adeò vt eorum quæ ſublata ſunt à ſeruo, ipſe duplum pretij cogatur præſtare, *Nou. Leonis 66.* Balſamo *ad can. 3. ſynodi Gangrenſis.* quamuis anteà morte eſſet multandus, *l. quoniam. C. ad l. Flauiã de plagiar.* Omnis deniq; quouis pacto conſcius furti ſit, reus eſt; & per conſcium intelligere non debemus *συνεγνωκότα τὸν ἔχοντα εἴδησιν μόνην, καὶ μὴ δυνάμενον κωλῦσαι*: id eſt, *qui ſolam habet conſcientiam, & prohibere non poteſt,* vt ait Balſamo *ad can. 71. Baſilij:* vel etiam qui cogitatione & animo furtum facit, nec enim ideò tenetur actione furti. Nec pugnat ſententia D. Auguſtini *in can. ſi propterea 29. de penit. diſt. 1.* in quo ait, eum furti teneri qui metu aliquo à furto abſtinuit, licèt rem alienam non contrectauerit: hoc enim quantùm ad Deum & penitentiam verum eſt: ſed verè eum teneri dicimus qui opem & auxilium tulit, vel doloſè conſuluit, vel cùm ſcit, & poteſt prohibere, non prohibuit, vel qui furem occultat, *ἀλλὰ*, inquit idem Balſamo *τὸν συμπράξαντα, ἢ συναράμενον, ἢ συμβουλευσάμενον μετὰ δόλου, ἢ ἔχοντα εἴδησιν, καὶ δυνάμενον κωλῦσαι, καὶ μὴ κωλύσαντα*; non verò eum qui cùm nouit furem non reuelauerit. Aliud eſt de fure qui famis & neceſſitatis causâ aliquid furatur; grandis enim non eſt culpa, vt ex Sapiente refertur in *cap. 3. hoc tit. in 1. compilat.* & latiùs expendit Petrus Bleſenſis in *canone Epiſcopali.* mitiùs etenim cum eo agendum eſt, *cap. ſi quis famis.*

*hoc tit. can. diſcipulus. de conſecrat. d. 5.* & licèt pœnam non effugiat, tamen moderatior pœna exigenda eſt, *can. fraternitas. 12. q. 2.* Quod autem dictum eſt, pænam pro ratione furti eſſe in duplum, triplum, vel quadruplum, debemus intelligere ciuilem & pecuniariam, præter quã alia eſt publica, ſiue criminalis; & licèt Iſidorus *5. Orig. cap. 26.* & Gellius *lib. 11. cap. vlt.* dicant ante pœnam quadrupli, furtum fuiſſe capitale, non poſteà; contrarium patet ex legibus ciuilibus, quibus verberum & flagellorum caſtigatio, vel etiam capitale ſupplicium infligitur: quod intelligendum eſt, non quidem iure ordinario, ſed extraordinario pro delicti qualitate, *l. aut facta. ff. de pœn.* frequens pœna eſt ſuſpendium, quod ſtatuit Fridericus *2. feudor. tit. de pace tenenda: & leges Ripuariorum, tit. 81. ſi quis propter furtum pendutus fuerit.* Apud Saxones capitalis pœna fuit, *tit. 4. §. 7. Qui interdiu, vel noctu trium ſolidorum pretium furto abſtulerit, capite puniatur.* Quâ lege excipiuntur leuiora furta quæ non excedunt tres ſolidos vel quinque, conſtitutione Friderici; hæc enim mitiùs puniuntur, nec publicè vindicanda ſunt, vt ait Martianus, *in l. reſpiciendum. de pœnis.* Loco gladij & pœnæ corporalis, Eccleſia gladio ſpiritali vtitur, *dicto cap. 2. can. inter hæc. 33. q. 2.* nec legem veteris Teſtamenti vnquam ſequitur, quâ furtum hominis gladio vindicabatur, *cap. 1. hoc tit.* Cur autem fures non ſolùm pecuniariâ mulctâ coërcentur legibus ciuilibus, ac canonicis, nõ alia ratio eſt, quàm quæ redditur à Friderico in dicta conſtitutione; *quia fur eſt publicæ pacis perturbator*; vnde & legibus Friſionum fur conuictus præter duplum aut quadruplum, certam pœnam fiſco inferebat, quam *Fredam*, ſeu *Fretam* dicebant, pro *Vueregildo, ſeu compoſitione, tit. 3. §. 2.* Eſt autem *Freda*, pœna violatæ pacis, *cap. 13. lib. 2. legum Langobardorum,* apud Gregorium Turonenſem, *4. de virtutib. B. Martini, cap. 26.*

## *DE VSVRIS.*

### Tit. XIX.

POſt titulum de furtis optimè ſequitur de vſuris; nihil enim propiùs accedit furto quàm vſura: quæ ideò tã acriter damnatur à ſacris canonibus, *cã. ſi quis. 4. 1q. 4.* imò magis execratur Eccleſia fœneratores, quàm fures: exẽplo Romanorum, qui fures dupli, fœneratores quadrupli condẽnabant, vt ex M. Varrone, initio *de Re ruſtica* conſtat: quod odiũ primò concepit lex XII. Tabula-

rum vnciarium fœnus tantùm permittens, quod decennio poſteà ſemunciarium factum fuit, tum demum vetitum omninò, vt ex Liuio *lib. 7.* & Tacito *6. Annal.* notum eſt. Iure tamen ciuili ad certum modum vſuræ redactæ ſunt, quæ ritè peti poſſunt, dummodò per ſtipulationem promiſſæ, *l. 17. ff. de vſur. l. quamuis. C. eod.* Vnde Sidonius cautam centeſimam dixit, *Epiſt. 24. lib. 4.* ob ſtipulationem, vel chirographum, quod δάνειον vocant Gloſſæ. Ex mutuo non aliter debentur, niſi ſtipulatio interceſſerit, *l. Titius. de præſcr. verb.* quia mutuum per ſe gratuitum eſſe debet; & quotieſcumque ſtipulatio ineſt, non eſt ampliùs mutuum, cuius natura eſt, vt tantundem reddatur, non ampliùs. Et in eo aduertendum eſt, candorem Iuris ciuilis corruptum, & obumbratum fuiſſe pallio & cœno ſtipulationis. In contractibus verò bonæ fidei nunquam vſuræ admiſſæ ſunt, niſi poſt moram: & tunc propriè non eſt vſura, ſed pœna; dilatio enim fruſtratoria, ſeu iniuſta tarditas, vſura non eſt, ſed moræ coërcitio, *l. mora. ff. eod.* petitio ipſius naſcitur ex mora in id quod intereſt creditoris, quod debitum ſuum non receperit, *cap. 2. inf. de fideiuſſor.* Et hanc quidem pœnam, ſeu vſuram nec canones vnquam improbarunt, quia ſemper in contractibus bonæ fidei à tempore moræ ipſo iure debetur, in aliis à lite conteſtata, & tunc vicem fructuum obtinet, *l. vſuræ, & ſeq. ff. eod.* Præter hanc cauſam ius Canonicum vſuras non probauit, niſi & fauor alicuius intercedat; & quodcumque recipitur vltra ſortem vſurarium eſſe declarat, etiam ratione traiectitiæ pecuniæ, *& ex quolibet omni negotio*, vt loquitur *can. clerici, & can. ſi quis. 14. q. 4.* Fœnus illud nauticum ius ciuile liberum fecit, nec ei modum vllum impoſuit, *l. 1. C. de naut. fœn.* donec Iuſtinianus centeſimum fecit. Vſura centeſima ἑκατοστιαῖος τόκος illa eſt, quæ ob centum nummos ſingulis menſibus nummum exigit: ſingulis enim Calendis vſuræ præſtabantur, & à creditoribus debitores impetebantur, & quaſi trucidabantur, vt loquitur *can. quid dicam. 14. q. 4.* ità apud quoſdam populos Luna homines deuorare dicebatur: toto anno duodecim nummi præſtabantur vt notat Harmenopulus *lib. 3. tit. 7.* propter periculum quod creditores ſuſcipiunt, opes ſuas mari committentes; eóque pacto Menippum fœnerari ſolitum ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν ſcribit Laërtius. Itaque finito periculo non ampliùs debebatur centeſima, ſed bes, δίμοιρον ἑκατοστῆς, vt loquitur Harmenopulus, & probatur ex *l. nihil. ff. de naut. fœn.* hoc eſt nummi octo, qui vulgò exiguntur ab argentariis & negociatoribus, non à nobilibus & illuſtribus perſonis, quibus fœnerari conceſſit Iuſtinianus in *dicta l. eos*; eâ tamen lege, vt trientibus vſuris

vſuris, id eſt, nummis quatuor contenti eſſent: quâ etiam ratione Antoninũ Pium fœnus exercere ſolitum narrat Iulius Capitol. & Seuerum Lampridius. Qui quidem Alexander Seuerus illuſtribus, & ſenatoriis viris trientem etiam ademit, muneris causâ eis aliquid capere permittens; quod munus ſemiſſem effecit; niſi hunc locum Lampridij mendoſum exiſtimemus, non enim fieri potuit vt Imperator qui trientem vſuram excluſerat, donum ſemiſſis permiſerit: fraus eſſet inſignis legi, ſi fœneratores plus donorum & mumerum obtentu, quàm palàm iuris autoritate caperent: niſi dicamus Lampridium intellexiſſe, Seuerũ muneris causâ ſemiſſem permiſiſſe, nõ quidem debiti, ſed potiùs ſemiſſem vſuræ permiſſæ negotiatoribus, quę erat duorum nummorum: vt vt ſit omne id genus exactionis æquè damnant canones *2. & 3. 14. q. 4. & can. 17. ſynodi Nicenæ*, qui non tantùm vſuras ἑκατοστὰς damnat, ſed etiam quaſcumque alias mediocres ἡμιολίας, ſeſquialteras, ἢ ὅλως ἕτερον, vel *quid aliud*, id eſt munus, non ſolùm ex pecunia, ſed etiam ex oleo, vino, frumento, ex quo mutuum fit. *can. 1 14. q. 3. l. pecunia. de verb. ſignif. l. mutuum. de reb. credit.* imò & ex quauis re lucrum capere vetat *can. 5. ſynodi Carthag.* ἀπὸ οἱουδήποτε πράγματος τόκον λαβεῖν; quamlibet rem intelligimus etiam leuia munuſcula, veluti legumina, vuas paſſas, poma diuerſi generis, & alia ſimilia quæ collyba, ſeu τραγήματα dicuntur, & fœneratores, collybiſtæ, apud D. Hieronymum *cap. 14. in Matth.* ſed & collyba ſunt pecuniæ modica exactio, quæ à nummulariis *pro ſpectatione, ſeu probatione, aut pro permutatione, pro neſcio quo cerario exigitur*, vt docet *Tullius 3. de diuinat.* permutationem illam *aſpraturam* vocant gloſſæ veteres; eò quòd veteres nummi cum recentibus, & aſpris, id eſt albis, permutentur. Et ex illa permutatione lucrum captant hi fœneratores, quod appellant noſtri Iuriſconſulti interſrituram, id eſt, cambium κόλλυβον ἀλλαγὴν *Matt. 6.* hanc artem νομισματοπωλικὴν, id eſt, artem numiſma vendendi Platonem appellare, ait Pollux *lib. 7. cap. 33.* Rem unerationẽ quidem ſponte & beneuolentiâ potiùs, quàm ex obligatione, & pacto tacito, vel expreſſo in aliis rebus quàm pecunia non improbat *D. Thomas 2. 2. q. 28. art. 2.* Propter periculum verò quod creditores in ſe ſuſcipiunt, licèt iure ciuili concedantur vſuræ, non tamen hoc noſtro. Gregorius enim in *cap. vlt. h. t.* nominatim vſurariũ dicit eum, qui negociatoribus mutuat periculo ſuo; quod graue & aſperum videri potuit, vbi enim periculum eſt, ibi eſſe debet emolumentum: attamen id Pontifex ſtatuit, quia mutuũ debet eſſe gratuitũ, & quantumuis aliquis periculum ſuſcipiat, ſi velit inde lucrum captare, contra naturam mutui facit, vt rectè annotauit gloſſa. Quod ſi per



Digitized by Google

modum ſocietatis pecunia credatur, tūc quod capitur vſura non eſt,vt D. Thomas dicto loco declarat. Exploditur etiam hoc iure non minùs *ἀντίχρησις*, quàm *τόκος* adeò vt creditor quoſcumque fructus, aut reditus ex pignore perceperit, teneatur imputare in ſortem,*cap.1.2.& cap.conqueſtus.h.t.*contra iuris ciuilis regulas,quo creditor ex re tradita pignori, fructus ſuos facit, ſi nominatim conuentum fuerit: nam ſi alio modo vtatur, quàm ei ex lege pignoris ſtatutum fuerit, quicquid excedit legitimum vſuræ modum imputatur in ſortem,*l.14.C. de vſur.* Idem eſt de *ἀντιχρήσει* tacita,*l.cùm debitor.ff.in quib.cauſ.pign.*hoc genus fœnerandi iam inhumanum agnouerat Iuſtinianus,qui in *Nou. 32.& 34.*agricolis, colonis, & ruſticis hominibus *ἀντίχρησιν* ad modum reducit, vt pro quoque modio frumenti, vel aliarum frugum, octaua tantùm pars, prò pecunia in ſingulos ſolidos vnica ſiliqua,id eſt viceſima quarta pars ſolidi; ab Eccleſia verò,& venerabili domo quarta pars centeſimæ exigatur,in Baſilicis, & apud Harmenopulum *lib.3.tit.7.* Nec hoc iure inter vſuram & *ἀντίχρησιν* tacitam,vel expreſſam ponenda eſt differentia, ſed omne emolumentum ſupra ſortem damnatur quouis nomine,*can. plerique.14.q.3.*quod & agnouit Imper.Baſilius qui omnem vſurā etiam leuiſſimam tanquam iure diuino prohibitam reiecit; quam tamen reuocare conatus fuit Leo eius filius,cognomento Philoſophus, viſâ ſæuitiâ,& crudelitate fœneratorum,qui poſt legem latam adeſſe nolebant indigentibus, *Nou.83.* Nemo igitur ſupra ſortem quidquam capere poteſt, ſiue is ſit clericus, ſiue laicus; quamuis laici id ſibi licere contenderint,eò quòd *can.44. Apoſtolorum,*de Eccleſiaſticis tantùm loquatur,ſicut & *can.4.ſynodi Laodic.can.17.ſynodi Nicenæ.can.1.& 2.14.q.4.* Hunc enim errorē ſuſtulit *can.5.ſynodi Carth.* & nouiſſimè Alexand. III. in Concil.Later.Id ius extēditur ad omnes Chriſtianos, quibus inter ſe fœnerari prohibetur,non cum Sarracenis & infidelibus,& iis cum quibus bellum geritur. Vbi ius belli, ibi ius vſuræ, inquit D. Ambroſ. *can. ab illo.ead.*quod nō admittit D.Hieron. qui illa quæ dicuntur *15.& 23. Deuter.Non fæneraberis fratri tuo,*per Ezechielē generaliter extenſa fuiſſe dicit in *cap.18.Ezechiel.*Iudæi ab hac lege exempti fuerūt; *Iudæi vbique terrarum de fraude, mercato, vſura, & deceptione viuunt,* ait Autor ille, qui ſub nomine Euſebij Emiſſeni editus eſt(docti hunc eſſe volunt Eucherium Lugdunenſem) Homilia *in Euang. Domini 20.poſt Pentec.*non quòd eis abſolutè licitum fuerit fœnerari,ſed potiùs permiſſū ad maius malum vitandum , vt D. Thomas *2.2.q.78.*exponit. Quæ ratio eſt cur Fridericus Imperator à crimine vſurarum publico eximat Iudæos termino eis impoſito, *vt pro decem* , inquit , *vnciis per circulum anni integri vnam, ipſis tantummodò lucrari liceat pro vſuris, tit. 6. lib.*

Digitized by Google

*1. Conſtitut. Sicularum.* grauem verò & immoderatam vſuram reſtituere debent, vt in Lateran. Concilio Innocent. III. ſtatuit, *cap. quanto. h. tit.* nec enim omninò Iudæis prohibuiſſe vſuras dicendum eſt cum Gloſſa in *dicto cap.* cui nõ fauet *cap. poſt miſerabilem*, ſi legatur vt eſt in integra Decretali *Epiſt. 342. lib. 1. Regiſtri*, in qua iubet Pontifex Iudæos vſuras reſtituere, quas à proficiſcentibus Hieroſolymam exigebant, ídque fauore peregrinationis, & expeditionis in terram ſanctam. Sunt prætereà caſus quidam in quibus vſura licita eſt iure Pontificio; primus eſt in *cap. 1. ſup. de feudis*, ſi colonus fundum emphyteuticarium domino obligauerit, dominus fructus non imputat in ſortem, ſed ſibi reſeruat iure ſeruitutis, & loco penſionis ſibi debitæ: ſimiliter ſi pro dotis numeratione pignus detur, vſuræ ad ferenda matrimonij onera ritè exiguntur, *cap. ſalubriter. h. t.* Ius ciuile hunc fauorem agnouit, quo vſuræ pro dote etiam ſinè ſtipulatione debentur, *l. 2. C. de dot. promiſſ.* ſimile eſt de vſuris pupillaribus, *l. 1. C. de vſur. pupillar.* Præter hæc vſuræ prohibentur, & qui eas exercent canonibus puniuntur. Siquidem vſurarij manifeſti incidunt in pœnam Lateranenſis Concilij; quæ eſt vt à communione altaris arceantur, & defuncti careant Eccleſiaſticâ ſepulturâ, *cap. quia, 3. h. t.* quales, & qui ſint manifeſti docet, *cap. cùm in diœceſi. h. t.* & alibi demonſtrauimus.

## *DE CRIMINE FALSI,*

### TIT. XX.

ACtum ſuperioribus titulis de grauioribus criminibus, quibus ſubiungi iure debet titulus de falſis; falſum enim inter grauiora cenſetur, *l. 3. §. 1. ff. de decurionib.* & fuit olim capitale lege Corneliâ, *l. 1. & 5. C. h. tit.* deinde factũ eſt non omninò capitale, deportationis pœnâ impoſitâ, niſi id exigat magnitudo commiſſi, ait Conſtantinus in *l. 22. C. eod.* quam magnitudinem explicat Leo Imperator *Nou. 77.* ſi is aduersùs quem falſitas facta eſt mortis pœnæ ſubijciendus ſit. Innocentius verò III. ſi quis Bullas, & literas Pontificias falsò per ſe exercuerit, & eis vſus fuerit: quo caſu ad ſecularem poteſtatem eum remittit puniendum *cap. ad falſariorum. h. t.* licèt anteà Vrbanus III. ſequutus fuerit pœnam legum ciuilium, quæ eſt deportatio, *cap. ad audientiam. h. t.* nec enim exiſtimandum eſt eum qui reſcripta principum ſecularium & ſigilla corruperit, & ſubiecerit, capitali ſupplicio non eſſe obnoxium:



Digitized by Google

licèt enim aliquantò grauiùs ſit Bullas ſummorum Pontificum corrumpere, quàm Principum, propter honorem & reuerentiam ſedis Apoſtolicæ, *& ne ipſius lædatur auctoritas*, vt ait Innocentius III. *Epiſt. 233. lib. 1. Regiſt. ad VV. Remenſ. Archiepiſcopum*; tamen quia hoc crimen maieſtatis eſt, æquè puniendum fuit, nec mens hæc fuit Innocentij III. ſed conſtitutionem Vrbani III. grauiori pœnâ damnare. Quod ſatìs liquet *ex cap. nouimus. infra, de verb. ſignif.* vt in Obſeruation. latiùs annotaui. Communiter verò capitale non eſt crimen falſi, vt ob falſum teſtimonium *cap. 1. hoc tit.* In cauſa enim criminali καθαιρέσει, & à ſacri ordinis remotione perpetuò; in cauſa pecuniaria, per triennium relegatione in aliquod monaſterium clericus in ſacro ordine conſtitutus damnatur: in aliis verò minoribus ordinibus conſtitutum, verberibus cædi vult Iuſtinianus *Nou. 123. cap. 20.* & Leo *Nou. 76.* ſed verbera canonibus non ſunt recepta, quæ ſanguinem irrogant, *cap. ſententiam. ſup. ne clerici, vel monachi*: licèt Vrbanus falſariorum clericorum fronti characterem imprimi velit in dicto *cap. ad audientiam*, quod Gloſſa rectè reſtringit ad vultus, & cutis ſuperficiem deformandam, non ſanguinem eliciendum: hoc enim reſeruatur iudicibus ſecularibus; *poſt regradationem legitimis ſubiiciantur pœnis*, ait *cap. 121. lib. 6. Capitular.* Laicorum verò legitima pœna eſt deportatio cum publicatione bonorum, niſi humilis ſint conditionis, quia tunc pœna capitis locum deportationis ſubit, *cap. 2. tit. 25. ſentent. Pauli lib. 5.* Notariorum quidem pœna vſitatior fuit, vt dextera amputaretur legibus Langobardorum *lib. 2. tit. 51. c. 11.* aut ſaltem pollex præcideretur, legibus Ripuariorum *tit. 59.* Alexander verò Seuerus digitorum neruos incidere iubebat, ità vt nunquam poſſent ſcribere, teſte Lampridio. Notariis, & logographis adiungendi ſunt ceteri omnes qui falſas chartas confingunt, quibus pariter manus amputari iubent leges Langobardorum *lib. 1. tit. 29.* Conſtitutiones Siculæ ſeueriùs egerunt, quæ poſt manus amputationem, ſupplicium capitis indixerunt *lib. 1. tit. 92. cap. 2.* Cum iis verò qui vſi fuerint tantùm falſis literis mitiùs aliquantulùm agendum videtur; quum id non pertineat ad legem Corneliam, quæ eſt propriè tantùm de iis qui falſitatem egerunt; ideóque licèt infames fiant, & relegentur, priſtinum tamen honorem, gradum, & curam ſuſcipiunt, nec infamiam durare dicit Papinianus in *l. falſi. ff. eod.* quamuis anteà damnati ad tempus ex cauſa infami, licèt reſtituti ſemper maneant infames, *l. 5. de decurion.* & ità Decuriones ordine moti reſtituuntur in *l. 3. ff. eod.* Alexander Seuerus Senatores qui fefelliſſent, & falſum teſtimonium

Digitized by Google

dixiſſent in creando Senatore, vltimum in locum ciuium reijcere ſolebat, condemnationis ſententiâ in eos quaſi in falſi reos adhibitâ, apud Lampridium: non tamen additâ deportatione, vt cuidam viro docto placuit; quia licèt deportatio ſit non in falſi tantùm, ſed & quaſi falſi reos, non tamen hâc voluit Seuerus Senatores plectere, ſed tantùm ſenatu mouere ad tempus, extraordinario iudicio, & non vi legis Corneliæ, quæ publicationem, & exſilium perpetuum imponit, *l. 1. §. fin. ff. h. t.* at ſenatus motio non eſt capitis minutio, ſed pœna temporaria, *l. falſi. ff. eod.* Quod ſimiliter accipiendum eſt de clericis qui ſi non regradati, ſed ſuſpenſi fuerint, infames non fiunt, & tempore exacto priſtinum munus recipiunt, *cap. poſt electionem, in fi. ſup. de teſtibus.* licèt in falſi vitium inciderint, *cap. quantò. de ijs quæ fiunt à Prælat.* Præter pœnas ſupradictas id prætereà obſeruandum eſt, vt literæ omnes falſò obtentæ, vel vitiatæ ſint nullius momenti, *cap. ſuper. de reſcrip. ſup.* & ſententia per literas falſas obtenta nulla eſt, nec tribuit iuriſdictionem, ideò executioni mandari non poteſt, *cap. ſuper eo. h. t. cap. ad probandum. ſup. de re iudic.* Falſitas in literis quomodò dignoſcatur docet Innocentius III. *in cap. licèt. h. t.* Si falſa Bulla literis adiungatur, vel filum per veram Bullam immiſſum literis falſis adhibeatur: Bullæ ſiquidem, & ſigilla vel effringi poſſunt, vel è veris literis extracta, falſis apponi, vel cùm non apparet imago ſigillo inſculpta, vel quæ non habeat mitram in capite, nec ſit induta pontificalibus, nec baculum paſtoralem teneat, ſed potiùs inſit pileus, aut ſceptrum, aut ornamenta regalia; ſi Bullæ facies non appareat integra, ſed dimidia, vt in nummis regum & Ducum videmus facies ad vnam tantùm partem conuerſas, vbi è contrariò in Bullis Pontificum ex vtraque parte æqualiter patent. Quæ ſigna falſitatis detegit Innocentius III. in cauſa cœnobij S. Donati, & Archiepiſcopi Mediolanenſis, *Epiſt. 38. lib. 2. Regiſtri.* Nec verò vulgò facies ſummi Pontificis inſculpitur ſigillis, ſed capita Apoſtolorum Petri & Pauli; *Bulla noſtra, per quam totius negotia Chriſtianitatis aguntur, capitum ipſorum charactere præſignatur*, ait Innocentius III. in dicta *epiſt. 233. lib. 1. Regiſt.* Ex quibus etiam notandus eſt alius modus falſitatis, ſi duobus nempe capitibus Bulla non fuerit inſignita ex parte vna, & nomine Pontificis ex altera. Quod ſi pars altera defectum patiatur, præſumptio eſt quidem falſitatis, ſed non ſemper: nam literæ ab electione ſummi Pontificis, vſque ad conſecrationis ſolennitatem, ſub dimidia Bulla expediri ſolent, quæ tamen fidem plenam faciunt, & robur idem obtinent quod reliquæ, vt reſcribit In-



Digitized by Google

nocentius III. *in Epiſt. 83. lib. 1.* Præter hos falſitatis modos, qui in bullas, vel ſigilla Pontificum & Principum committuntur, alius eſt qui reſpicit, monetam, quia nomine & ſigillo eorum inſignitur: cuius falſitas eâdem lege Corneliâ, & Maieſtatis pœnâ punitur. Ideò falſitates monetæ, reſcripti, & annotationis principis coniunguntur, quaſi idem crimen, in *l. vlt. C. de fals. moneta.* imò & Bulla ſumitur non ſolùm pro ſigillo & edicto, ſed etiam pro nummo: Harmenopulus *lib. 6. tit. 14.* τὸ ἀρχέτυπον σφραγιστήριον, ἢ βουλλωτήριον, id eſt, *Iconium quo nummorum forma exprimitur.* Similiter, Ioannes XXII. in *Extrauag. comm. h. t.* conſtitutionem edidit circa falſitatem monetæ quam adulterari, & corrumpi tribus potiſſimùm modis demonſtrat; in charactere, ſeu icone, in vultu principum, vt loquitur *Paulus 5. ſentent: tit. 25. §. 1. au coing.* in ſpecie, ſiue materia, quam legem vulgò appellant, *l'aloy.* Denique in pondere, *cap. quanto. ſup. de iureiur. l. 1. S. de veteris numis. ſi pot. lib. 11. C. Nou. Leonis 52.* Prætereà ſi æs inauratum vel inargentatum fuerit, vel in auro & argento dando æs ſubiectum fuerit. Denique corruptores, παραψαλίσαι, corroſores, & conres l. Corneliâ puniuntur apud Paulum dicto loco, & conſtitucisotione Ioannis XXII. ſiue ex auro, argento, vel ære nummi conficiantur, vel ex alia quacumque materia, vt corio apud Lacedæmonios, ferro apud Byzantios, vel ſtanno apud Syracuſios, qui ſtannum κασσίτερον argenti loco habent, vt refert *Pollux lib. 9. cap. 6.* In pœnam quoque falſi incidunt qui dolo malo nomen ſuum, vel cognomen mutant, & ſimulant, *l. 13. ff. eod. dolo malo inquam,* ideſt, *animo fraudandi aliquem,* ἐπὶ βλάβην τινὸς ἢ ἀπάτην, id eſt, *in damnum & fraudem alterius.* Si ità citra fraudem id agatur, vel ob neceſſitatem culpa non eſt; innocentibus non obeſt, ait *l. vnica, C. de nom. mutat.* Sic intelligendus *can. 62. Apoſtol.* qui clericum ſinè cauſa nomen ſuum abnegantem deponi iubet, & Balſamon addit idem eſſe ſi tonſuræ ſignaculum, & clericales veſtes abiecerit: ità vt ſpes illi adimatur ad priſtinum ordinem redeundi, ſed tantùm inter laïcos verſandi: ſimiliter ſi muliebres, comicas, Satyricas, vel Tragicas perſonas induat, *can. 62. ſynodi VI. in Trullo.* quod etiam leges deteſtantur, *l. veſtes. §. muliebria. ff. de aur. arg. leg.* Athenienſes infames iudicabant eos, γυναικώδας & euiratos homines, & Plato veſtibus fœmineis indui impium iudicauit, quamuis Ariſtippus non indecorum putarit, vt refert Sextus Philoſophus *lib. 3. Pyrrhon. cap. 24.* Vnuſquiſque vitæ ſuæ propoſito habitum conuenientem ſeruare debet: ideòque in Eccleſia habitus ſingulorum ordinum diſcreti ſunt, vt in quo genere quis militet dignoſcatur: vnde nec monachis habitus ſecula-

Digitized by Google

rium clericorum, nec contrà clericis monaſtica veſtis licita eſt, vt latè ſancitum eſt in *can. 125. Concilij Aquiſgran. & cap. 76. lib. 1. Capitul.* nec pariter laicis vti veſtibus clericorum, vel monachorum datur, ſiue in theatris, ſiue in ludis, ſed nec alterius cuiuſcumque perſonæ imitari ſchema, vt docet Iuſtinianus *Nou. 123. cap. vlt.*

## *DE SORTILEGIIS,*

### TIT. XXI.

HIc titulus partem habet apud legem Corneliam, quâ veneficia, incantamenta, diuinationes, & ſortes damnantur, *l. 1. ff. ad l. Corn. de ſicar. vt in cap. 1. & 2. h. t.* ſortes quæ fiunt ad inquirenda furta damnantur, & qui diuinationis ſcientiam profitentur, *can. 1. 26. q. 2.* qui tamen modus vulgò receptus erat primis temporibus: ſi quid enim quis ſibi reuelari cuperet, vates, Hecatontarchas, & centuriones conſulebat, *can. 61. ſyn. VI. in Trullo*; & nominatim ad furta detegenda taleis, id eſt ſurculis quibuſdam, ſeu lignis vti ſolebant. Id etiam fiebat per crucem, *cap.* 32. *lib. 2. leg. Langobard.* per corpus & ſanguinem Chriſti, apud Sigeb. *in Chronico, can.* 15. *Concilij Vvormac. can. ſæpè. 21. q. 5. apud Spartianum, in Iuliano.* per lancem, vel peluim, vt ibidem Balſamo notat. Quò etiam fortaſſe non eſſet alienum adducere quod de furto concepto olim fiebat, vt per lancem & licium res furto ablata conciperetur. Inerat olim tam in lance, quàm licio ſuperſtitio, & vtrumque incantationibus & ſortilegijs ſeruiebat: de licio notum eſt ex Ouid. 2. *Faſtor.* qui cantata licia dixit de lance, Balſamo *ad d. can. 61.* eos qui per lancem, vel peluim diuinabant, λεκανομαντας vocat. Et forſan in concipiendo furto eam ob cauſam lance vtebantur Athenienſes; ex quibus Romani hunc ritum hauſerunt, non, vt ex Feſto refertur, ne matronarum, & virginum verecundia læderetur; quaſi verò nudi perquiſitores lance contegi poſſent, cùm γυναικωνῖτιδα, id eſt, fœminarum cubiculum ingrediebantur, quæ eos etiam videre & detegere furtum impediiſſet, id quomodo fieri potuit fatetur Scaliger ſe neſcire. Cuiacius optimè, qui ait lancem non opponi oculis ſolitam, ſed in ea ferri præmium indicii, quod probat apertè, ex Suetonio, *ad l. 6. & 7. famil. erciſ.* Per codicem etiam & librum diuinatio fit *cap. 1. h. t.* Quem modum peculiarem fuiſſe Francis docent Aymoinus *lib. 2. cap. 28. & Gregor. Turon. lib. 4. cap. 16.* Mortuo

Digitized by Google

enim Clothario rege Burgūdionum, quid Chramno eius filio contingeret ſcire voluerunt, poſitis ſuper altaie tribus codicibus Prophetarum, Epiſtolarum Pauli, & Euangeliorum: vnde Balſamon in dicto *can. 61.* mentionem facit cuiuſdam Sacerdotis, qui per Euangelium ad taleam, ſeu ſurculum alligatum res occultas detegebat. Aliquando libri non aperiebantur, ſed de voce Diaconi legentis ex ſuggeſtu conſilium ſuum adſtruebant, vt idem Gregor. *lib.* 8. *cap.* 4. refert. Hos diuinandi modos improbat *can. hi qui. 26. q. 2.* licèt enim olim in Eccleſia honores & ſacerdotia ſorte darentur, vnde dicti clerici, & ſic Iudæ ſacerdotium Matthias habuit, *cap.* 1. *Actu. Apoſt.* tamen non hoc temerè & inconſultò abſque aliqua vrgente neceſſitate fieri debet: quum priuilegia ſingulorum non poſſint facere legem communem, vt ait D. Hieronymus *in cap. 1. Ionæ*, ex quo deſumpti ſunt, *can. 2. & 4. 26. q. 2.* quæ ratio eſt cur Honorius III. in electionibus ſortes adhiberi noluerit. *cap. vlt. h. t.* quod non tam merita perſonarū haberētur, quàm præmia fortunæ, cui primas tribuebāt veteres; *Fortuna ſors prima data eſt*, inquit Manilius *lib. 3.* ſimili modo quo Heliogabalus apud Lāpridiū res pretioſiſſimas cum viliſſimis in ſortem redigebat, ità vt aliquando ex inope diues aliquis exiret, *vt veræ ſortes eſſent*, inquit, *& fata tentarentur* ſors cæca eſt. Non ità in electione D. Matthiæ, contra quem oppoſitus erat Barſabas Iuſtus, etiam dignus Apoſtolatu. In quo notandum eſt, poſtquàm inſpirante gratiâ diuinâ, ſors cecidit ſuper Matthiam Apoſtolorum collegio annumeratus fuit, & ſuffragia ſingulorū addita fuerūt, ϗ συγκατεψηφίσθη, id eſt *calculis & ſuffragijs factus eſt.* ψῆφος enim, eſt calculus, quo in comitijs & conuentibus ſuffragium fertur apud Plutarch. & Polluc. *lib. 5. cap. 48.* quod dictum fuiſſe reor, ne plus fortunæ & fatis, quàm meritis tributum videretur. Quinimò & ſortis nomen non ſemper pro periculo euentus accipiendum eſt; nam & in electione D. Matthiæ pro diuino & præcipuo ſancti Spiritus munere & ſignificatione accipiendum tradit D. Dionyſius *lib. de Eccleſ. Hierarc. parte 3. cap. 5.* Vnde liber ille inſcriptus, *ſortes Apoſtolorum*, inter apocryphos repoſitus eſt à Gelaſio, *can. ſancta. 15. diſt.* cuius generis ſunt quæ dicuntur, *ſortes ſanctorum*, quas impoſtores Sanctorum fuiſſe mentiuntur, *can. aliquanti, & can. ſi quis clericus, 26. q. 5.* & eas vel ex pane, vel ex ligno, vel aliqua alia materia confingunt, *can. 4. Concilij Altiſsiodor. ſub Gregorio I. & can. 32. Concilij Aurelian. I.* Hos omnes ſi clerici ſunt, ab Eccleſia eijciendos, & vt extraneos habendos, id eſt extra communionem Eccleſiæ, iubet dictus *can. aliquanti.* Si Epiſcopi, dignitatis honoie depoſito, ſub cenſura Monaſterij perpetuam agere pœnitentiam vult Concilium Toletan. IV. *can. 28.*

Digitized by Google

28. Præter ſortes iam ſupradictas, ſunt & aliæ quæ in *cap. 2. h. t.* condemnantur, ratione motus aſtrorum, & aſtrolabij inſpectione, vt loquitur Alexander III. Mathematici quoque omnes qui ex aſtris diuinationem profitentur, damnantur à Iuſtiniano *tit. Cod. de vet. iur. enucl.* Doctrinam hanc primùm Oſtanem, & nomina ſyderibus impoſuiſſe, ac ex eorum aſpectu diuinaſſe refert Apollodorus *lib. 3. de Dijs.* Quidam Planetis ſingulis ſortem tribuerunt, qui dicuntur Planetarij, alij Zodiaco duodecim domicilia conſtituentes, ei etiam duodecim ſortes adiudicarunt, quæ omnia non dicam explere, ſed delibare non eſt noſtri inſtituti.

## *DE COLLVSIONE DETEGENDA,*

### TIT. XXII.

QVAE de colluſione hîc habentur, reliquiæ ſunt materiæ de falſo: colluſio enim nihil aliud eſt quàm ſimulata quædam conuentio & fraus inter actorem & reum contra veritatis, æquitatíſque rationem. Colludium, illudium, eludium vocant gloſſæ, metaphorâ ſumptâ à rebus ludicris, cùm quidam non iure, armíſque contendunt, ſed leuiter, & ludicrè. Virgilius ad res inanes & friuolas tranſtulit 1. *Georg.*

*Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas.* Sic inertiæ colludium dixit Symmachus *Epiſt. 86. lib. 1.* ſi etenim quis per dolum ſciens aliquid falsò allegauit, colluſio eſt; & edicta, ſiue iudicia sũt colluſoria, vel præluſoria, vt Iulianus loquitur in *l. ſi prætor. ff. de iudic.* & nullius sũt momenti *l. 1. C. ſi ex fals. inſtrum.* Aliud eſt in criminibus, quia per colluſionem teſtium & accuſatorum abſolutus iterum in iudicium de eodem facto vocari non debet, *cap. de his. ſup. de accuſat.* Crimen enim ſemel dimiſſum, iterum inſtaurari, & bis in idipſum iudicari non ſolet, *can. diuina penitentia. de penit. diſt. 4.* licèt tamen iterum inquiri ſuper nouis criminibus poſſit, *cap. vlt. infr. h. t.* atque etiam vetus quæſtio in pœnam præuaricatorum excitari, *l. 3. ff. de prauaricat. l. ſi quis homicidij. C. de accuſat.* Similiter cùm accuſatores & accuſati inter ſe gratiam faciunt, & in amicitiam redeunt, vt crimen à cognitione iudicum eximatur, *cap. 1. h. t.* vel etiam vt termini prorogentur, *ſinè licentia Curiæ, neutro ad iudicium veniente*, vt ait Fridericus in legibus Siculis, *lib. 2. tit. 15.* tunc enim tam accuſator, quàm reus in pœnam præuaricationis legibus definitam incidũt, *can. ſi quem. 2. q. 3.* quam *lex. 3. ff. de prauaricatorib.* ſtatuit quinque librarum auri, Fridericus centum Auguſtalium. Cùm verò actor gra-



Digitized by Google

tiâ deſerit litem, tunc extraordinario iudicio puniendus eſt, *l. 2. C. ad Senatuſc. Turpill.* In proſecutione beneficiorum ſi aliquis ſe vexari permittat vt litis ſopiendæ causâ & tranſactionis nomine penſionem annuam præſtet, tũc ob colluſionem vterque beneficio de quo quæſtio eſt, ſpoliandus eſt, *cap. audiuimus. h. t.* ſeruus quoque qui libertati datus eſt calliditate vel fraude, vt loquitur *cap. 2. ſup. de pactis*, id eſt, colluſione, & ità ad gradus Eccleſiaſticos peruenerit, depoſitione, ac libertatis amiſſione plectendus eſt; aut aſſertor, qui ἐλευθερόγραφος, in Baſilicis, qui eum in libertatem vindicauit, alium ſeruum domino præſtare tenetur, *cap. ſi ſeruus. 54. diſt.* & Paulus 5. *ſentent. tit. 1.* aſſertiones illas perſuaſorias vocat Suetonius in Caligula; quæ vel nullius ſunt momenti, vel tantumdem præſtari debet legibus Vuiſigoth. *lib. 2. tit. 3.* Cetera quæ de tergiuerſationibus & præuaricationibus hîc adduci poſſent, ſuperiori tit. de accuſat. expendimus.

## *DE DELICTIS PVERORVM,*

### Tit. XXIII.

SVperiorvm criminum pœnis non omnes obnoxij ſunt, præſertim hi de quibus h. t. agitur; pueris enim crimen imputari non poteſt: quum nõdum ob ætatis imbecillitatem animum peccandi habuerint, præcipuè ſeptennes qui nullum conſenſum adhibere poſſunt, *can. vnic. 3. q. 1.* Ideóque ſi puer peccet, mortuum in eo eſt peccatum, *quia legi ſubiectus non eſt*, inquit D. Hieronymus in *epiſt. ad Roman. cap. 7.* eum ad peccata formidare dicit in *epiſt. ad Galat. cap. 4.* Quapropter quod peccauit impunitum eſt, *l. quod infans. ff. de rei vind.* & inultum relinqui ſolere, ait Alexander III. in *cap. 2. h. t.* Et quod refertur ex lege XII. Tabularum in Noctibus Atticis *lib. 11. cap. 8.* pueros impuberes prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxámque ab his factam ſarciri intelligendum non eſt, de infantibus, ſed de impuberibus doli capacibus, & pubertati proximis, quos μελλεφήβους vocant Græci Interpretes, Euſtathius apud Homerum: qui licèt nondum decimumquartum annum attigerint, ad annos tamen rationales peruenerunt, vt loquitur Iuo Carnotenſis *epiſt. 134.* Quamuis enim tempus legibus definitum pubertatis nondum acceſſerit, aliquãdo tamen præcox eſt: ideóque & in anno vndecimo & duodecimo pubertatem inſtare docetur in *cap. cõtinebatur, ſup. de deſpon-*

Digitized by Google

*ſat. impub.* & furta, mendacia, periuria citiùs adoleſcunt, quæ ſeptennio expleto, ſæpiùs in peccata tranſire monet Gregorius in *cap. 1. h. t.* conſequenter caſtiganda ſunt, non quidem legibus, ſed prætoris arbitratu, vt loquuntur leges XII. Tabularum, ſinè ſtrepitu & figura iudicij, ſinè infamiæ periculo; non quæſtionibus, ſed ferulâ & habenâ, id eſt loro, ſeu ſcuticâ, vt eſt in *l. 1. §. impuberi. ff. ad Syllanian.* quæ ſunt arma Pædagogorum: Martialis vocat *ferulas triſtes, ſceptra pædagogorum lib. 10. epig. 62.* Ratione quidem damni, licèt ipſi impuberes non teneantur, tamen cum patre vel domino agi poſſe vtili cōdictione furtiua Græci exiſtimāt, ex *l. 4. 5. & 18. de cōdict. furtiua.* non verò ratione delicti. *cap. 2. h. t.*

## *DE CLERICO VENATORE,*

### Tit. XXIV.

A Delictis communiter prohibitis, ad ea deſcendit Gregorius quæ priuatim damnantur, nominatim in Clericis; cuius generis eſt venatio, quam ſemper Canones reprehenderunt, varijs de cauſis: tum quòd ſit ſpecies belli, & crudelitatem doceat & ſanguinem; vnde venatoris nomen ſumitur pro impio & crudeli; ſic Nembroth dicitur robuſtus venator, id eſt hominum oppreſſor, & tyrānus, *Geneſ. cap. 10.* Tum quòd venatio ità rapiat, & alliciat, vt obliuionem rerum omnium inducat. *Venator teneræ coniugis immemor*, apud Horatium; maximè quòd abſtrahat à cultu & obſequio diuino, *can. an putatis. 86. d.* Tum etiam quòd inter iocos ſeculares, & cauſas ſuperfluas, quæ maximè clericis vitandæ ſunt, adnumeretur, *cap. 1. ſup. ne clerici, vel monachi*; vnde & ars nequiſſima dicitur, & venatores homines nequiſſimi, *can. 8. & 9. 86. diſt.* Deinde, quia venatio ſumptus ingentes parit, ad canes, accipitreſque alendos, reliquáq; habenda, *cap. 1. h. t.* quæ in pios vſus & pauperum alimoniam eſſent conuertenda, *can. donare, & ſeq. 86. diſt.* In primis illicita eſt venatio Epiſcopis, ne ipſorum domus quæ debet eſſe hoſpitium pauperum & peregrinorum, reſonet canum potiùs latratibus, & auium ſtridoribus: *Concil. Matiſcon. II. can. 13. monſtrum eſt ibi canes, & accipitres habitare.* Hoc vitium ſæpiùs reprehenſum fuit in Epiſcopis Galliæ: Nicolaus Papa grauiter increpat Lanfredum in *can. quorumdam 34. diſt.* & P. Bleſenſis Galterum Epiſcopum Roffenſem, *epiſt. 56.* Hanc culpam obtentu neceſſitatis prætexebant, quòd negotiorum causâ reges etiam ſequi in venationibus cogerentur. Clericos quoque

venatores eſſe vetant conſtitutiones omnes ſeruos Dei, vt eſt in *cap. vlt. h. t.* in quo non de omni genere venationis, ſed tantùm de clamoſa & ſyluatica legem dictam fuiſſe docetur, quoties modeſtia & ordinis clericalis honeſtas contemnitur, vel nimiùm huic ſtudio clerici dediti ſunt, *can. Epiſcopum. 34. diſt.* non ſi quando oblectamenti; exercitationis, & confirmandæ valetudinis causâ, ſinè pompa, ſtrepitu, & ſcandalo id fiat. Cui ſententiæ hæret gloſſa in *can. qui venatoribus. ead.* & Panormitanus in hunc titulum. Horatius *lib. 1. epiſt. 18.* vocat venationem *opus vtile famæ, vitæque, & membris.* Symmachus *alacrem fatigationem & innocentis audaciæ gaudium, epiſt. 66. lib. 5.* Nec enim venatio ſecundùm ſe illicita eſt, vt quæ ſit ars naturæ congrua, & quâ vtendum eſt in feras, vt docet Ariſtoteles *primo Politicorum, cap.* 8. ἡ γὰρ θηρευτική, ᾗ δεῖ χρῆσθαι πρός τε τὰ θηρία, ὡς φύσει δικαίον τοῦτον ὄντα τὸν πόλεμον, id eſt, *Venatoria enim ars eſt, quâ vtendum eſt in feras, tanquam hoc bellum iuſtum ſit naturâ,* & *cap. 7. eod.* δίκαια θηρευτικὴ dicitur, quam & ratiocinationem & Philoſophiam docere ſcribit Ælianus *lib. 6. de hiſtor. animal. cap. 69.* & hanc ſententiam ſequitur *D. Thomas* 1. *p. q. 96. art. 2. & 2. 2. q. 64. art. 1.* Et ità venatoria ars iure communi non improbatur, nec agere aucupium crimen eſt, ait D. Hilarius, *cap. 10. in Matthæ.* Alia eſt venationis ſpecies quæ fit in theatris, & ſpectaculis, quã vocat *munus gladiatorium l. ciuitatibus, de leg. 1. & l. mortuo. §. vlt. de legat.* 2. Lampridius in Commodo. *Deteſtabilem* vocàt Theodoricus apud Caſſiodorum *lib. 5. epiſt. 42.* & omnibus tam laicis, quàm clericis interdictam eſſe vult can. *5. ſynodi VI. in Trullo.* Vulgò in vſu erat apud Gẽtiles, apud quos tamen ſæpiùs etiam odio habita; vt apud Eleos, quos Xenophontem maieſtatis reum poſtulaſſe, quòd venationem è Lacedæmonijs adduxiſſet, refert Pauſanias *in Eliacis.* Apud Chriſtianos habita fuit in pretio, præſertim in magnis vrbibus, in quibus leones, vrſi, & aliæ feræ alebantur, quibus ſtatis temporibus captiui, & rei capitis cõmittebantur, vt refert Zonaras *in dictum can. 51.* Hi dicuntur Pyrrhicarij in *l. aut damnum. §. quicumque. de pœnis.* vel qui mercede conductâ cum beſtijs depũgnabant, quæ venatio dicebatur πανκαρπός, *Nou. 105.* Nam venationem direptionis, ſeu ſyluarum non coniungo, quæ erat duplex, aliquando beſtijs populo exhibitis, aliquando per teſſeras, de quibus *Vopiſcus in Floriano*, & *Capitolinus in Gordianis.* Quæ genera venationum ſeueriùs punita fuerunt in clericis, nempe depoſitione quàm; θήραμα, cuius pœna eſt ſuſpenſio, in dicto *cap. 1. h. t.* Balſamon non malè in *can. 24. eiuſdem ſynodi, curricula, ſpectacula,* & *venationes* in duo diuidi vult; in ea quæ ſunt omninò auerſanda, & fugienda non ſolum clericis,

Digitized by Google

ſed etiam laicis ; & in ea quæ permiſſa ſunt vſu, ad quæ non ſolùm laici, ſed etiam clerici citra vllum præiudicium accedunt, vt ſunt leporum venationes, ait ipſe in dicto *can. 51.* Spectaculis illis & gladiatoriis ludis adiungi debent aleæ, & talorum ludi, *can. Epiſcopus. 35. diſt. cap. clerici. ſup. de vita & honeſt. cleric.* Quod etiam intelligendum videtur de his qui aleam profitentur, dicti aleones, κοτπσαὶ, lucri potiùs quàm oblectamenti causâ, non verò relaxandi animi gratiâ, quod licitum eſt, & proprium fuit ſemper Senibus. Tullius de ſenectute: *Nobis relinquant teſſeras, & talos.* Sidonius id vitium damnat in clericis cùm publicum eſt, & ob auaritiam, *cap. inter dilectos. inf. de exceſſ. prælat.* non propter conuiuium, vt ſentit gloſſa, *argumento leg. quod in conuiuio. ff. de aleator.* Quia tamen ludus aleæ, & talorum ad intemperiem homines allicit, vetitus omninò fuit à Iuſtiniano in *l. vlt. C. de aleatorib.* Et denique omnis ludus in quo plus fortunæ & periculi, quàm induſtriæ ſpectatur; idcircò ſcacchorum ludum eo nomine non cenſeri plures exiſtimarunt, quos tamen refellit Petrus Damiani in *Epiſt. ad Hildebrandum*, & ſacerdotibus venationem, aucupium, aleam, & ſcacchos coniunctim prohibet, reiectâ vulgi ſententiâ : cui an omninò aſſentiendum ſit meritò dubitari poteſt.

## *DE CLERICO PERCVSSORE,*

### TIT. XXV.

PErcuſſores ferarum, ſequuntur percuſſores hominum ; violentas enim manus à propoſito clericorum abeſſe debere certum eſt. Ideò verberatores, percuſſores depoſitione plectit *canon Apoſt. 27.* Non enim flagellis, & verberibus in hominum corpora inſultandum, ſed doctrinis, & admonitionibus : nonnunquam & pœnis canonicis iniurias vlciſcendas eſſe docet *can. 9. ſynodi Conſtantinop.* In quibus Balſamon legem ciuilem non admittit, quia vim vi, & arma armis populſare licet, quod in laicis tantùm, non clericis probat. Verùm canonis Apoſtolici nunquam hæc fuit mens ; imò omni iure ciuili, & canonico vim vi repellere licet, *can. ius naturale. 1. diſt. cap. 3. inf. de ſent. excommunic. Commodius eſt irato viuentem reſiſtere, quàm ſe poſt obitum vlciſcendum relinquere, tit. 4. lib. 6. legum Vuiſigothorum.* cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, vt loquitur Innocentius III. in *cap. ſignificaſti. ſup. de homicid. & l. 1. C. vnde vi.* id eſt, cum defenſione



Digitized by Google

æquabili, remotâ omni culpâ, ſtatim, & pendente iracundiâ, εὐθὺς, non ex interuallo, cùm plus vltionis eſt quàm defenſionis, vt annotauit Cuiacius *Obſer. 6. cap. 18.* Ideóque ſi quis modum exceſſerit, & nimis acriter ſe tuendo, alium vulnerauerit, vel occiderit, licèt de homicidio non teneatur, tamen pœnâ dignus eſt, & aliquo tempore ab officio ſuſpendendus, *cap. 2. h. t.* Quod & Autores iuris ciuilis agnouerunt, *l. Gracchus. C. ad l. Iul. de adulter.* Horruit ſemper ſanguinem Eccleſia; ideò Apoſtolus Epiſcopum vetat eſſe percuſſorem, id eſt, ne facilè manum porrigat ad cædendum; *ne in os alterius verberandum inſanus erumpat,* inquit D. Hieronymus *in cap. 1. ad Titum*; vbi notanda vox, *Inſanus*, quâ intemperies iracundi & inconſulti hominis denotatur, vt in dicta *leg. Gracchus* dicitur, *inconſultus dolor*, & in *l. quidquid. de reg. iur. calor iracundiæ*; quia licèt primo intuitu animum regere non poſſimus, non ideò magis cædis, aut verberum excuſatio admittenda eſt, *can. 27. Apoſtolorum. can. 3. Concilij Agathenſis* apud Burchard. *lib. 2. cap. 190.* maximè ſi quis enſe, ſecuri, vel iaculo vſus eſt, *can. 8. Epiſt. D. Baſilij ad Amphiloch.* Scio quidem hunc locum Apoſtoli, & *Epiſt. 2. ad Timoth. cap. 3.* vulgò intelligi de percuſſore qui neſcit opportunè loqui, & tacere, ſed ſermone inutili conſcientiam percutit infirmorum, vt D. Hieronymus meliùs eſſe interpretandum dicit. Percuſſor etiam dicitur qui quidem non ſuâ manu percuſſerit, ſed verberandi, vel occcidendi facultatem dederit: ne fraus fiat canoni Apoſtolico, quo tantùm percuſſores puniuntur, qui omnes depoſitione plectendi ſunt, *can. 9. ſynodi Conſtantinop. Qui percuſſit, vel curauit, vt cui mala percuteretur*, ait Vlpianus in *l. non ſolùm. §. 1. de iniuriis.* ſi verò nec percuſſor clericus fuerit, nec cædem, vel vulnus imperauerit, ſed in conflictibus & turbis arma ſumpſerit, vel lapides proiecerit, vel ictum alicui grauem, colpum, vt loquentur veteres formulæ, dederit, tunc biennij ſuſpenſio imponitur, *cap. 3. & 4. hoc tit.* vel ſeditionibus & populi tumultibus ſe miſcuerit, tunc enim ordinis gradum amittet, *cap. 248. lib. 6. Capitul.* niſi iuſtus ſit conflictus & bellum aduersùs hoſtes Chriſtianorum, non quò alios proſequatur, ſed quò ſe defendat, *can. Maximianus, & ſeq. 23. q. 3.* aut ſi propter communem vtilitatem quis latrones occiderit, & ità regionem purgauerit, vel pro pudicitia, aut pietate certauerit, mortem illam Patres ſancti non exiſtimauerunt cædem eſſe, conſultius tamen ducentes, vt aliquantulùm à communione abſtineat, adeò ſanguis horrori eſt Eccleſiæ, *can. 13. D. Baſilij*; licèt vt ſuprà dixi Balſamo ſynodaliter contrarium deciſum fuiſſe tempore Conſtantini

Digitized by Google

Chliareni dixerit, nullâ habitâ differentiâ cædis hoſtibus, vel latronibus inflictæ, vel aliis quibuſcunque, vt docet ipſe *ad can. 55. D. Baſilij.*

## *DE MALEDICIS,*

### TIT. XXVI.

PErcuſſoribus iam dictis meritò adiungendi ſunt qui linguâ alios laceſſunt: lingua gladius eſt acutus, cuius verbera non minùs feriunt: abſque gladio, aut vulnere corporis aliquo, homicida inuenitur, ait Carolus Magnus, *cap. 37. lib. 5. Capitul.* Maledicus autem eſt, qui non ſolùm ſummo Pontifici detrahit, *cap. 1. h. t.* ſed etiam Epiſcopo, *can. 55. Apoſtol.* Presbytero, vel Diacono, *can. ſeq.* Imperatori, & Principi *can. 84.* Conſuli, Magiſtratui, quem ἄρχοντα vocat dictus canon, vel ei qui in dignitate poſitus eſt, *l. atrocem. C. de iniuriis.* Hoc crimen primis temporibus fuit Maieſtatis: ſed Titus hanc quæſtionem remiſit, Dione teſte, & Xiphilino, & poſt eum Impp. Honorius, & Theodoſius in *l. vnica. C. ſi quis Imper. maledix.* Et ità ex publico factum eſt priuatum, vt de eo conqueri non poſſit, niſi qui contumeliâ, & iniuriâ affectus fuerit, *l. 5. C. de iniur.* Imperatores contumeliam ſibi irrogatam contemnere voluerunt, & μνησικακίαν damnarunt; quod & familiare Athenienſibus fuiſſe dicit Libanius in Apologia pro Demoſthene, ἐστὶν ἡμῖν τὸ μὴ μνησικακεῖν πάτριον: apud eũdem *declamat. 21.* Themiſtocles profitetur ſe non tam improbum eſſe, vt contumeliæ ſit memor, μήποτε οὕτω γενοίμην κακὸς, id eſt, *abſit vt tam improbus vnquam ſim.* ſed & noſtri Canones detractiones & contumelias nihili fecerunt, *can. Paratus. 23. q. 1.* niſi quando honor Eccleſiæ, vel Ordinis læditur, *cap. 2. h. t. in 2. compil.* vel vt repoſuit Raimundus in *cap. 1. h. t.* in depreſſionem officij, & beneficij noſtri, quando ius publicum læditur; vt ſi quis in Eccleſia, vel conuentu publico, ſacerdotibus & miniſtris diuino cultui vacantibus ὕβρεώς τι ἐπαγάγοι, id eſt, *aliquid contumeliæ intulerit*, iniuriam fecerit; ſimiliter ac ſi petulantibus conclamationibus, & vociferationibus Eccleſiæ dignitatem, & reuerentiam labefactarit, *l. 5. & vlt. C. de his qui ad Eccleſ. confug.* ſilentium enim maximè ſeruandum eſt, *cap. 173. & 192. lib. 6. Capitul.* vel Officiorum & miniſterij ſacri celebrationem turbauerit, *Nou. 123. cap. 31.* tunc enim Rector prouinciæ vltionem perſequi

Digitized by Google

debet, & capitali pœnâ reos afficere, *l. ſi quis. C. de Epiſc. & cleric. dicta Nou.* Ideò iure mercedem pollicitam fuiſſe ei qui Diagoram interficeret, ſiquidem Eleuſinia ſacra, & arcanas ceremonias ludibrio habebat, vt narratur apud Libanium *declam. 29.* Vnde & maledicta illa, ſeu contumeliæ perſonis, & locis ſacris, vel publicis facta, dicuntur ἀδικήματα ἱερὰ apud Dionem Chryſoſt. *orat. περὶ ἀπιστίας*, & apud Paulum *5. ſent. tit. 4. Conuicium*, & *Maledictum* publicè factum coniunguntur. His grauius crimen accedit, ſi quis linguam procacem effundere non contentus, calamo etiam manum adiecerit aduersùs etiam priuatam quantumlibet perſonam; quod crimen capitale fuit lege XII. Tabul. vt ex fragmentis *Tullij 4. de republ.* refertur: *ſi quis occentaſſit, condidiſsit.* Occentatur crimen, quod in deriſum, & opprobrium canitur, dicitúrque, *cantilena*, *canticum Pſalterium*, apud eundem Paulum; *Conuicium*, quaſi *Conuocium* apud Feſtum & Nonium. *Condidiſsit* verò refertur ad eum qui compoſuit, deſcripſit, publicauit, vel affixit in loco ciuitatis publico, *can. quidam. 5. q. 1.* vel foribus Eccleſiæ, *can. ſeq.* Libellum famoſum vocant Iuriſperiti, Epigramma, inſcriptionem, *l. 10. de iniur.* Gregorius in *dicto can. quidam*, *Conteſtationem*, vulgò, *conteſtationis libellum*, à verbo *Conteſtari*, quod ferè idem ſonat quod *atteſtari*, vel *antiſtari* in legibus XII. Tabul. id eſt, *notum facere*, denunciare, in memoriam reducere, ídque actis publicè habitis, vel appoſitis, quibus negotia, mores, vitia, odia, inimicitiæ, & ſimilia exponebantur ſinè vllo teſte, ſinè nomine ſæpiùs, ne criminatores, & autores detegerentur; & ità Chriſtiani ſæpè martyrium ambientes libellis ſe Chriſtianos conteſtabantur, vt ex innumeris Martyrum actis notum; aliquando iiſdem fidem abnegabant, & ſe idololatras profitebantur, apud Cyprianum *Epiſt. 68.* Plinius *lib. 10. Epiſt. 97. Propoſitus eſt libellus ſinè autore multorum nomina continens, qui negarent ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe.* Aliquando obiectis criminibus reſpondebatur per ſe, vel per alios, vt de libellis Pſeudo ſynodo Tyriæ oblatis pro D. Athanaſio à quadraginta ſeptem Epiſcopis tempore Syluestri Papæ conſtat. Eſt prætereà hic titulus de blaſphemiis contra Deum, & Virginem Mariam in *cap. 2.* Blaſphemia nihil aliud eſt, quàm maledictum; & inter maledicos & blaſphematores nulla alia eſt differentia quàm idiomatis. βλασφημεῖν, Græcis eſt *calumniari*, & alterius famam lædere, laceſſere, reprobare, & condemnare, vnde blaſphemare iudicium in legibus Longobardorum, *lib. 2. tit. 53. cap. 23.* Hoc crimen grauius contra diuinam maieſtatem, quàm temporalem, *cap. vergentis. ſup. de hæret.* Licèt enim Principes tam Eccleſiaſtici quàm ſeculares

maledicta

maledicta & probia libenter dimittant, tamē contra omnipotētis Dei gloriam prolata diligenter vindicare debent vltimo ſupplicio, *cap. 52. addit. 3. Capitular.* ſecundùm legem Dei, *cap. 24. Leuitici.* Hoc iure Gregorius pœnam Eccleſiaſticam ſtatuit, quæ ſolebat infligi hæreticis, lapſis, & iis qui maius aliquod crimen commiſiſſent, nempe vt reus zonâ ad collum appensâ, vel fune, vel ferreo vinculo, nudis humeris, & pedibus ante fores Eccleſiæ humi proſtratus ab ingredientibus virgis & flagellis cæſus veniam deprecaretur, vt *inf. tit. de penitent.* dicemus. Non tamen ſemper tam acriter agendum cum omnibus blaſphemis. Duplex enim eſt blaſphemia, vna quâ detrahitur conuiciis, vel obiurgationibus Deo, & B. Mariæ, & Sanctis eius; altera quâ nomen eorum in vanum ſumitur & iuratur. Huius pœna fuit vt lingua præcidatur, *Conſtit. Siculis lib. 3. tit. 58.* D. Ludouicus Rex Franciæ frontem, ac deinde linguam ferro candenti inuri & confodi iubebat: vt teſtatur Guillelmus de Nangis in eius vita. Philippus Auguſtus in flumen demergi aliquantulum, citra tamen mortis periculum volebat, vt refert Rigordus in eius hiſtoria; quod & noſtri Toloſates noſtris temporibus obſeruarunt, & caueâ ferreâ ad id perpetuò ſuſpenſa incluſos ter flumini immergebant. Nec leui de cauſa talis vltio in morem tranſiit, quia & mos impius iurandi præcipuè inoleuit apud Gallos, quos vix tria effari verba ſinè iuramento videmus. Innocentius III. de hoc eos obiurgat vitio, *in Epiſt. quadam ad Remenſem Archiepiſcopum lib. 16.* Regiſtri ex Collegio Fuxenſi. *Eiuſdem regni homines, quaſi ex conſuetudine generali, per diuinos pedes & manus iurare non metuunt. Verùm etiam ipſius Chriſti, & Sanctorum eius ſecretiora membra, linguâ ſacrilegâ perſcrutantes, ea non formidant intonare.* Alterum genus blaſphemiæ eſt de Dei potentia, & virtute, falſa profiteri; quod eſt grauius quàm in vanum nomen eius aſſumere, vt ait D. Auguſtinus *lib. vnico ad Conſentium.* Peius eſt blaſphemare quàm peierare, quoniam peierando falſæ rei adhibetur teſtis Deus, blaſphemando autem de ipſo falſa dicuntur. Vtrumque crimen puniendum eſt, ſed iurantis leuius, *can. ſi quis. 22. q. 1.* Ab hoc tamen Chriſtianos omnes maximè decet abſtinere, exemplo ſaltem Paganorum qui ità religioſi fuerunt, vt per Iouem iurare non auderent, ſed tantùm (non per) dicerent, μὰ τὸν, vt Suidas docet, vel μὰ τὸν Δία, non per Iouem, vt apud Platonem in Apologia: ídque adeò accuratè vt populi tumultus concitatus fuerit à Demoſthene propter iuramenta per fontes, fluuios, terram, vt ſcribit Agatharcydes apud Photium.



Digitized by Google

## DE CLERICO EXCOMMVNICATO, DEPOSITO, *vel interdicto, miniſtrante,*

### Tit. XXVII.

BLASPHEMIS, & maledicis adiungendi ſunt clerici contemptores gladij diuini, & ſpiritualis, nempe excommunicationis, depoſitionis, vel interdicti; quibus ſpretis audent ſe immiſcere miniſterio altaris à quo abſciſſi, & ſemoti ſunt, *can. 28. Apoſtolorum,* relato in *cap. 1. hoc tit.* Hos enim remouendos eſſe citra vllam ſpem reſtitutionis cenſet *canon Antiochenus 4.* de quo in *can. 6.* 11. *q.* 3. quod ius ſequitur Alexander III. in *cap. 3. hoc tit. Perpetuæ depoſitionis ſententiam incurrant,* & *cap. 4. in perpetuum ab officio ſacerdotali deponas.* Nimis arduum videtur, vt ſpes reſtitutionis adimatur à ſynodo Antiochena, quæ, tamen aliàs ritè confeſſis, & dignos penitentiæ fructus agentibus veniam pollicetur, *can. 2.* Ideò Raimundus compilator in dicto *cap. 2. hoc tit.* quod conflauit ex dicto *can. 4.* hæc verba expunxit, nec in alia ſynodo ἐλπίδα ἀποκαταστάσεως, id eſt *ſpem reſtitutionis,* neque *defenſionis locum ei habere liceat*; quæ tamen bene intellecta minùs negotij faceſſunt; dicta enim & ſancita ſunt contra eos qui à propriâ ſynodo damnati, non ad Primates ſuos, & ſuperiorem ſynodum, ſed ad alium recurrebant, cuius iuriſdictio nulla erat, & illic abſolutionem obtinebant, quod nunquam licuit præter Romanum Pontificem, *can. 3. & 4. ſynodi Sardicenſis.* licèt; in eo oblatrent Balſamo & Zonaras ad *can. 31. ſynodi Carthaginenſis.* Eos enim qui ordinem iudiciorum turbauerint, & ad iudicium peregrinum recurrerint, omni ſpe reſtitutionis priuandos cenſet eadem ſynodus Antiochena *can. 12.* qui nec vnquam abſolutionis beneficium conſequi poterunt, niſi à ſummo Pontifice, *cap. 1. de ſent. & re iudic. in 6. & cap. 1. de ſentent. excõmun. eod.* Equidẽ pendente appellatione Presbyter excõmunicatus, vel interdictus, miniſterium attingere nullo modo poteſt, quum nec in cõmunionem fidelium recipi aliquando poſſit, *cap. 1. de appel. cap. per tuas. infr. de ſent. excom.* dicto *cap. 2. h. t.* Idem eſt de eo, qui eſt καθαιρεθεὶς δικαίως, id eſt, *depoſitus iuſtè,* ſic enim Balſamo interpretatur in dicto *can. 28.* hoc vocabulum δικαίως; qui non habet appellationis remedium, qui à ſynodo perfecta depoſitus eſt. Perfectam ſynodum intelligit Conſtantinopolitanam, Græco, ſeu ſchiſmatico more;

Digitized by Google

quum non aliam quàm Romanam perfectam aſſerere poſſit, vt iam diximus ex ſynodo Sardicenſi. Nullus igitur omninò Epiſcopus, Presbyter, vel quiuis alius clericus vllam miniſterij partem attingere poteſt pendente excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto; Nec enim ſolùm à ſacrorum, incruentíque ſacrificij oblatione, ſed etiam omnibus ſacerdotij & clericatus functionibus prohibetur, vt docet Zonaras ad dictum *can. 4.* putà ordinationibus, confirmationibus, electionibus, & iuribus ſimilibus; quæ excepto baptiſmo irrita, & nullius ſunt momenti; vt de ordinationibus Ebbonis refert Frodoardus *lib. 3. hiſtor. Rhemenſ.* Niſi aliter ex indulgentia & autoritate ſummi Pontificis, propter graues cauſas viſum fuerit, *can. quod pro. 1. q. 1.* vt de ordinationibus factis ab Acacio in *can. ſecundum. 19. diſt.* Nam Athanaſium Papam rationibus maximis motum fuiſſe docet P. Damiani *in Epiſt. 16. cap. 25.* Ordinati verò ab hæreticis ante eorum damnationem faciliùs ſuſtineri poſſunt; & ſic Innocentius I. Bonoſi ordinationes confirmat epiſt. ad Martianum Epiſcopum. Regulariter verò malè ordinati, pœnâ anathematis feriuntur, & omnibus beneficiis ſpoliantur. *cap. 3. 4. & 6. h. t.* multominùs collatio talibus facta valet, *cap. poſtulaſtis h. t.* niſi præmiſsâ abſolutione, *cap. ſeq.* Quid ſi peruicaces fuerint, & contumaciter ſacris ſe immiſcere audeant? præter prædictas pœnas brachio ſeculari tradendi ſunt, *dicto cap. 2. h. t.* niſi ignorantes ſe vinculo excommunicationis teneri, celauerint, *cap. Apoſtolicæ. h. t.* Dummodò hæc ignorantia craſſa & ſupina non ſit, *cap. ſi vir. ſup. de cognat. ſpirit.* ſi enim error iuſtus, vel probabilis ſit, ſinè dubio durante ignorantiâ poterunt impunè miniſtrare. Idem etiam eſt pendente appellatione. *cap. ſolet. de ſentent. excomun. in 6.* Nec ideò pœna legibus dicta incurritur, dicto *cap. Apoſtolicæ.* Similiter dicendum eſt de eo, qui in crimen aliquod neſciens incidit, qui licèt ordinem ſuum læſerit, non tamen excommunicatus, vel depoſitus cenſetur, ſed perinde habetur, ac ſi minori excommunicatione damnatus, ob quam non ideò à participatione ſacramentorum excluditur, *can. presbyterum 28. d. cap. vlt. hoc tit.* ſed nec ab aliis facultatibus iuriſdictionis, quas nihilominùs liberè exercere poteſt, vt de electione dicitur in *cap. illa, ſup. de elect.* Aliud eſt in ſuſpenſione generali; quæ ab omnibus iuribus, etiam electionis arcet, *cap. cùm dilectus. ſup. de conſuet. cap. cùm inter. 16. ſup. de elect.* Cùm dico, ſuſpenſionem, intelligo & depoſitionem καθαίρεσιν; quia non eſt differentia verborum, quæ vim capiunt



Digitized by Google

ex modo & ratione criminis, & pœnæ. Aliquando clericus deponitur quantùm ad celebrationem tantùm ſacrificij, ſed ab Eccleſia non excluditur, *can.* 11. *&* *25. Apoſtol.* Prohibetur ſacrificare, vel offerre τῆς ἱερουργίας παυθλῶαι; reliqua ſacerdotum priuilegia ei relinquuntur, vt ſacramentorum participatio in altari, cathedræ, & τῆς κλήσεως, id eſt, vocationis honor, vt docet Balſamo ad *can. 9. ſynodi Neocaſarien.* *&* *can. 1. ſynodi Antiochena.* Honor autem vocationis is eſt, vt nomen eius ſimul cum nominibus aliorum clericorum publicè offeratur, vt ait D. Cyprianus *Epiſt.* 10. *recitetur*, ſiue, *nominetur*, vt docet *Epiſt. 66. Neque apud altare Dei*, inquit, *meretur nominari in ſacerdotum prece.* Quod & ſatìs notum eſt ex *Epiſt.* 1. Innocentij I. & in Canone Miſſæ ad hunc locum; *Memento Domine*, fieri conſueuiſſe docet Micrologus. In hoc genere ſuſpenſionis non eſt quærendum quid liceat, aut quid non liceat; quum nihil ademptum ſit præter celebrandi facultatem. Alia eſt depoſitio, quæ arcet clericum ab omnibus Eccleſiaſticis officiis, functionibus, muneribus, & honoribus, & ingerit excommunicationem; vtpotè quæ ab albo clericorum eradat, det tamen ingreſſum Eccleſiæ & communionem cum ceteris fidelibus, *can. ſi quis Epiſcopus*, *can. Teugualdum* 11. *qu. 3.* quæ communio vulgò dicebatur Peregrina, vel laica *in can. clerici. 13. q. 2. can. contumaces.* 50. *diſt.* quia tales clerici habentur numero peregrinorum, vel laicorum, quos *Jdiotas* vocat Nouella *Iuſtiniani* 6. §. 5. qui extra altare & cancellos communicare debebant, *can. 19. ſynodi Laodic.* & quorum exemplo comam nutrire, & veſtem deferre cogebantur, vt maiori pudore afficerentur; qui ſi deinde ritè penituiſſent παπαλήθεραν, id eſt, tonſuram recuperabant, καὶ σχῆμα κληρικοῦ, *&* *veſtem clerici*, inquit Balſamo *ad can. 22. ſynodi VI. in Trullo*: tum gradu, & dignitate receptis in matriculam reponebantur, dicto *can. contumaces.* Tertium genus depoſitionis illud eſt quam ſequitur ἀκοινωνησία, maxima capitis deminutio in *cap. qualiter. 24. ſup. de accuſat.* Innocentius III. in Concil. Lateranenſi *cap. 8.* cùm ſcilicet non ſolùm miniſterium omne, honores, & priuilegia Eccleſiaſtica auferuntur, ſed etiam ab omni laica, & peregrina communione arcentur, & prolixiori anathemate feriuntur delinquentes clerici, *can. hac huius. 12. q. 2.* quos ab omni prorſus fidelium ſocietate, & à Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ſemotos eſſe, ſicut laicos conſtat, vt dicemus *inf. tit. de ſentent. excom.* Hæc depoſitio morti ſimilis ferme fuit olim, ità vt etiam bonis omnibus ſpoliarentur: nam ætate etiam ipsâ Iuonis Carnot. Epiſcopi,

Digitized by Google

depoſiti, ſicut mortui, diripiebantur *epiſt. 74.* & veſtigia exſtant in *can. illud. 12. q. 2.* quod vetitum fuit Concilio Ilerdenſi & Aruernenſi. Id etiam teſtatur Vuillielmus Malmesburienſis *lib. 4. de geſt. reg. Anglor. & Nouella Conſtitutio 7. Comneni Jmperatoris.* Et hæc quidem depoſitio trahit ſecum regradationem ; nec enim regradatio eſt depoſitio, ſed conſequentia depoſitionis; quæ eſt duplex, alia iuris, altera facti: Iuridica eſt quæ fit, vel à canone, vel à Iudice priuando, ab ordinum miniſterio, honoribus, priuilegijs, & officijs, inhærens depoſitioni vel excommunicationi maiori; ſiue à canone latæ ſententiæ, ſiue à Iudice inflicta fuerit, vt dicetur inf. At regradatio quæ in facto conſiſtit, quam actualem vocant Interpretes, ſolennia requirit; nempe vt in Epiſcopis regradandis duodecim Epiſcopi interſint, in Presbyteris ſex, in Diaconis tres, in alijs clericis ſola præſentia Epiſcopi diœceſani cum clero ſufficiat, *can. ſi quis tumidus, & ſeq. 15. q. 2.* Concilio tamen Tridentino, ſi facilè non poſſint conuocari Epiſcopi, Abbates in eorum locum aduocari poterunt, qui ſi etiam commodè intereſſe nequeant, totidem perſonæ Eccleſiaſticæ dignitatibus fultæ adiungentur, *ſeſſ. 15. de reformat. cap. 5.* Formulam deſcribit Bonifacius in *cap. degradatio. de pœnis. in 6.* Similis eſt militum exautoratio, qui armis, inſignibus militaribus detractis è caſtris eijciebantur, *l. 2. §. ignominia. de his qui not. infam. l. 29. de liberal. cauſa*; & Magiſtratuum qui ablatis codicillorum inſignibus & honoribus priuati inter criminum reos & plebeios habebantur, *l. 12. C. de dignit. lib. 12. can. nullus. 11. q. 1.* Nec vnquam huiuſmodi regradati poſſunt ordines amiſſos recuperare, niſi eoſdem recipiant ab Epiſcopo à quo cùm ritè ordinati fuerant, acceperant, *can. Epiſcopus. 11. q. 3.* ità Rothaldus Sueſſionenſis Epiſcopus depoſitus ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo, receptis veſtibus, & infulis Epiſcopalibus gradui priſtino redditus, & ad ſedem propriam remiſſus & reſtitutus fuit à Nicolao I. in ſynodo ad id conuocata, vt refert Anaſtaſius in eius vita. Non ità de hæreticis qui clero adſcripti, ordines & alia inſignia adepti ſunt, qui reſtitui non dicuntur, quum nec depoſiti fuerint, vt rectè exponit Zonaras ad *can. 19. Concilij Nicæni*, ſed dicebantur eiecti; & hoc non eſt *καθαίρεσις*, ſed *ἐξώθησις*, id eſt *expulſio*, vt ait Balſamon, quia ordinum adeptio irrita & nullius planè momenti eſt. Denique depoſitionis nomen variè ſumitur, tam pro minima ſuſpenſione, & interdicto, quàm pro maiori regradatione, ac etiam pro excommunicatione. Nec id obeſt diſtinctioni, quam facit Ioannes XXII, *in Extrauag. commun. de præbend.* vt excommunicatio feratur in perſonas, interdictum in vniuerſitates; ſuſpenſio in conuentus & Capitula.



Digitized by Google

# DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

## Tit. XXVIII.

NON longè differt clericus excommunicatus à non ordinato, nec minor pœna vni quàm alteri infligenda eſt. Quiſquis enim non adeptus ſacros ordines ſacris myſterijs ſe immiſcuerit, ab Eccleſia deijciendus & excommunicandus eſt, ſinè vlla ſpe ad ordines redeundi, *cap. 1. h. t.* Nec minùs tamen qui ab huiuſmodi hominibus ſe fictè presbyteros aſſerentibus ſacramenta receperunt tuti ſunt, vt Nicolaus I. de ſupranominato Acacio proponit in reſponſionibus Bulgarorum, *cap. 14.* Rata omnia illa habentur *propter vtilitatem eorum qui apud illos egerunt*, vt loquitur Vlpianus in vulgata *l. Barbarius. de offic. Prætor.* Regulariter tamen omnia quæ falſus Sacerdos, vel Epiſcopus egit, nullius momenti habentur, vt Innocentius III. reſcripſit in Decretali, cuius partem habemus in *cap. poſtulaſti, de regular. & cap. poſtulaſti. de Judæis*: quæ quidem integra non eſt inſerta in corpore iuris, ſed legitur in *lib. 14. Regiſtri*, in quæſtione propoſita de quodam captiuo, qui ſe falſò Epiſcopum aſſerens, altaria conſecrauerat, & alia plura exercuerat, quæ ad officium Præſulatus pertinent: quæ omnia irrita eſſe iubet *canon 5. Concilij Antiocheni.* Similia ſunt de inuaſoribus ſedium Epiſcopalium in *can. 4. 5. & 18. Capitular. Caroli Caluin, ſynodo, Tullenſi. apud Saponarias*: Idémque ſtatuitur it *cap. illud. infr. de exceſſ. Prælat.* de eo qui ſibi falſò dignitatem, vel perſonatum tribuit. Imò, quod magis eſt, ſi incertum fuerit Epiſcopum eſſe qui talem ſe dicens Presbyteros ordinauerit, & alia egerit, ait Gregorius III. denuò Presbyteros eſſe conſecrandos, *in can. Presbyteris. 68. d.* Non ità eſt in baptiſmo, qui collatus à non ordinato valet: licèt enim Sacramenta non debeant niſi ab ordinatis conferri; baptiſmus tamen neceſſitate exigente, & in defectum Sacerdotis à quocumque conferri poteſt, *cap. 1. h. t. can. ad limina. 30. q. 1.* etiam ab hæretico, *can. ſi quem fortè. 24. q. 1.* dummodò baptiſmus in forma Eccleſiæ, id eſt obſeruato ritu Eccleſiaſtico præbeatur, *cap. 1. §. Sacramentum. ſup. de ſumm. Trinit.* licèt communiter non debeat dari, niſi ab ordinatis, videlicet ab Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, non verò alijs clericis, Lectoribus, Cantoribus, Ianitoribus, & reliquis minoribus ordinibus, quorum non propriè ordinatio, ſed promotio dicitur fieri, *cap. 11. lib. 3. Conſtit. Apoſtol.* ἢ μόνοις ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις

ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς τῶν διακόνων. Eſt prætereà addendum eum qui contra regulas canonicas non ordinatus Miſſam celebrauerit, vel ordines contulerit, vel alia ſimilia egerit, excommunicatione plectendum eſſe, ſinè vlla ſpe, vt vnquam ad ordines promoueatur, *cap. 1. h. t.* Quod ſi aliquis iam adeptus aliquem ordinem, non tamen ſacerdotium, ad Miſſæ ſacrificium accedere auſus fuerit, perpetuò à Presbyterij gradu excludendus eſt, & ab officio in quo iam promotus eſt biennio, vel triennio ſuſpendendus, *cap. 2. h. t.* duriorem pœnam nempe Coritarum ſtatuit conſtitutio Apoſtolica dicto loco, quâ Dathan & Abiron perierunt, *cap. 16. Numerorum.*

## *DE CLERICO PER SALTVM POMOTO,*

### TIT. XXIX.

CLERICO non bene ordinato adiungitur rectè clericus per ſaltum promotus, qui vno omiſſo ceteros ordines ſuſcepit, veluti ſi quis ſubdiaconus prætermiſſo diaconatu ſacerdotium aſſumpſerit in *cap. 1. h. t.* exemplo tyronum in *l. vlt. C. de tyronib. lib. 12. Nec enim,* inquit, *patimur quenquam celſiorem gradum obtinere; niſi cui laborum aſsiduitas ſuffragatur.* Simili modo in adipiſcendis honoribus, *l. vt gradatim ff. de muner. & honorib. & can. ſi officia. 59. diſt.* Illum autem loquendi modum primum in Concilio Sueſſonienſi temporibus Lotharij & Ludouici Imperatorum vſurpatum reperio apud Frodoardum *lib. 3.* Elegantiùs Alexander III. præproperum, vel præpoſterum curſum vocat, in *can. ſolicitudo. 52. diſt.* id eſt, inuerſo curſu & ordine ab antiquis canonibus poſito, quem προκοπὴν, id eſt *progreſſum,* vocat, *can. 10. ſynodi Sardicenſis.* Septem Ordines primitùs in Eccleſia conſtituti fuere ab Apoſtolis, Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum, Acolythorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum: tum deinde ab eorum ſucceſſoribus Anacleto, Dionyſio, & Caio, vt notum eſt ex eorum Epiſtolis: ſed an id nominatim conſtitutum olim fuerit, vt in vnoquoque gradu is miniſterium præberet, qui ad ſacerdotium promoueri vellet; an ante Caium id factum fuerit, dubitandi locus eſt, quum ipſe ſe primum autorem canat: dicit enim Apoſtolos & eorum ſucceſſores Presbyterorum & reliquorum ordinationes debitè ſtatuiſſe, ſe verò conſtituere velle, *quod illi,* inquit, *non ſtatuerunt,* vt nempe ad Ordines Eccleſiaſticos gradatim aſcendatur: *Si quis,* addit, *Epiſcopus eſſe meretur, ſit primò Oſtiarius, deinde*

Digitized by Google

*Lector, poſteà Exorciſta, inde ſacretur Acolythus, demum Subdiaconus, & poſteà Presbyter, exinde Epiſcopus*, vt ſcribit in *Epiſtola ad Felicem.* Quod confirmatum eſt poſteà Concilio Sardic. in *dicto can. 10.* vt Epiſcopus non priùs cōſtituatur, quàm Lectoris, & ceterorum minorum Ordinum, tum Diaconi, & Presbyteri miniſterium peregerit, cui implendo certum tempus erat definitum, *can. 2. & 3. 77. diſt.* Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius *ad annum 296. num. 2.* Caium huius inſtituti autorem admittere non vult, niſi quoties de promouendo aliquo in Epiſcopum agitur, cuius ego ſententiæ nolim refragari; ſed mihi dubium reſtat, cur potiùs ante Caium potuerit aliquis contemptâ Ordinum ſerie ad Epiſcopatum prouehi; minimè verò ad ſacerdotium: quum Epiſcopus numquam, etiam initio Eccleſiæ, niſi ſacerdos priùs ordinatus potuerit conſecrari; nam & Pontifex ſinè ſacerdotio eſſe non poteſt, *cap. ex litteris. de exceſſ. Prælat. Gloſſ. in can. ſolicitudo. 12. d.* Quinetiam ſatìs conſtat τὴν πρoχοτὴν diu contemptam fuiſſe, licèt valdè commendatam, non ſolùm in Epiſcopatu conſequendo, verùm etiam ſacerdotio. Ideò & Nicæna ſynodo, *can. 2.* lex Caij repetita eſt *in can. 1. 48. d.* & à Gregorio I. *can. ſeq.* quum anteà canonibus Apoſtolorum tantùm prohibitum fuiſſet repentè Neophytum ad ſacerdotium, vel Epiſcopatum progredi, *can. 80.* vnde ſequitur quòd in Neophytis improbabatur, in alijs fuiſſe admiſſum nullâ ſerie Ordinum inſpectâ, donec id Caius conſtitutionibus ſuis decreuit. Verumtamen ne hac in parte pertinaciter oppugnem tanti viri autoritatem; ſaltem aſſerere non dubitarim Caium, primum interſtitiorum ſeruandorum autorem fuiſſe, poſt quem ſimilia decreta Zozimus, Siricius, & Gelaſius ediderunt, *can. 1. 2. 3. & vlt. 77. diſt.* ſed de his fuſiùs ad titulum de temporibus ordinationum tractauimus. Ergo qui vno Ordine prætermiſſo alium obtinuerit irregularis eſt, nec miniſtrare poterit, niſi ex diſpenſatione Epiſcopi, & recepto priùs eo quem contempſerat, dicto *can. ſolicitudo.* Concilio quidem Tridentino Epiſcopi diſpenſatio non ſufficit, ſed ſummi Pontificis autoritas deſideratur, quoties promotus per ſaltum miniſtrauerit: & licèt ordo ritè collatus cenſeatur *cap. 1. h. t.* ſuſpenſio tamen infligitur. Quidam huiuſmodi Ordinum dationem nullam eſſe exiſtimarunt, quorum ſententia exploſa fuit, & characterem rectè, ritéque imprimi; præualuit iudicio Theologorum, niſi hoc ſolo caſu, cùm Ordo non baptizato confertur, quia ſinè baptiſmo, qui ianua eſt omnium ſacramentorum, nullum aliud ſacramentum vires capere poteſt, vt annotauit *gloſſ. dicto can. ſolicitudo.*

*DE*

Digitized by Google

## *DE EO QVI FVRTIVE ORDINEM SVSCEPIT*,

TIT. XXX.

IDEM ius ſtatuitur in ordinato clàm & furtim, quod per ſaltum; vtroque enim caſu miniſterium prohibetur. Furtiua dicitur ordinatio quoties fit contra canonum ſtatuta, *can. Presbyteri. 24. d.* cùm non vita, genus, patria, ætas, locus, doctrina, fides expenduntur, *can. quando. ead.* His enim contemptis res furtim, id eſt clam fieri dicitur; quemadmodum arbores furtim cædi dicuntur, hoc eſt, clàm & occultè ignorante domino in *l. 8. arbor. furt. cæſar*: & eodem ſenſu furtiuum dicitur beneficium, & Epiſcopus furtiuè ordinatus, contra conſcientiam nempe ſui Metropolitani, in *can. extra. 64. d.* Quemadmodum Metropolitanus extra conſenſum omnium ſuffraganeorum, in *can. 2. 66. d.* Imò & Epiſcopus olim conſtitui & eligi ab omnibus debuit, aut ſaltem tribus, *can. Epiſcopi. 94. d.* Conſecrari verò à Metropolitano non fuit neceſſum, ſed à tribus Epiſcopis, *can. Epiſcopum. 64. d. can. 1. Apoſtol. can. 13. ſynodi Carthagin.* & his quidem comprouincialibus, *can. comprouinciales, ead.* quæ lex accuratè & ſanctè olim ſeruata, paſſim hodiè contemnitur, niſi quantùm ad ordinationem Presbyterorum & reliquorum clericorum, qui ſi extra conſcientiam ſui Epiſcopi ab alio ſinè commendatitijs ordinentur, ab ordinibus vt furtim & clàm ſuſceptis deponendi ſunt, *can. nullum. 9. q. 2. can. 1. 2. & 3. 71. d.* licèt tamen character impreſſus maneat, & ordo ſeruetur, *can. ſicut. 68. d.* quod piè & vtiliter conſtitutum fuerat ne Epiſcopi, Presbyteri, & alij niſi ritè probati admitterentur, ſed euaneſcentibus electionibus, imminutæ etiam fuerunt ſanctæ illæ conſtitutiones, & hæ veluti telæ aranearum diſruptæ fuerunt. Furtim etiam ſuſcipi dicuntur ordines, cùm ignorante Epiſcopo plures ſimul conferuntur, non ſeruatis temporum interſtitijs, quæ ſuprà, titulo de temporum ordinationibus tetigimus. In quo defectu diſpenſare poteſt Epiſcopus, *cap. 2. 3.* niſi promotus miniſtrauerit: tunc enim diſpenſatio ſoli Papæ reſeruatur, nouo iure Concilij Tridentini; quum anteà vbique poſſet, vt reſpondet Vrbanus Papa Hugoni Lugdunenſi Archiepiſcopo, *can. Lugdunenſis. 9. q. 2.* allato exemplo D. Ioannis Chryſoſtomi, qui paſſus Epiphanium ordinare diaconos; ſed cùm Epiphanius Dioſcorum è ciuitate expellere nollet, exprobrauit illi audaciam



Digitized by Google

ſuam χειροτονεῖν ἐν ταῖς ὑπ' ἐμὲ ἐκκλησίαις ποιησάμενος, & ità coëgit illum metù perculſum decedere, vt Socrates refert *lib. 6. cap. 13.* Primates & Metropolitani hanc ſupra omnes Epiſcopos ſuæ prouinciæ facultatem aliquando ſibi arrogare voluerunt, vt de Carthaginenſi Epiſcopo refertur, *in can. 60. Concilij Carthagin.* quod tamen ſoli ſummo Pontifici deberi ſatîs, ſupérque demonſtratum eſt.

## *DE EXCESSIBVS PRÆLATORVM, ET SVBDITORVM,*

### Tit. XXXI.

A Singularibus titulis deſcendit Gregorius ad generalem, vagum, & diuerſa continentem, qui eſt de exceſſibus Prælatorum & ſubditorum, id eſt de delictis eorum qui præter iuris ordinem facultate & autoritate ſibi datâ vtuntur, & hic exceſſus propriè abuſus vocatur; licèt & pro quouis alio reatu ſumatur in *can. legum. 2. q. 1. cap. irrefragabili. ſup. de offic. ordinar. cap. clerici. & cap. quàm ſit. h. t.* Huius enim tituli materies tota ferè ſpectat ad eos qui metas iuriſdictionis vel officij tranſgrediuntur, in perniciem & grauamen ſubditorum, vel è contrà, vt concipitur titulus *in 1. compilat.* Per Prælatos hîc intelligimus non tantùm Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Archidiaconos, Archipresbyteros, Decanos, vt dicitur in *cap. 7. h. t. in 2. collect.* verùm etiam Abbates, & alios Eccleſiarum Prælatos *cap. 2. ſup. de iudic.* quibus adnumerandi ſunt omnes dignitatem & iuriſdictionem, & ius viſitationis vel procurationis habentes, vtpotè Plebani, Priores, Guardiani, & reliqui Ordinum miniſtri, ἡγούμενοι, *cap. nullus. de elect. in 6. Clement. dudum. de ſepultur.* Prohibentur ergo hi ſuâ poteſtate abuti & vltrò ſubditos grauare, imprimis Epiſcopi, quos Alexander III. iubet eſſe memores ſuæ conditionis, μὴ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύπους γινόμενοι τοῦ ποιμνίου, id eſt, *non vt dominatum obtinentes in clero, ſed gregis exemplaria exiſtentes*, vt ità ſe erga ſubditos gerant, ac filios & fratres, *cap. 1. h. t.* Epiſcopi patres ſunt, *can. quorum. 68. diſt.* Clerici eorum filij iure Eccleſiaſtico, vt loquitur Sidonius Apollin. *Epiſtola 17. lib. 7. Quem iure ſeculari Patronum, iure Eccleſiaſtico filium excolo, vt cliens, vt pater diligo & in Epiſt. 5. lib. 6. Profeſſione filij.* Epiſcopi inter ſe fratres eodem iure & profeſſione cenſentur apud eundem, *epiſt. 15. lib. 7.* imò & Presbyteros, fratres ſolent appellare præſertim Eccleſiarum Ca-

Digitized by Google

thedralium Canonicos, vt pluribus locis Iuonis Epiſtolæ demonſtrant quod ad rectitudinis ordinem pertinet, vt dicitur in *can. vlt. 94. d.* Imò & Abbates, fratres vocitaſſe Epiſcopos compertum eſt: ità Odilo Abbas, Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum vocat *Epiſtola 31. & 108.* Hæc innumeris locis probari poſſent, ſi res dubitationem reciperet. Hæc ſufficere debent Epiſcopis, ne fratres ſuos, aut filios exactionibus & oneribus grauibus diuexent, & temerè in eos ſententiam excommunicationis ferant, quæ nullius foret momenti, *cap. 5. 7. 16. & 17. h. t.* Idem ſtatuitur aduersùs alios Prælatos, Archidiaconos nominatim, qui ſuprà autoritatem ſibi conceſſam aliquid moliuntur; veluti ſi Eccleſias in ſuis Archidiaconatibus exiſtentes ſibi arrogare velint, quas alijs conferre tenentur, *cap. ad aures. h. t.* vel inconſulto Epiſcopo iure ſuo Eccleſijs vacantibus per totam diœceſim prouidere, curam animarum committere, vel alia iura exercere, vt reſcribit Alexander III. *tit. de exceſſib. prælator. parte 24.* poſt Concilium Lateran. Quemadmodum Abbates, qui finibus ſuis non contenti, manus ad ea quæ Epiſcopalis dignitatis ſunt extendunt, *cap. accedentibus. h. t.* Vel etiam ſi cùm habent ius conferendi, indigno conferant: ius enim commune obſeruari debet, *cap. inter. h. t.* nec ſe tueri poſſunt quòd Metropolitanus confirmauerit; quia ſinè aſſenſu Epiſcopi in eius diœceſi aliquid fieri non debet, *cap. ſicut. h. t.* ſola conſuetudo, vel ſpecialis conceſſio id ius tribuere poteſt, *d. cap. accedentibus, cap. auditis, ſup. de præſcript.* Hæc & ſimilia vocantur exceſſus ſubditorum erga Prælatos quæ eſt altera pars noſtri tituli. Inter exceſſus etiam numerantur vſuræ & alea, quibus maximè obnoxios clericos huius regni dicit Innocentius III. *in cap. inter. h. t.*

## *DE OPERIS NOVI NVNCIATIONE,*

### TIT. XXXII.

INTER varios exceſſus numeratur nouum opus, *καινοτομία*, id eſt, *rerum nouarum molitio*, quæ διὰ τὸ παράγγελμα, *Edictum nunciationis* ſolet impediri, vt eſt apud Harmenopulum *lib. 2. tit. 4.* Sumptus eſt hic titulus ex Iure ciuili, & principum conſtitutionibus, quibus Pontifices ſua ſtatuta fulcire vult, *Lucius III. cap. 1. h. t.* Nunciatio noui operis prohibitionem continet, ne quod nouum opus fiat, vel deſtruatur. Et eſt prohibitorium interdictum, *l. 1. §. 1. ff. h. t.* vnde



Digitized by Google

ritè operis noui nunciatio interdictum appellari poteſt, quia interdicere eſt denunciare, & prohibere, *§. 1. Inſtit. de interd.* Quod quidem datur in ſubſidium ijs qui nullo pacto ius ſuum defendere poſſunt; nec iure communi vllam habent paratam actionem in rem, quâ vicinum in ſuo ſolo ædificia parantem prohibere poſſint; neq; in perſonā, cùm nulla obligatio, vel quaſi contracta ſit, *l. actionum. ff. de obligat. & action.* Prætoris beneficium eſt, quo ſinè noua aditione, ſinè permiſſu Prætoris ius prohibendi præbet Edictum, *dicta l. 1. §. nunciatio.* Quod hoc iure tamen non eſt admittendum, ſed ſpecialis iuſſus, licentia à Iudice peti debet per libellum conuentionis, quem ὑπόμνησιν Græci vocant, *Nouella Iuſtiniani* 123. *cap. 27.* quo iure hodie in Gallia vtimur. At verò cùm quis nouum opus in alieno ſolo molitur, tunc ex edicto non datur noui operis nunciatio, cuius effectus eſt, vt prohibendo, poſſeſſorem faciat eum cui nunciatur, *l. de pupillo. §. meminiſſe. ff. eod. l. 7. §. Julianus. Quod vi aut clàm.* Imò petitur à Prætore ciuilis actio per quam prohibetur ædificans, vel fit iactus lapilli, *cap. ex parte. 30. infr. de verb. ſignif. dicto §. meminiſſe.* Ergo per nunciationis libellum impediri debet nouum opus, & quicquid ædificatum fuerit, δικαίως, εἴτε ἀδίκως *iure vel iniuria*, dirui, & auferri debet, *cap. 1. h. t.* Nec ſuffragatur ædificanti cautio de opere deſtruendo in exitu litis, quam recuſare denũcians poteſt, cui ad probandum ius ſuum tres menſes conceduntur, *cap. 3. cap. 4. h. t.* iuxta id quod ſancitum eſt in *l. 3. C. de ædific. priuat.* Poſt quos tres menſes rectè cautio adhiberi poteſt, *cap. 2. h. t.* Competit autem noui operis nunciatio pluribus de cauſis, ſed præcipuè cùm Eccleſia, vel Capella in præiudiciũ alterius Eccleſiæ conſtruitur, *dicto cap. 1. 2. & 3.* vel cùm ædificia, vel alia opera fiunt quæ oneri, dedecori, aut incommodo Eccleſiæ inſtaurantur, vt ſunt furni calcis, fornaces, coquinæ, lupanaria, lauacra, balnea, & alia quæ ab omnibus ædificijs tã priuatis quàm publicis, propter conflagrationes ad minus ſex cubitis diſtare debent, vt notat Vitruuius *lib. 6. cap. 9.* Infectores quoque, fullones, coriarij γνάφευται, ſiue ſalſamentarij, caupones, ſtabularij, & alij eiuſdem generis artifices procul ab Eccleſiis conſtitui debent; nam cùm ab ædificijs tam publicis quàm priuatis talium hominum habitacula & opificia ſecerni debeant, quia & aër fit craſſior, & ruinas minantur immunditiæ, vt ait Iuriſconſultus in *l. 1. ff. de cloacis*, & docet Harmenopulus *lib. 2. tit. 4.* multò magis ab Eccleſijs, & ſanctis, religioſiſque locis, ne quid damni vel incommodi eis irrogetur, *l. 2. ne quid in loco ſacro.* Quod ius etiam Xenodochijs, & locis alijs pijs competit, *l. omnia. C. de Epiſc. & cler.* quibus ob id interdictum prohibitorium competit, ne facies, natura, & dignitas loci

mutentur, *l. 1. §. opus. ff. hoc tit.* Sed quare lapidis iactu nunciatio fiebat olim, non abs re quæri debuit. Cuiacius in *l. 4. §. & ſi fortè. ſi ſeruitus vindic.* ait lapilli iactum ſignum eſſe litis, & prohibitionis, quemadmodum olim haſtæ iactatio erat ſignum belli, *apud Liuium & 9. Æneid.* —— — — *Iaculum intorquens immittit in hoſtes, Principium pugnæ.* Stipulæ fractio, inimicitias & fœdus ruptum deſignabat, iactus chirothecæ erat duelli indictio apud Matthæum Paridem: verior forſitan ratio adduci poſſet, deſumpta ex eo, quòd ſicut apprehendendæ poſſeſſionis nota eſt ceſpitis, vel glebæ aſſumptio, vt Gellius notat *lib. 2. cap. 17. l. 2. ff. de adquir. poſſeſſ.* ità & interuertendæ, turbandæ, vel amouendæ, ceſpitis iactura, cum ſcilicet iactatur lapis, vel gleba contra aduerſarium occupantem, vel noua parantem; ità vt nouum opus, vel ædificium turbatum & prohibitum cenſeatur iactu lapidis, id eſt, ruinâ & deſtructione. Verbum enim iacere, deijcere proijcere, ſumitur, pro deſtruere, prohibere, & demoliri apud Grammaticos: ideóque per ruinam & iactum vnius lapilli prohibitio fieri exiſtimatur, & qui vnicum lapidem ex nouo opere dimouerit, cenſetur nunciaſſe nouum opus, & iactus fit, vt liqueat quâ parte nouum opus nunciatur, & prohibetur, à quo interim ſit abſtinendum, *l. de pupillo. §. qui nunciat. ff. eod.* Et hic ritus proijciendi lapidis in Eccleſia etiam fuit obſeruatus: nam & reperio Eccleſiam B. Mariæ Dealbatæ in hac noſtra ciuitate Toloſana nouum opus nunciaſſe Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ ſancti Stephani, per iactum lapidis, eò quòd Capitulum ædificaſſet in cœmeterio iuxta ſanctum Michaëlem in ſuburbio caſtri Narbonenſis, contra ius quod dicta Eccleſia B. Mariæ prætendebat in eo cœmeterio, vt conſtat ex veteri inſtrumento, quod eſt in Archiuis dicti Capituli; quæ tamen quæſtio in gratiam ipſius Eccleſiæ ſancti Stephani deciſa fuit.

## *DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBVS Priuilegiatorum,*

### TIT. XXXIII.

DE exceſſibus Prælatorum in ſubditos, & ſubditorum in Prælatos dictum, nunc de exceſſibus eorum qui priuilegiis ſuis abutuntur. Nihil aliud eſt Priuilegium, quàm ius priuum, ſiue priuatum, vt dixit Feſtus, quod fauore ſpeciali quorundam conditum eſt, *can. priuilegia. diſt. 3.* Tullius *3. de legibus*

*& Orat. pro Sextio*: *Maiores in priuatos ferri noluerunt, id enim eſt priuilegium.* Lex enim XII. Tabularum aiebat, *Priuilegia ne irroganto,* quia ſcilicet iura non in ſingulas perſonas, ſed κοινῶς, & generaliter conſtitui debent, *l. 8. ff. de legib.* leges verò ſunt rogationes, quas populus in omnes homines, réſve ſciuit, aut iuſſit; priuilegia ità ſunt priuata, vt communia omnibus eſſe non poſſint, *can. hinc eſt. 16. q. 1.* & quæcumque non ſunt communia ſunt priuilegia, & prærogatiuæ, ſeu prærogationes, id eſt rogationes præter ordinē latæ, vt docet Aſconius *2. in Verrem*, πρωτοπραξίας, & προνομίας vocant veteres Gloſſæ: hoc iure diſpenſationes ſunt exemptiones, quæ citra iuris ordinem, & communes Eccleſiæ regulas, conceduntur, *cap. in cauſis ſup. de ſent. & re iudic. Aliud eſt ordo legitimus, aliud quod vſurpatio ad præſens tēpus fieri impellit*, inquit canon, *quod pro. 1. q. 7.* Priuilegia autem diuerſi generis ſunt, vt annotauit Cuiacius *Obſeruat. 8. lib. 15.* alia merè perſonalia, quæ perſonam non tranſgrediuntur, quæ non prædicantur de pluribus, & præſens tempus tantùm reſpiciunt, ſunt gratiæ perſonales, vt in *cap. conſtitutus. de conceſſ. præb.* Hugoni priuilegium ab Epiſcopo conceditur conferendi primam præbendam vacaturam, quia ſcilicet nec locis, ſed perſonis tribuuntur, vt de Maximo Epiſcopo refertur, cui vices ſuas Papa commiſit ſuper cunctas Siciliæ Eccleſias, *cap. mandata. ſup. de præſumpt.* Alia ſunt perſonalia indefinitè, quæ certam & definitam perſonam non habent, nec tantùm præſens, ſed futurum reſpiciunt tempus, & ad omnes eiuſdem conditionis perſonas extenduntur, & licèt contra communes iuris regulas pugnent, tamen iuris ſingularis partem faciunt, vt ſunt priuilegia clericorum, ne conueniantur coram iudice ſeculari, *cap. qualiter. de iudic.* ne eis publica penitentia imponatur, *cap. quæſitum. inf. de penitent.* Priuilegia Monachorum, ne viſitentur ab Epiſcopis, *cap. vlt. ſup. de ſtatu Monach.* Alia ſunt priuilegia realia, ſeu localia, vt quæ vni ciuitati, vel Prouinciæ conceduntur, *can. quædam. §. quod ſcripſi. 35. q. 3.* vel vni Eccleſiæ aut monaſterio, *can. hinc eſt. 16. q. 1.* Sunt prætereà priuilegia perſonalia, quæ ad vniuerſos ciues pertinent, & licèt generalia non ſint, tamen partem iuris certam, & immutabilem efficiunt, quam Ius ſingulare vocant Iuriſconſulti; veluti priuilegia mulierum pro dote, pupillorum, nauticæ pecuniæ, libertatis, de quibus omnibus ſuis titulis ſigillatim dictum eſt. Hoc loco agitur tantùm de Priuilegiis variis, inter quæ maximè agitur de exemptionibus Monachorum; quum enim iure communi omnes Eccleſiæ Monaſteria, domus religioſæ, & perſonæ iuriſdictioni Epiſcopali ſubijciantur, *can. omnes. 16. q. 1. can.*

Digitized by Google

*Abbates. 18. q. 2.* Epiſcopus caput eſt totius diœceſis quem, qui non agnoſcunt, Acephali ſunt, *can. nulla. 93. d.* nec Eccleſiæ membra dici poſſunt, qui caput non agnoſcunt Epiſcopum, maximè quum Epiſcopus ipſa Eccleſia cenſeatur, adhibito clero, ſeu Capitulo, cum quo Eccleſiam facit, *cap. cùm clerici. inf. de verb. ſignif.* & alibi tetigimus. Capituli conſilium iure Epiſcopus in his quæ ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis ſequi debet, *c. 1. ſup. de exceſſ. prælat.* Hanc poteſtatem ordinariam propter abuſum quorundam Epiſcoporum, primus D. Gregorius coërcuit, & Monachorum quieti conſuluit, collectâ ob id ſynodo, vt conſtat ex eius *Epiſtola 18. lib. 7. in can. quàm ſit. 18. q. 2.* quâ prohibet ne ampliùs de rebus, reditibus, negotiis, & electionibus Abbatum ſeſe intromittant, nec lege diœceſanâ vtantur ad exigendum Synodaticum, vel Cathedraticum, *can. cùm pro. 16. q. 1.* Procurationes, & conuiuia, *can. illud. 10. q. 3.* Non tamen tunc D. Gregorius Viſitationis, & Correctionis iura abſtulit; diu enim hæc iuriſdictio penès Epiſcopos remanſit, *cap. cùm venerabilis. ſup. de cenſib.* Imò & adhuc generaliter, iure ſcilicet communi, hæc poteſtas manet illibata, nomine quidem tenus; nam per exemptiones & priuilegia ſeparatim monaſticis Ordinibus conceſſa, tota euanuit, ità vt præter Ordinum collationem & Confeſſorum approbationem, & prædicationis licentiam ex Concilio Tridentino petendam, nihil ampliùs reſeruatum Epiſcopis fuerit, vnde fit vt Monachi ordinationes & ſtatuta ſynodalia & Epiſcopalia impunè contemnant, & nullus hodiè ſit Ordo regularis, qui non his ſe priuilegiis munitum oſtendat; de quo conqueritur D. Bernardus *Epiſtola 42.* & poſt eum Petrus Bleſenſis *Epiſtola 68.* lites enim hâc de re, & contentiones non ſinè magno ſcandalo excitari ſuo ſeculo ſolitas docet Alexander III. *in cap. 3. hoc tit.* qui ſi noſtro viueret, multò maiores quotidiè & periculoſiores ſtuperet. Præter hoc generale priuilegium quod indulſit Gregorius, ſucceſſiuè exemptionem omnimodam priuatim quibuſdam conceſſit, vt Monaſterio Caſſinenſi, cuius priuilegium exſtat in Chronicis Caſſinenſibus; cuius exemplo ſequentes ſummi Pontifices hanc gratiam ferè omnibus tribuerunt. Imò & Reges aliquando id effeciſſe certum eſt. Pipinus Rex Francorum Eccleſiam Stradenſem ab omnium poteſtatum inquietudine exemit, vt nullus cuiuſlibet potentiæ Iudex aut exactor ius haberet, vt eſt in *cap. 7. lib. 2. vitæ S. Genulphi.* Et Clodoueus conuocato Epiſcoporum Galliæ conuentu, cœnobium D. Dionyſij ab omni ſubiectione Landerici Epiſcopi Pariſienſis, & omni alio mortalium dominatu eximi curauit, teſte Aymoïno

Digitized by Google

*lib. 4.cap. 41.* ipſum Clodoueum exemiſſe dicit, quia ſcilicet eximi procurauit, vt conſtat ex integro diplomate nuper edito in Notis ad Marculfum in quo ſic dictus Landericus loquitur. *Clodouicus Francorum Rex humilitatis noſtræ extremitatem popoſcit, vt & nos, & Canonicorum noſtrorum communis fraternitas ſecuritatis, & incommutabilitatis priuilegium ederemus.* quod deinde à Zacharia Apoſtolicâ autoritate firmatum fuit, rogatu Pipini Regis, alioquin priuilegia nullius eſſent momenti, cùm ſolius ſit ſummi Pontificis ea indulgere; *can. frater. 16. q. 1. cap. ſanè. h. t.* immutare, & reformare pro re, pro perſonis, pro tempore, pro loco, vt ait Gregorius VII. *Ep. 2. lib. 6. Regiſtri.* quum enim priuilegia derogent iuri communi, eius ſolius eſt deſtruere cuius eſt condere, *cap. cùm contingat. ſup. de for. compet.* Epiſcopus etiam priuilegia aliquando indulgere poteſt, in iis nempe quæ priuatim iuris ſui ſunt, cum conſilio Capituli, *cap. quantò de iis quæ fiunt à Prælat.* Imò & laici, veluti in iis quæ ad ius regium & ciuile ſpectant, *can. generaliter. 16. q. 1.* Quæ priuilegia, vulgò præcepta regia, & dominica vocantur apud Marculfum, & Aymoinum *lib. 5. cap. 17.* & paſſim *in Capitularibus.* Quod verbum etiam vſurpatum fuit à Pontificibus; à S. Gregorio in d. diplomate, *can. pridem 18. q. 2. can. contra morem. 100. diſt.* Ergo priuilegium dat contra ius commune ſolus ſummus Pontifex; veluti decimarum, *cap. quia circa. cap. dudum. cap. vlt. h. t.* vt generalis Interdicti tempore liceat celebrare, *cap. vt priuilegia. cap. quod.* nonnullis; ne poſſit quis excommunicari, *cap. quoniam*, & quamplura alia; quæ quum ſint ſtricti iuris non poſſunt latiùs extendi, *cap. cùm Capella. h. t.* Ideò priuilegium conceſſum Monaſterio, non trahitur ad alias Capellas, licèt Monaſterij ſint membra, niſi nominatim id ſit expreſſum, *cap. ex ore. eod.* quemadmodum à perſonis Monachorum, ad familiares & famulos prærogatiua non tranſit, *cap. quod nonnullis, & cap. quidam. hoc tit.* ſtandum ſiquidem eſt verbis priuilegij, quod allegans ſemper exhibere tenetur, aliàs eo ſe tueri nullo pacto poteſt, *d. can. contra morem. 100. diſt. cap. cùm olim. h. t.* qui ſi priuilegij ſui facultate abutatur, illud amittit, *cap. tuarum, & cap. ex parte h. t. cap. in audientia. infr. de ſent. excommunicat.* Similiter ſi ei renunciauerit, *cap. ſuborta. ſup. de ſent. & re iudic. can. quàm periculoſum. 7. q. 1.* non vtendo per longum tempus, *cap. ſi de terra. & cap. accedentibus. h. tit.* Denique aliis modis priuilegium amittitur, quos facile eſt vnicuique deprehendere.

DE

## *DE PVRGATIONE CANONICA,*

### Tit. XXXIV.

DE variis criminum generibus, & quæ pœna infligenda ſit, dictum ſuperioribus titulis; ſed quia non ſemper accuſati conuinci poſſunt, vel innocentes declarari, niſi remedium iuris adhibeatur, quale eſt purgatio canonica; ideò de ea agitur h.t. Eſt igitur purgatio Canonica, Sacramentum, ſeu iurandi formula à Patribus inſtituta, quæ tantum in defectum probationis admittitur, *can. Presbyter. 2. q. 5. cap. monales*, & *cap. quoties. h. t.* nec enim in notoriis & manifeſtis admittitur, *can. cura ſit. 11. q. 3. cap. cùm dilectis. h. t.* & eſt certum tempus definitum quadraginta nempe dierum, intrà quos denunciatio fieri debet, poſt quos canonum purgatio adhibetur, *cap. vlt. h. t. in 1. compilat.* Hic modus luendi, vel diluendi crimina antiquiſſimus eſt in Eccleſia, vt in defectum probationis, reus ad purgationem per Epiſcopum diœceſanum cogeretur, *cap. 4. de offic. ordin. in 1. compilat.* In ſacerdotibus quidem improbatus, maximè ſi ſponte fieret, vt oſtendit Cornelius Papa, qui ſeculo Apoſtolorum floruit in *Ep. 2. relata in can. Sacramentum. 2. q. 5.* Sed & in monachis: ideò S. Hugonem Cluniacenſem monaſticæ religionis obtentu non iuraſſe, ſed fidem ſuam coram oculis Dei interpoſuiſſe ſcribit Lambertus in ſua hiſtoria. Baronius *anno 1077. n. 12.* Iure tamẽ communi tenentur iurare, *can. ſæpè. 2. q. 5.* Imò & quoties neceſſitas id exigit ſummi etiam Pontifices hoc examen non recuſarunt: Pelagius enim, qui fuit ante Gregorium, accuſatus quòd mortis Vigilij Papæ anteceſſoris ſui conſcius eſſet, tenens Euangelia, & Crucem Domini ſuper caput ſuum in ambonem aſcendens ſatisfecit cuncto populo, & plebi quia nullum malum peregiſſet contra Vigilium, vt ſcribit Anaſtaſius. Ex quibus apertè conſtat falli eos, qui huius moris S. Gregorium faciunt autorem. Fuit quidem varius iurandi modus iuxta ſacrorum canonum ſtatuta; nempe ſuper corpus BB. Apoſtolorum, vt eſt apud eundem Gregorium, *Ep. 23. lib. 2. can. habet. 2. q. 5. & in Ep. 18. lib. 6. apud Burchardum lib. 1. c. 96.* ſuper reliquias Martyrum, *cap. 13. in legibus Friſionum.* Hodiè frequenter purgatio fit ſuper brachium S. Antonij, & ante corpus ſancti Apollinaris in *can. qua de cauſa. 2. q. 5.* Per Crucem etiam Domini, vt ex Anaſtaſij loco citato conſtat: ſolebant enim accuſati per quadraginta duas noctes ad Crucem ſtare,



Digitized by Google

ità vt qui caderet conuictus haberetur, vt indicant veteres formulæ poſt Marculfum editæ, & *cap.125.lib.5. Capitul.* ſed hic modus canonicus non eſt; licèt enim iuramentum ſuper Crucem Domini, rectum & canonicum ſit; tamen hæc obſeruatio ſuperſtitioſa damnatur, *cap. 108. lib. 6. Capitular.* quemadmodum & illa quæ de talis Crucis ſigno obſignatis, & lanâ obuolutis ſuper altare ponẽdis refertur in legibus Friſionum, *cap.4.* Fiebat etiã purgatio per Corpus & ſanguinem Chriſti, tam in furtis, quàm in homicidiis, & aliis criminibus deprehẽdendis, *cã. ſæpe, & can. vlt. 2. q. 5.* ab hoc onere tamen exempti ſunt Epiſcopi, *can. Sacramentum, & ſeq. 2. q. 5.* Nec obeſt, quòd Gregorius VII. inſimulatus ſimoniæ ab Henrico tertio Imperatore publicè Miſſam celebrauit, & poſt ſuam ità innocentiam probauit: *Ecce Corpus Dominicum quod ſumpturus ero, in experimentum mihi hodiè fiat innocentia mea,* apud eundem Lambertum, id enim ſponte fecit. Quo ritu quidam abutentes, coniecturas & diuinationes fingebant ex comeſtione & ſumptione Corporis Chriſti: refert ſiquidem Balſamo *ad can. 61. ſynodi VI. in Trullo*, ſacerdotem quemdam accuſatum, quòd, magnâ quintâ feriâ ſanctum panem daret, vt conuinceretur reus eo iudicio, quòd non facilè ebibiſſet pretioſum ſanguinem IESV Chriſti. Communior fuit per Euangelia, & ſanctum Canonem Miſſæ, *cap. quoties. h. t. cap. laudabilem. de frigid.* Per ſanctam conſecrationem interrogari Preſbyterum iuſſit Concilium Triburienſe, *can. ſi quis presbyter. 2. q. 5.* quod eſt per Canonem Miſſæ. In his omnibus modis purgatioum adhibebatur tertia, quinta, ſeptima manus, atque etiam duodecima, in legibus Friſionum, *dicto tit.* ac quartadecima, cùm grauitas cauſæ id exigebat, *cap. inter. h. t.* vel etiam pro qualitate perſonarum, vt notant verſus allegati à gloſſa. Aliquando vnica manus ſufficiebat, quod dicitur ſuâ manu iurare *lib. 5. feudorum, in conſtitut. Friderici de pace tenenda*; eius nempe manu qui infamiâ laborabat: ſed quia facilè flagitio periurium addebatur, aliquem ad ſolius ſuæ manus purgationem non admittendum ſcribit *Iuo Ep. 206.* ſed plurimorum qui dicuntur *Compurgatores ſacramentales*; Coniuratores in legibus Alamannorum & Ripuariorum, & eiuſdem conditionis & ordinis eſſe debẽt, ſi ſit Clericus de quo quæratur; qui manu tactis Euangeliis, vel ſuper capſas Martyrum, vel ſuper altare aſſeuerent ſe credere eum qui purgatur veritatem dicere; & innocentem eſſe ab omni ſuſpicione, & diffamiâ, *cap. de teſtib. & cap. fin. h. t. cap. quoties. ſup. de teſtib. tit. 6.* in legibus Alamannorum. Eſt autem hic vſus loquendi, manu ſe purgare, pro iurare, quia manus eſt fidei ſymbolum apud Xenophontem in Cyro, & Tacitum *2. Annal. Jurauere amici*

Digitized by Google

*dextram morientis contingentes.* Vnde mentis, & conſilij noſtri eſſe miniſtra dicitur apud Libanium *declamat. 23.* τὴν γνώμην δὲ ἡ χεὶρ ὑπηρέτησεν, id eſt, *Conſilium verò cui manus ſubminiſtrabat.* Cum iuramenti fides exigitur, ſolet manus adhibitæ cautio proponi. *Anaſtaſ. in Vigilio.* Auguſtus & Auguſta cautionem manus ſuæ ei oſtendentes de Anthimo reuocando inſtituerunt. Quæ ratio fuit cur periuris manus amputari ſoleat, *cap. 1. lib. 3. Capitul.* Id licèt paſſim obſeruatum, Eccleſia in purgatione presbyterorum non admittit, propter reuerentiam Corporis Chriſti, quod per manum conficitur, vt ait *can. ſi quis presbyter. 2. q. 5.* Nec verò ſemper, & in omnibus cauſis purgatio duorum, vel plurium coniuratorum admittebatur olim, ſed in criminalibus tantùm, quod probat Iuretus ex tribus conſtitutionibus Syluestri, Felicis, & Auguſtini relatis in veteribus quibuſdam compilationibus. In ciuilibus verò ſemper vnica manus ſatisfecit. Nec quidam poteſt ſibi blandiri, qui ex *dicto cap. 33. de teſtib. & cap. vlt. de frigid.* contrarium probare nititur, qui loci meritò eius ſententiam falſi conuincunt, quum loquantur de vitio, cuius purgatio deſideratur.

## DE PVRGATIONE VVLGARI,

### Tit. XXXV.

PVRGATIONI Canonicæ opponitur vulgaris, ſic dicta quòd vulgi ſuperſtitione inuenta fuerit; quæ fit per coniecturas & diuinationes, *can. monomachiã. 2. q. 5.* quod ideò damnauit Eccleſia, quia tentatur Deus, quamuis olim in veteri Teſtamẽto, & Nouo variæ probationes eſſent receptæ per aquam feruentem, per ferrum candens, per ignem, quo ſcelus expendi, & dilui credebant; *Scelus exuritur igni,* inquit Virgilius *6. Æneid.* Feſtus vocat hoc genus purgationis, *Sufficionem*: & hæc notiſſima ſunt ex innumeris ferè locis Capitularium, Iuonis in Epiſtolis, Aymoini & aliorum. Nam & Concilio Moguntino expurgari ſeruus ſuper vomeres duodecim ardentes iubetur, *can. qui presbyterum. 17. q. 4.* & pudicitia fœminarum vulgò explorabatur per ignem: ſic enim Cunegundis caſtitatem ſuam comprobauit, ignitos vomeres nudis pedibus premens coram Henrico Imperatore marito ſuo, apud Crantzium *Metropol. 4. cap. 5.* Apud Iudæos adulterium detegi, & conuinci per examen aquæ frigidæ, & πότον ἐλέγχου id eſt *poculum*

*redargutionis* exiſtimabant ; ſacerdos enim mulieri ſuſpectæ hæc verba pronunciabat; ἔκπινε πότον ὁ τὰ κεκρυμμένα σοῦ, καὶ τὰ δηλούμενά σοι ἀπαμφιέσει καὶ ἀπογυμνώσει, id eſt, *Bibe poculum redargutionis, quod incerta, occultáque nudabit ac deteget*, ſcribit Philo Iudæus, *libr. de ſpecialib. legib.* Nec in hoc tantùm negotio, ſed in omnibus hic ritus adhibebatur, ità vt reus ad æneum mallari, id eſt, ad iudicium diceretur vocari, *tit. 55. legum Salicar.* De Caldario, quod Græci χαλκεῖον, ſæpiùs fit mentio apud Autores, quod Saxones vocabant, *Ordaleum.* De his in lucem euulgauit Sirmondus tria diplomata ad Epiſtolas Goffridi meritò obſeruanda : formam celebrandæ huius purgationis videmus in legibus Æthelſtani Regis Angliæ, *cap. 8.* & hoc iudicium nō ſemper admittebatur, putà diebus feſtiuis, & ieiuniis, *ſed quibus pax, & concordia inter Chriſtianos habeantur, & omnis diſſertatio componatur*, ait *can. 18. Concil. Aënhamenſis* in Anglia, nec ſinè miniſtro, ſiue Officiali Epiſcopi cum clericis, & ſimiliter cum iuſtitia Regis cum legalibus hominibus, vt eſt in *l. 10. legum Eccleſiaſticarum S. Eduardi Regis.* Imò quod magis notatu dignum eſt, fidem Chriſtianam his firmatam, & probatam prodigiis fuiſſe conſtat. Refert enim Crantzius *3. Metrop. cap. 34. & 42.* Poponem Epiſcopum Leſuuicenſem, miſſum ad Henricum Regem Daniæ, hoſtem Chriſtianorum, de fide concionem habuiſſe, & poſteà candens ferrum quod chirothecæ formam præferebat induiſſe, ſummo cum omnium adſtantium ſtupore, qui mox Chriſto crediderunt : ſed hæc ſæpiùs neceſſaria fuerunt, vt ſignis apertis pertinacia infidelium conuinceretur. Quia tamen vulgus in his experimentis totam fidē collocabat, & hiſce rebus plus tribuebat, quàm ſummo rerum Autori, Nicolaus Papa, & poſt eum multi alij ea improbarunt, & exerceri vetuerunt, vt ſcribit Iuo Carnotenſis *Epiſt. 74. can. conſuluiſti. 2. q. 5.* & poſt eos Innocentius III. *cap. 18. Concil. Lateran.* Quæ penitùs fuiſſe interdicta declarat Honorius in *cap. vlt. h. t.* Quibus adiungi ſermo de duellis non debet, quæ pariter prohibita fuiſſe notum eſt, & iam ſatìs de his, *titulo de Clericis pugnantibus in duello*, egimus.

## DE INIVRIIS, ET DAMNO DATO,

### TIT. XXXVI.

HIc titulus quum ſit de criminibus, debuit anteponi ſuperioribus duobus in quo agitur de iniurijs & damnis datis; & hunc ampliorem Raimūdus fecit, quàm prima compilatio, quæ concipitur tantùm de damno dato, & quidem optimè: quia iniuria non conſiſtit tantum in verbis, contumelijs, libellis famoſis, & maledictis; verùm etiam omne quod non iure geſtum eſt complectitur, ex ſententia Labeonis, qui iniuriam fieri docet re, aut verbis; re quidem, quoties manus inferuntur, *l. 1. ff. eod.* de qua h. t. quæ duplex eſt, aut enim perſonæ, aut rebus infertur, perſonæ, vt in *cap. olim. h. t.* in quo pœna ſtatuitur aduerſùs Iudicem ſecularem, qui καταγελάσας τῶν φρικτῶν τῆς ἐκκλησίας θεσμῶν τε, ϗ νόμων. Id eſt, *irridens Eccleſiæ ritus & leges*, vt eſt in *can. 3. ſynodi Conſtantinop.* Epiſcopum banniuerat, proſcripſerat, id eſt mulctâ pecuniariâ corripuerat: *Bannum* enim mulcta eſt, proſcriptio, confiſcatio, apud Hincmarum in Epiſtola ad Carolum Regem; vnde *Bannus dominicus*; *Bannus Regius*, & *Bannum adimplere, componere, & ſoluere* in legibus antiquis. Re etiam contrahitur iniuria, cùm vel loci dignitas, & prærogatiua non ſeruatur, vt ſi quis Epiſcopi domum vel Presbyteri cum armis fuerit ingreſſus; *Qui curtem armatus ingreditur*, inquiunt leges Alamannorū, *tit.* 10. *&* *11.* Iniuria grauis æſtimatur cùm fori Eccleſiaſtici præſcriptio contemnitur, *can. non placuit. 16. q.* 7. hoc ſacrilegij crimen publicè puniendum eſt, *cap.* 113. *Capitul.* Et quemadmodum Curialibus iniuria irrogata non ipſos dumtaxat tangit, *ſed ad regiæ dignitatis offenſam ſpectat*, vt loquitur Fridericus, *lib. 3. tit. 33. cap. 1. Conſtitut. Sicul.* ità & offenſa clericorum ad Chriſtum pertinet, vt eſt in *cap. 98. lib. 6. Capitular.* ideóque pœnam anathematis ſtatuit ſynodus Conſtantinopol. *can. 3. can. accuſatio. 2. q. 7.* Legibus antiquis qualiſcumque iniuria illata Epiſcopis, Presbyteris, & alijs, Vuirgildo componebatur, ſiue vulnera inflicta fuiſſent, ſiue verbera; quod redolebat ius antiquum XII. Tabularum, quo, certo pretio totum crimen exſoluebatur, donec pœna talionis ſucceſſit, ac deinde extraordinaria in iudicis arbitrio poſita, vel æſtimatione, *l. qui iniuriarum*, *& l. vlt. ff. eod.* *Paulus libr. ſentent. eod. tit.* §. *moribus.* quæ æſtimatio pro diuerſitate perſonarum fieri debet, *l. 4. C. eod.* ideóque conſtitu-



Digitized by Google

tionibus Siculis accuratè fuit obſeruatum. *Circa paſſos*, inquit, *iniuriam habeatur diſcretio perſonarum quæ iniuriam inferunt, & quæ patiuntur, ſi ſint publicæ vel priuatæ, & in quo dignitatis ſpeculo conſtitutæ, quo loco, quibus præſentibus, an in iudicio vel extra &c.* Præter rationem iniuriæ fit quoque æſtimatio damni, quod ex iniuria contigit, vt ſi quis pugno, vel lapide percuſſus fuerit operæ ei præſtabantur, quas feciſſet, ſi morbo non fuiſſet impeditus, vel quas in poſterum non poſſit habere, *l. qua actione. ff. ad leg. Aquil.* ſimiliter & impenſæ in Medicos, *cap. 1. h. t.* iuxta legem diuinam, *cap. 21. Exodi.* Et hæc iniuria rè fieri dicitur, ſimúlque in perſonam, ad illius differentiam quæ re fit, ſed non rectà in perſonam, *cap. 2. 3. 4. & 6. h. t.* vt ſi quis domum, vel aream, vel meſſem alterius incendit, vel quid aliud fregerit, ruperit, *d. cap. 6.* quod & iure ciuili proditum eſt, *ſi modò ſciens, prudénſque id commiſerit*, ait Caius in *l. qui ædes. ff. de incend. ruin. nauf.* excuſatur ignorántia, & damnum iniuriâ datum non cenſetur, niſi culpa, aut negligentia inſit, *cap. vlt. h. t.* quam diſtinctionem dilucidè affert *Paulus 5. ſentent. tit.* 3. vt qui conſultò incendium fecerint ſummo ſupplicio afficiantur, qui per incuriam dupli compendio; *ſuo tantùm conſilio*, inquiunt *leges Saxonum tit. 5.* inter conſilium, ſiue propoſitum, & incuriam hâc poſitâ differentiâ: quòd pœna voluntatis, ſit talio; vt qui ignem ſciens & volens immiſit igne comburatur; negligentiæ verò æſtimatio ſit dupli; Et hæc negligentia intelligitur, quoties aliquid omiſſum eſt, ne damnum accideret, *d. cap. vlt.* Legibus Vuiſigothorum, *qui ignem appoſuerit ſpinis, ſtipulis, & tribulis ad coquendum cibum, vel frigus arcendum, ſi ignis longiùs diffuſus alienam meſſem, domum, vineam incenderit, non duplum, ſed damnum præſtare tenetur, lib. 8. tit. 2. cap. vlt.* ſecundùm ius diuinum, quod ſequitur Gregorius in hoc titulo, quæ omnia ſatîs vnicuique peruia ſunt.

## *DE POENIS,*

## TIT. XXXVII.

TITVLVS hic generalis eſt, totam huius libri materiam reſpicit; & quum de varijs criminum generibus actum ſit, reſtat agendum de pœnis vnicuique enim delicto ſua pœna debetur, ſiue ea legitima ſit, ſiue extraordinaria, a qua non licuit iure ciuili appellare, *l. ſi qua pœna. de verbor. ſignif.* quia appellaretur à lege ipſa; ab extraordinaria verò appellatur,

quia eſt arbitraria, *cap. de priore. ſup. de appellat.* Hodiè quidem iure ciuili omnes pœnæ ſunt arbitrariæ, *l. hodiè. ff. eod.* pariter iure canonico. Licèt enim diuerſæ ſint pœnæ à canonibus inſtitutæ, quæ & ideò canonicæ dici debent; ſicut quæ à legibus proficiſcuntur legitimæ, *cap. ad reprimendam. ſup. de offic. Iudic. ordin.* non ideò tamen minùs ſunt arbitrariæ, cùm arbitrio iudicis committatur decernere regradationem, depoſitionem, ſuſpenſionem, priuationem officij, vel beneficij, excommunicationem, & ſimilia, quæ canonibus continentur, de quibus fusè gloſſa in *Clement. cupiente, de pœnis.* Hæ pœnæ canonibus definiuntur vt certæ ſint, quas iudex Eccleſiaſticus poſſit infligere, πρὸς τὸ διάφορον τοῦ ἁμαρτάνοντος, id eſt, *pro varietate delinquentis*, ait *cap. 48. Conſtit. Apoſtolic.* non ad inſtar medici imperiti, vno collyrio morbos omnes ſanantis, *can. neceſſe 29. diſt.* Et inter canonicas pœnas aliæ ſunt ſummi & ſtricti iuris, aliæ conſuetudinis, τὰ τῆς ἀκριβείας, καὶ τὰ τῆς συνηθείας, vt eſt apud D. Baſilium, *can. 3. ad Amphilochium*, & *can. vlt. ſynodi VI. in Trullo*: illæ irrogantur non reluctantibus, ſed ſponte ſuſcipientibus: ijs verò qui durioris fuerint ceruicis mitiores imponuntur: in quo miranda eſt benignitas Eccleſiæ, quæ habitâ ratione perſonarum, affectionum, vitæ, ſtudiorum, & qualitatis peccati, morbo vnicuique conuenientem affert medicinam, vt docet Balſamo *ad d. can. 3.* & filijs tantùm ſuis, nempè fidelibus Chriſtianis, pœnas canonicas imponit, non alijs qui vel è gremio matris receſſerunt vel obſtinatè perſeuerauerunt in peccato; ità vt medicamenta ſpiritalia non proſint ijs contra quos pœnis extraordinarijs eſt agendum, & alijs quàm quæ fidelibus, illis enim honor dari non debet, vt ijsdem pœnis plectantur, τούτοις γὰρ ἀκοινώνητα παντελῶς εἰσὶ τὰ τῶν πιστῶν, inquit Balſamo *ad can. 76. D. Baſilij.* Porrò extraordinariæ pœnæ duplices ſunt, aliæ dicuntur citra iuris ordinem irrogari, exemplo iuris ciuilis, quæ pendent ex arbitrio iudicantis, cùm iudex notionem ſuam adhibet, habitâ ratione perſonarum, veluti nobilium, *cap. vlt. h. t.* rerum, *cap. tua*, negotiorum & locorum, *cap. dilectus*, & *cap. conqueſti. infr. de ſent. excom.* Quæ vt dixi, quamuis ſint extraordinariæ, tamen ſunt canonicæ, quia his modum poſuerunt canones, vtpotè ne pro corrigendis exceſſibus, & puniendis criminibus mulcta pecuniaria imponatur, *cap. 2. h. t.* ſed vel ſuſpenſio, vel regradatio, vel qua alia pœna ſtatuatur, prout criminis grauitas requirit; quum non ſemper idem crimen eodem pacto ſit vindicatum, vt de homicidio ſtatuitur in *cap. ſicut dignum. ſup. de homicid.* Quoties verò ius certum eſt,

Digitized by Google

& pro ratione culpæ pœna canonibus definita eſt , tunc illud iudicium non eſt arbitrarium, ſed pœnæ legis eſt ſtandum , quæ mutari non debet, ſicut de iudice delegato ſtatuitur in *cap. de cauſis. ſupr. de offic. iud. deleg.* Exempla innumera vidimus de maledico, de percuſſore , de non ordinato miniſtrante, per ſaltum promoto, & alijs, in *cap. ad aures. de ijs qui Prælatum occiderunt* , vt beneficijs priuentur , & nunquam alia obtineant; & *cap. vlt.* vt ſubditi fidelitatem excommunicato domino non præſtent. Aliæ pœnæ extraordinariæ omninò ſunt , quæ non probantur iure canonico, ſed ab his abſtinere debet iudex Eccleſiaſticus , qualis eſt pœna ſanguinis, *cap. 5. & cap. ſententiam. ſupr. ne clerici, vel monachi* : verbera, vel flagella atrociora quibus elicitur ſanguis, vel aliquod vulnus infertur, *cap. prætereà. ſup. de cler. percuſſ. can. cùm beatus. 45. diſt.* Denique omnes capitalium pœnarum gradus, ad furcam, vel ignem damnatio, & quæ ſunt morti proxima, vt metalli coërcitio, deportatio, ludus gladiatorius, *l. aut damnum. l. capitalium. ff. eod.* pro quibus indicendis Eccleſia remittit reos ad brachium ſeculare, *cap. quum non ab homine. ſup. de iudicijs.*

## *DE PENITENTIIS, ET REMISSIONIBVS.*

### TIT. XXXVIII,

TITVLVS ſuperior eſt de varijs pœnarum generibus, hic ſpecialiter de penitentijs, quæ imponuntur duobus modis; aliquando in foro exteriori pro tribunali, cum cauſæ cognitione, quod nos forum contentioſum vocamus, *cap. tua. ſuper. tit. cap. 1. ſup. de eo qui furtiuè ord. & toto tit. inf. de ſent. excom.* Aliquando in foro interiori, in examine conſcientiæ, vt hoc tit. quo agitur de penitentijs quæ iniunguntur à Cõfeſſarijs, quæ ſtatim *cap.* 1. diſtinguũtur; aut enim crimen publicum & notoriũ eſt, aut occultũ; ſi publicũ, publicâ penitẽtiâ reparãdum: hic enim fuit veteris Eccleſiæ ordo, vt eo exemplo deterrerentur qui publicè peccare non erubeſcerent, & teſtes ſibi ſuorum ſcelerum quærerent; *Vſque adeò*, inquit D. Auguſtin. *in Enchirid. ad Laurentium, cap. 8. vt non ſolùm occultanda, verùm etiam prædicanda, ac diffamanda peccata videantur*; qui & refert ideò notoria & manifeſta crimina clamores dici *Geneſ. cap. 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt,*

τlω

τὴν κεραυγὴν vocat *Paulus 4. ad Epheſ.* Ad hæc crimina expianda rei ab ingreſſu Eccleſiæ prohibebantur, & pro ratione delicti tempus penitentiæ, καιρὸν μετανοίας, id eſt *tempus expiationis*, vt loquitur Zonaras *ad can. 2. ſynodi Laod.* eis præſcribebatur, intrà quod à conſortio fideliū & participatione ſacramentorum arcebantur, nec erant digni precibus, & ſtationibus, vt docet Chryſoſt. *in epiſt. ad Eph.* iuxta ſententiam D. Pauli; *Quicumq; participant, non ſunt in penitentia.* Extra fores igitur & ambitum Eccleſiæ ſiſtebantur, omnibus exoſi, vt nec primùm inter penitentes haberentur, ſed velut arreptitij ante locum ſubſtrationis ſtabant & dicebantur χειμαζόμενοι; id eſt, *hybernantes*; quòd procellis & aëris iniuriæ expoſiti, procul ab omni tecto orarent, vt explicat Balſamo *ad can. 17. ſynodi Ancyr.* Deinde ad locum fletus & luctus admittebantur, qui πρόσκλαυσις dicebatur, vt conſtat ex celebri Epiſtola canonica Gregorij Thaumaturgi, *can. vlt.* in qua quinque loca pœnitentibus ſtatuit, πρόσκλαυσιν, ἀκρόασιν, id eſt, *auditionem*, ὑπόπτωσιν, id eſt, *ſubiectionem*, ſeu, *ſubſtrationem*, σύστασιν, id eſt, *congregationem* fidelium conſiſtentium, & μέτεξιν τῶν ἁγιασμάτων, id eſt *participationem ſacramentorum.* Alij tamem vulgò quattuor tantùm loca ſtatuunt, Balſamo *ad can. 76.* D. Baſilij εἰς τοὺς δ᾽ τόπους. ità etiam Theodoretus in *epiſt. 77.* quia ſcilicet illa quatuor tantùm loca enumerantur, quæ penitentibus aſſignantur antequàm ad oblationis, τῆς προσφορᾶς, id eſt ſacramentorum participationē veniant, quæ facit quintum locum, vt clarè patet ex *can. 56.* D. Baſilij. In primis igitur pro foribus Eccleſiæ ſiſtebantur, *d. can. vlt. D. Gregorij, & d. can. 56.* Baſilij, comà abraſâ, vel detonsâ, *can. 11. ſynod. Agath. can. 12. ſynodi III. Toletan. cap. 52. lib. 6. Capitular.* Gregorius Turonenſis *lib. 6. cap. 28. Caput totondit, atque penitentiam accipiens ſpiritum exhalauit.* ità vt monachis ſimiles eſſent, ait Sidonius *Epiſt. 74. lib. 4.* cum veſte lugubri; *can. 5. ſynod. Ancyr.* vel nudi virgis cæderentur, vel in cinere & cilicio volutarentur; vel pectora tunderent, vel aliquo alio genere ſupplicij pœnas luerent pro iudicio Epiſcopi & cleri, & fideles in ingreſſu rogarent vt precarētur pro ipſis, *can. penitentes, & ſeq. 5. diſt.* vt de Fabiola nobili fœmina refert D. Hier. *Epiſt. 30.* Exuebantur præterea officijs, dignitatibus, honoribus, militiâ denique, & omnibus priuilegijs, imò & veſtibus honoratioribus, ſicut milites armis, *can. admonere. 33. q. 2.* nec vlteriùs ea repetere poterant, niſi iudicio Epiſcoporum, *can. falſus. de penitent. diſt. 5.* Sigebertus in Chronico; *Ludouicus Imp. à ſuis deſertus, ac proditus, & in poteſtatem filiorum reductus, Epiſcoporum iudicio arma depoſuit, & ad agendam penitentiam inclu-*

Mmm

*ſus eſt. Et Iuo epiſt. 135. Coacto rigore Eccleſiaſtico arma ei abſtulimus.* Hanc ſupradictam pœnarum varietatem latè deſcribit Ioannes Climacus *lib. de inanis vitæ fuga.* A foribus autem Eccleſiæ & loco fletus, ad ἀκρόασιν perueniebant penitentes, quæ fiebat in porticu veſtibuli, vbi diuinæ ſcripturæ eis exponebantur, qui locus dicebatur νάρθηξ, *ferula*; non quòd ibi penitentes cæderentur, aut prædictas pœnas luerent, ſed quòd præceptis & diſciplinis, ac diuinis ſcripturis imbuerentur. Licèt duo diuerſa eſſent loca auditionis, & fletus, non tamen diuerſum, ſed vnum, & idem tempus eis præſcribebatur, *can. 12. ſynod. Nicenæ, & can. 4. ſynod. Ancyr.* vt annotaui in Obſeruationibus meis. A porticu ad locum interiorem, ὑπόπτωσιν, producebantur. vbi erant Catechumeni extra ambonem; erat enim ſeparatio quâ à fidelibus Catechumeni diſtinguebantur, & in ea poſitus erat ambo, ſeu pulpitum, quo Euangelium tam ab his, quàm ab illis audiri poſſet; illícque penitẽtes ad terram proni & proſtrati tam diù manebant quamdiù Catechumeni, qui ad conſecrationem Corporis Chriſti exire ſimul iubebantur; canebat enim Subdiaconus; οἱ ἀκοινώνητοι περιπατήσατε, id eſt, *qui non communicatis deambulate*, vt eſt in reſponſis Canonicis Timothei Alexandr. quæ verba ibi Balſamon interpretatur οἱ κατηχούμενοι προέλθετε, id eſt, *Catechumeni exite*; & ſtatim egrediebantur, τότε ἐξήρχοντο, ait Zonaras ad *can. 5. ſynodi Neocæſar.* Fendente illo tempore ad penitentiam præſtituto, ait illos tres partes penitentiæ explere debere; in primis contritionem, quæ varijs cruciatibus & doloribus expendebatur; tum deinde confeſſionem coram Epiſcopo & clero; ac poſtremò exomologeſim, quæ eſt ſatisfactio; quibus peractis manus illis imponebant, vt ſemper fieri ſolitum, *d. can. penitentes.* & illud reconciliari dicebatur: quod quidem non licebat Presbyteris, *can. ſi iubet. 26. q. 6.* niſi ex præcepto & conceſſione Epiſcopi, *can. Aurelius. ead.* ſicut enim Presbyter publicam penitentiam indicere, & ab Eccleſia expellere non poterat, ità nec reconciliare, *cap. accedentibus. ſup. de exceſſib. prælat.* Id tantùm Epiſcoporum munus erat, qui etiam in communionem recepto penitente literas per parochias dirigebant, quibus hoc cunctis notum fieret, vt videre licèt in *Concil. Arauſic. I. & can. cùm aliquis. 11. q. 11.* Quibus omnibus peractis penitentes ad σύστασιν, id eſt *congregationem fidelium*, ſeu *conſiſtentiam* intromittebantur, & ſtationes communes ſimul agebant, & conſequenter ad ſacramentorum participationem recipiebantur, *can. tempora. & can. his qui. 26. q. 7.* hoc eſt quod ait D. Cyprianus, *Epiſt. 15. Per manus impoſitionem Epiſcopi & cleri ius communicationis*

Digitized by Google

*accipiant.* Formulam impoſitionis manus habemus in *Conſtitut. Apoſtol. cap.* 9. *lib.* 8. Verumtamen non ſemper per communionem illis conceſſam ad perceptionem Corporis Chriſti admittebantur; ſed ſæpiùs annum, vel plus agebant communicantes cum fidelibus in orationibus tantùm, ieiunijs, & ſtationibus publicis, κοινωνησάτωσαν χωρὶς προσφορᾶς, id eſt, *communicent ſinè oblatione*, inquit *ſynodus. Ancyr. can.* 5. & ità Zonaras communionem interpretatur, τὴν μετὰ τῶν πιστῶν στάσεως, οὐ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγιασμάτων, id eſt *ſolam conſociationem cum fidelibus*, non corporis & ſanguinis perceptionem. Quo facto, & elapſo anni tempore ad plenam communionem recipiebantur, quæ perfectionis gratia, τὸ τέλειον, dicebatur in *can.* 4. *eiuſdem ſynodi.* Ad hanc participationem ſacramentorum erat deſtinatus locus, vbi fideles accedebant omnes, extra tamen cancellos, quibus altare & ſubſellia ſacerdotum diſtinguebantur, intrà quos laici ad communionem admittebantur, *cap.* 1. *ſup. de vit. & honeſt. cleric.* Non idem fuit ſtatuendum in Presbyteris; quod in laicis; ſiquidem Presbyteris penitentibus non imponebantur manus; quibus nec publica penitentia iniungebatur, *can. confirmandum, & ſeqq. diſt.* 50. ſed ſi quando graue & capitale delictum ab his commiſſum foret, quod publicam penitentiam mereretur, ſacerdotio priuabantur, & peregrinari aliquot annos cogebantur, *can. ſi quis ſacerdos, & ſeq.* 30. *q.* 1. nec grauius ab Eccleſia puniebantur, niſi in crimine hæreſeos, & ſimoniæ, quæ eſt hæreſis, *can.* 29. & 30. *Apoſtol.* vt diſtinguit Balſ. *ad can.* 32. *D. Baſilij*; quam ego differentiam non facilè probem; innumeris enim propè locis demonſtrari poſſet ob alia facinora, alijs pœnis quàm depoſitione mulctatos Presbyteros fuiſſe; niſi id ità intelligendum ſit, Presbyteris non imponi penitentiam ſolitum fuiſſe, quandocumque non eſſent regradati, ſed depoſiti; quia depoſiti retinent characterem & ſacrum ordinem, qui quamdiu durat non eſt denuò eis manus imponenda, nec publica iniungenda penitentia, ſed tunc demum cùm regradati ſunt, & omninò à communione fidelium amoti, *can.* 1. *ſynodi Neocæſar. can. Presbyter.* 28. *diſt.* & ſic debet intelligi *cap. quæſitum. h. t.* & *can. ſi quis Presbyter.* 30. *diſt.* quibus & publicam penitentiam facere Presbyterum poſſe docetur: vbi tamen gloſſ. addit eos quidem publicè penitentiam agere, vt ex *d. can. ſi ſacerdos*, dictum eſt, ſed non ſolennem, qualem nempè alij penitentes cogebantur perficere, *d. can. in capite.* 50. *diſt.* Alterum reſtat videndum, de penitentijs criminum occultorum, in quibus non pœna canonica, vel publica, ſed priuata iniungitur pro arbitratu ſacerdotis



Digitized by Google

*cap. Deus qui, 18. h. t.* vel κτ̀ τὴν ἐπισκοπικὴν διάκρισιν, *ſecundùm Epiſcopale iudicium*, vt loquitur Balſamo *ad can. 46. Carthag.* nam frequentiùs omnes penitentes iudicium accipiebant ab Epiſcopo & Clero, intrà abſidem Eccleſiæ, vt idem Balſamo docet. Eſt autem abſis, arcus, ſeu teſtudo ſanctuarij, in cuius medio poſitum erat altare, quam diuidebant cancelli, iuxta quos confeſſiones penitentium fiebant, & Epiſcopus adſtante clero, penitentiam dabat ſinè impoſitione manus, & tunc confitentium peccata publicè recitabantur; quod Leo primus videtur ſuſtuliſſe *epiſt.* 80. *cap. 2. de quo in can. quamuis. de penitent. diſt. 1. ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta confeſsio recitetur*, quum reatus conſcientiam ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecretâ; quod tamen non ex præcepto, ſed ex plenitudine fidei fideles feciſſe docet. Alioquin omnes publicè confitentes ad publicam penitentiam ſæpiùs euocati fuiſſent propter crimina occulta, quæ confeſſione manifeſta fiebant. Qui tamen quò liberiores erant ad peccata manifeſtanda, eò mitiùs tractabantur, *can. presbyterum. 50. diſt.* Contrà, ſemper adhibitos fuiſſe ſacerdotes qui peccatorum confeſſiones audirent, & penitentiam ſtatuerent, non eſt dubitandum, qui Penitentiarij dicebantur; maximè cùm numero Chriſtianorum creſcente, auctus ità fuit confitentium numerus, vt Epiſcopus partes ſuas alijs demandare cogeretur: nam primitus ſoli Epiſcopi audiebant confeſſiones: & ideò Balſamo ad interogationem Marci Patriarchæ, an Presbyter ſecularis poſſet audire ἐξαγορεύας cum permiſſu Epiſcopi, reſpondet poſſe, & penitentium reconciliationem facere κτ̀ κέλευσιν ἐπισκοπικὴν: ſtatutum enim fuit vt in ſingulis Eccleſijs præeſſet presbyter Penitentiarius ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερος, vt ſcribit *Socrates lib. 5. cap. 19.* qui ordo ſeruatus ab initio hucuſque floruit; licèt in Orientalibus Eccleſijs aliquando fuerit amotus, *can. quidam. de penitent. diſt.* 1. maximè odio Nouatianorum, qui à confeſſione peccatorum abhorrebant, vt teſtatur D. Ambroſius, *lib. de Penit. c. 2.* Quod factum improbat idem Socrates, ac etiam Nicephorus, qui ob eiectos Presbyteros Penitentiarios diſciplinam Eccleſiaſticam emarcuiſſe, & deſciuiſſe contendunt. Ad hoc conciliũ allectũ fuiſſe Nectarium Orthodoxum Conſtantinopolitanũ Archiepiſcopũ ipſimet aſſerũt, non quidem vt ab eo derogatum fuerit canoni Eccleſiaſtico, & ſublati omnino fuerint Presbyteri Penitentiarij, ſed tantùm vnus qui tunc ſcandali anſam præbuerat. Nam & poſterioribus poſteà ſeculis confeſſiones penitentium audiri ſolitas à ſacerdotibus in Eccleſia Conſtantinopolitana conſtat; imò Nouati exemplo

Digitized by Google

contrà ſentientes damnati ſunt, vt ſcribit Balſamo *ad can. 52. Apoſtol. & in can. 6. & 7. ſynodi Carthag.* Præceptum hoc fuit ſemper vniuerſalis Eccleſiæ, quod vt exactius cuſtodiretur, Innocentius III. in Concilio generali ſtatuit vnumquemque Chriſtianum ſemel in anno confiteri debere peccata ſua, & Sacramentum Euchariſtiæ ſumere ad minus in Paſchate, *cap. omnis. h. t.* in quo, & id additur quo fraus impediatur, vt coram proprio ſacerdote, id eſt Parocho fiat exomologeſis, non coram peregrino ſinè literis, & teſtimonio, vt ſtatuit *Felix III. in Epiſt. 3. cap. vlt. & cap. 49. lib. 7. Capitular.* niſi tanta ſit neceſſitas, vt id beneficium differri non poſſit, veluti in articulo mortis, *can. ſi presbyter. 26. q. 5.* nam & valet hoc caſu confeſſio facta proximo laico, qui non eſt ſacerdos, *can. 1. de penit. diſt. 6.* quemadmodum baptiſmus, *can. ſanctum. de conſecrat. diſt. 4.* non tamen fœmina id exſequi poteſt, nedum Abbatiſſa, *cap. noua. hoc tit.* Quæſitum fuit à Marco Patriarcha Conſtantinopolitano, an præfectæ Monaſteriorũ poſſent ſubditarum monialium ratiocinia, λογισμοὺς ſuſcipere, *interrogatione 34.* Cui reſpondet Balſamo, non licere, quum nec præfectus monaſterij non ſacratus, etiam Epiſcopi permiſſu, poſſit. Ex quibus dubitem an, λογισμὸς, acccipiatur pro confeſſione, quæ Græcis eſt, ἐξαγορεία, cùm id de ratiociniis potiùs, & negotiis monaſterij intelligendum videatur, de quibus *ſup. tit. de obligat. ad ratiocinia.*

De remiſſionibus eſt altera pars huius tituli. Remiſſio nihil aliud eſt, quàm indulgentia, ſiue relaxatio pœnæ, abolitio criminis: ità ſumitur remiſſio apud Iuriſconſultos, Vlpianum *tit. de remiſſionibus.* vocatur noui operis nuntiationis abolitio, à Prætore facta, *l. 1. ff. de operis noui nunt.* hanc remiſſionem quilibet penitens pro culpis ſuis obtinet, vel à ſummo Pontifice, qui plenariam habet iuriſdictionem, vel ab Epiſcopis pro ratione temporis Concilio generali definiti, *in cap. 14. hoc tit.* non verò generaliter poſſunt Epiſcopi indulgentiam concedere, ſed tantùm limitatam (quamuis quidam contrarium ſenſerint) ſcilicet quando publicè in Eccleſia ſolennem Miſſam celebrant; vel pro ambone loquuntur facultatem reſtrictam tunc habere contendunt; in foro verò penitentiali, plenariam, vt ſenſit Innocentius IV. *in cap. pen. hoc tit.* quod non admittendum: nam in hoc foro penitentibus quidem datur venia, ſed non relaxatur pœna temporalis, iuxta ſententiam Oſtienſis, & Panormitani, & confirmatur in *cap. 1. hoc tit. in 6.* & à D. Thoma. Ità vt pœnæ relaxatio pendeat ex ſola iuriſdictione ſummi Pontificis, à quo Epiſ-

Mmm 3

Digitized by Google

copi, vel delegati definitam & circumſcriptam accipiunt, ſicut magiſtratus à Principe, qui ſolus indulgentiam pœnæ liberaliter dat, vt de deportatis, relegatis, & pœnæ ſeruis dicitur *in l. 2. 3. & 11. C. de ſententiam paſſis.* hæc pœnæ remiſſio non reſtituit famam, *l. 5 C. Theod. de indulgent. criminum. l. 2. C. de abolitione generali.* niſi nominatim id expreſſum ſit, vel reſtitutio in integrum fieri dicatur, quæ verba explicat Antoninus de ordine; & ceteris honoribus in *l. 1. C. de ſententiam paſſis.* Eſt & alia indulgentia quæ non pertinet ad hunc titulum, quando ex mera liberalitate aliquid fit, vt de decimis noualium dicitur in *cap. ex parte. ſup. de decim.* vel de ratione temporis, quod partibus ad litem proſequendam prorogatur, vt tempus non noceat, *cap. dilecto. de verb. ſig.* hæc remiſſio à quibuſdam dicitur remiſſa, à Tertulliano *4. contra Marcionem, cap.* 18. & alibi ſæpe: ſicut *Aſcenſa Domini* dicitur Aſcenſio in regulis Monachorum S. Benedicti; & *proba,* dicitur probatio in *l. 1. C. Theod. de ſtratoribus; vnus ſolidus probæ nomine poſceretur.*

## DE SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS, TIT. XXXIX.

ADDITVR pro corona totius libri, qui eſt de criminibus & pœnis, tractatus de Excommunicatione, quæ eſt durior & aſperior pœna, quâ vti poſſit Eccleſia, *can. corripiantur. 24. q. 3.* & quæ ſucceſſit in locum mortis in veteri lege reis infligi ſolitæ: *hoc nunc agit in Eccleſia excommunicatio quod agebat tunc interfectio,* ait D. Auguſtin. *q. 39. in Deuteron.* & apud Iuriſconſultos capitis deminutio maxima, quæ erat mors ciuilis, familiam, ciuitatem, & libertatem tollens, *l. 11. ff. de capite minut.* Excommunicatio etenim eſt capitis deminutio in *cap. qualiter, 24. de accuſat.* quâ quis ab Eccleſiæ communione repellitur, & morti traditur, *can. omnis. 11. q. 3. inobediens mucrone ſpiritali truncatur, & eiectus rabido dæmonum ore diſcerpitur,* inquit D. Hieronymus *Epiſt. 1. ad Heliod. can. abſit.* 11. *q. 3.* Similis erat ſtylus decretorius, quem exheredationi tribuit Seneca 1. *de clementia, cap. 14.* quo anima percutitur, *cap. ſi quis. ſup. de reb. Eccleſ. alien.* Primis ſiquidem temporibus qui Sathanæ in interitum carnis, εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς; tradebantur, ſæpiùs ſtatim à dæmonibus corripi, & torqueri palàm aduertebantur. Paulinus enim in vita D. Ambroſij quendam ab eo Sa-

Digitized by Google

thanæ traditum, eóque momento à dæmone correptum, & in partes diſcerptum fuiſſe ſcribit. Quæ excommunicatio vulgò dicta eſt Anathema Maranatha, & Catathema ἀπὸ τοῦ ἄνω τίθεσθαι, id eſt, ſurſum ponere, vel ſuſpendere, quod eſt deuouere, & deuotare, vt interpretatur D. Auguſt. *quæſt. in Numeros, lib. 4.* Quæ verba ſunt execrationis & deteſtationis, ſiue deſtinationis ad extremum exitium; deuouere enim ſumitur pro diris & imprecationibus alicui malum optare: Romani enim quos impunè occidi poſſe iudicarent, diis inferis deuouere ſolebant τοῖς καταχθονίοις κατονομάζειν dicit Dionyſ. Halicarn. *lib. 2.* quod etiam dicebant ἀνατιθέναι, id eſt, *deuouere, ſacrare*; vnde & ſacer homo dicitur ἀνάθεμα, quem populus iudicauit ob maleficium, & quem impunè quilibet occidere poteſt apud Feſtum, & apud Varronem *quiuis homo malus ac improbus, ſacer dicitur, quaſi iam dæmonibus conſecratus.* Quapropter rectè nomen anathematis congruit huic maiori excommunicationi, quæ vocatur à Deo ſeparatio, *can. certum eſt. 24. q. 3.* Quam tantùm pro grauibus criminibus inferre licet, non pro leuibus cauſis, *can. nullus. 11. q. 3.* non quidem à quolibet ſacerdote, ſed ab Epiſcopo tantùm, vnde Mucro Epiſcopi dicitur, *can. viſis. 16. q. 2.* vel à Prælato, aut Præpoſito, dicto *can. corripiantur,* vel Plebano, *cap. 3. de offic. ordin. can. nemo. 2. q. 1.* Abbas verò Monachos ſuos excommunicare poteſt, *cap. cùm in Eccleſiis, ſup. de maiorit. & obedient.* vel etiam iis, quibus ex iure ſingulari & priuilegio id conceſſum eſt, vt in *Epiſt.* Innocentij III. *137. & 147. lib. 1.* in qua Monachis S. Mariæ Virziliacenſis candelis accenſis excommunicare concedit; Hæc eſt excõmunicatio major, anathematis ſententia, quæ fit candelis accenſis, quas ſacerdotes præ manibus tenentes in concluſione extinguunt, & pedibus conculcant, *can. debent. 11. q. 3.* jure quidem communi huiuſmodi excommunicationem conceſſam tantùm fuiſſe Epiſcopis dubium non eſt, ſcilicet tam majorem, quàm minorem; licèt olim anathematis ſententiam ferre non potuerint ſinè conſcientia Archiepiſcopi, vel Metropolitani, aut cum iudicio aliorum Epiſcoporum, *can. nemo. 11. q. 3.* ideóque Synodos Prouinciales congregare moris erat bis in anno, vt illic excommunicationũ cauſæ & quæſtiones diſcuterentur, quia ſæpè pro leuibus delictis ſententiã ferebant, *can. 5. Concilij Nicæni, can. habeatur. 14. & can. 6. Synodi Antioch.* quum tamen, vt dixi, non debeat ferri niſi pro grauibus criminibus, pro quibus plectendis leges ciuiles pœnam mortis infligunt. Sed nec minorem excommunicationem ferre poteſt Epiſcopus ſolus ſinè conſilio clericorum, ſinè conſenſu Capituli, *cap. quæſiuit. ſup. de his quæ fiunt à*

Digitized by Google

*maior.part. cap.cã.debent.*11.*q.*3.ſed nec omne crimẽ graue eiuſdem anathematis pœnâ plectebatur. Anathema triplex eſt, illud ſcilicet quo à corpore Chriſti contumaces arcentur, *can. Engeltrudam.* 3. *q.* 4. id eſt, ab vnione Eccleſiæ: nam per corpus Chriſti intelligere debemus Eccleſiam, vt docet Balſamo *ad can.* 69. *Synodi Carthag. Maranatha*, verò quod eſt verbum Hebraïcum,ego exiſtimo fuiſſe grauiorem excommunicationem, vtpotè quæ nunquam reconciliationem mereri videbatur, cuius formam exprimit Clemens in *Epiſt.* 2. *ad Jacobum fratrem Domini*: *Si quis præcepta hæc non integra cuſtodierit, ſit anathema vſque ad aduentum Domini noſtri IESV Chriſti.* Sic D. Auguſtinus hoc vocabulum interpretatur *Epiſt.* 178. *Anathema* inquit, *Græco ſermone dicitur condemnatus*; Maranatha, *donec Dominus redeat.* Excommunicationi etiam maiori adiungitur Catathema, quo feriuntur qui aſſentiuntur,& ſe anathemate damnatis iungunt, τὸ συντίθεσθαι τοῖς ἀναθεματίζουσιν. Apud Græcos συντίθεσθαι dicuntur, qui inter ſe paciſcuntur, vel dolo malo ſe iungunt, *cap. ſignificauit, & cap. ſi concubinæ. hoc tit.* iuxta *Canonem* 11. *Apoſtolorum, & can.* 2. *ſynodi Antioch.* ità vt tales non poſsint abſolui ab alio,quàm ab eo qui ſententiam tulit, *cap. nuper. hoc tit.* Alij verò qui temerè, & inconſultò, vel caſu ſe ipſis iungunt, minori tantùm excommunicatione percelluntur, *cap. nuper. h. t.* Aliqui ſunt qui nec minorem incurrunt excommunicationem, veluti vxor & liberi, *cap. quod in dubiis*, & in caſu *cap. ſi verè. h. t.* Hæc autem maior excommunicatio non valet niſi lata in contumaces tribus nempe edictis, ſiue monitionibus præmiſſis, vel vna pro tribus; additis tamen quibuſdam temporum interuallis, *cap. conſtitutionem. h. t. in* 6. Debet etiam fieri ex iuſta & manifeſta cauſa, *cap. contingit, & cap. ſacro. h. tit.* & in ſcriptis, *cap.* 1. *eod. in* 6. ante appellationem verbo, vel ſcripto productam, *cap. dilecti filij. ſup. de appellat.* Non ità in minori excommunicatione, quæ omnibus modis diſtingui à ſupradicta debet; quippe quæ ab ingreſſu Eccleſiæ,& Sacramentorum participatione tantùm arcet, *cap. vlt. ſup. de cler. excommun.* Quam participationem, communionem & fraternam ſocietatem vocat Ioannes VIII. *in can. Engeltrudam.* 3. *q.* 4. & *can. quiſquis.* 17. *q.* 4. Quæ quidem non tollit iuriſdictionem, collationem, & iura ſimilia, vt Interpretes notant in dictum *cap. vlt.* & *in cap. duobus. h. t.* Denique nihil aufert præter id quod nominatim comprehenſum eſt, nempe Sacramentorum participationem & Eccleſiæ ingreſſum; cuius abſolutionem impendere quilibet ſacerdos de iure poteſt, *cap. nuper. h. tit.* niſi nominatim id reſeruatum fuerit, vel à ſummo Pontifice, vel ab

Epiſcopo

Digitized by Google

Epiſcopo, *cap. quicumque, eod. in 6.* Et hæc quidem quæ dicta ſunt intelligi debēt de excōmunicatione tam maiore, quàm minori, ſinè causâ cognitâ à iudice lata fuerit, ſolennibus iuris obſeruatis, ſiue à lege, vel canone; quoties nēpe ipſo facto, & ipſo iure excōmunicatio incurritur, vulgò canon latæ ſententiæ dicitur; verbi gratia, ſiquis clericum percuſſerit, in *cap. contigit. cap. relatum, & aliis. h. t.* quod & latè exemplis declarat gloſſa in *cap. eos. h. t. in 6.* Et hæc fertur ſinè tribus edictis, & monitionibus, *cap. reprehenſibilis. ſup. de appellat.* Non verò eſt canō latæ ſententiæ quando fertur ſub interminatione, ſeu comminatione, & verba, *ipſo facto*, vel, *ipſo iure*, abſunt, *vt cap. vnico. de bigamis. in 6.* nam tunc ſententiâ, & tribus edictis opus eſt, *cap. relatum. in fine, ſup. de Iure patronat.* vel etiam eſt canon latæ ſententiæ, etſi hæc verba *ipſo iure, ipſo facto abſint*, ſi tamen hæc ſubſint, *anathema eſto*, quę ſunt præſentis temporis, *can. 1 & 2. 24. q. 1.* Porrò excommunicationis præſertim publicæ vis eſt, vt non ſolum à communione & conſortio fidelium, & ab Eccleſia arceat, ſed etiam ab omnibus officiis, non tantùm Eccleſiaſticis, ſed etiam ciuilibus: nec enim excommunicatus eligi poteſt ad vllam dignitatem, ad Imperium, ad Pontificatum, *cap. venerabilem. ſup. de elect.* non poteſt eſſe Iudex, *cap. ad probandum de ſentent. & re iudic.* nec poteſt agere in iudicio, repellitur enim per exceptionem, *cap. prudentiam. ſup. de officio iudicis deleg.* nec accuſare, *cap. olim ſup. de accuſat.* Quapropter vt pleniùs ab omnibus commerciis arcerentur, & omnibus innoteſcerent excommunicati; ſolebat ſententia publicè promulgari, exemplo ſumpto à veteri Eccleſia, in qua excommunicatorum nomina publicè in triuiis & propyleis deſcribebantur, vt in excommunicatione Polycratis, & aliorum Epiſcoporum Aſiæ, apud Euſebium, *lib. 5. cap. 25.* vel voce Præconis, quod fecit Cornelius Papa contra Nouatum apud eundem, *lib. 6. cap. 43.* In Concilio Antioch. Paulus Samoſatenſis Epiſcopus proclamatus fuit ἀποσυνάγωγος ita Lucianus apud Theodoretum. Athenienſes olim in chartis deſcribebant eos, quos ab Areopago arcebant, hoc dicebatur ἐκπεφυλλοφορῆσαι, à tribu remotus, ἐκπεφυλλοφορημένος apud Polluc. *lib. 3. cap. 4.* Diuerſum morem refert Nicephorus *lib. 4. cap. 38.* in clero fuiſſe obſeruatum, vt diebus Dominicis clericorum omnium nominibus pro ambone à Diacono recitatis, ſegregatorum nulla fieret mentio, vt qui indigni haberentur, quorum Eccleſia mentionem faceret, & vt ſaltem eo ſilentio ab omnibus agnoſcerentur, vt refert D. Auguſtinus *Epiſt. 128.* & dixi *ſup. tit. de cleric. excomm.* & ita exoſi omnibus forent, vt etiam priuilegiati cum eis verſari non deberent, *cap. cùm plantare. ſup.*

Nnn

Digitized by Google

## DE VERBORVM SIGNIFICATIONE.

### Tit. XL.

AD exemplum Iuris Ciuilis corpus Canonicum clauditur titulis de verborum ſignificatione, & de regulis Iuris, qui pertinent ad omnes materias, & partes Iuris Canonici; nulla enim pars eſt, in qua ſæpius rerum & cauſarum quæſtio, cognitio, & intellectus ex verbis ipſis nō deſumantur. Verba inſtituta ſunt, per quæ quiſque in alterius notitiā cogitationes ſuas proferat, inquit D. Auguſtinus, *in can. is autem.* 22. *q.* 2. & feruntur ex ipſis naturæ principiis, vt ait Tullius 3. *Offic.* quæ tamen propria ſunt vnicuique arti, vel ſcientiæ: *Dialectici & Phyſici verbis vtuntur propriis: Geometræ, Muſici, Grammatici etiā more loquuntur ſuo; item ipſæ Rhetorum artes verbis in dicendo quaſi priuatis vtuntur ac ſuis*, inquit idem Tullius initio *lib.* 3. *de finibus.* Ità Canones propriam habent verborum ſignificationem, quam ex cauſis ipſis & rebus depromunt, quibus verba ſeruiunt, *cap.* 6. *h. t.* Ideò non tam proprietas, quàm ſenſus plerumque attendi debet, ne veritati præiudicium fiat, *cap.* 8. *h. t.* Exemplum præbet Pontifex in *cap. ſecundo* 41 *de appellat. ſup.* an hæc verba, *appellatione remotâ*, vni articulo appoſita, ad alios eiuſdem cauſæ articulos referri debeāt, quod ex conſilio iuris & rationis pendere dicit: eodem modo quò *in can.* 1. *Apoſtol.* χειροτονία, id eſt, *electio*, ſumitur pro χειροθεσία, quæ eſt *ordinatio*, ſiue *manus impoſitio*; & in *can.* 13. *Synodi Carthag.* vt & annotat Balſamo. Aliquando non tam ſenſus ſpectatur, quàm vſus communis loquendi: vt ſi vnus contrahentium dolum adhibeat, ſecundùm ſenſum alterius verba ſunt intelligenda, *cap. ex litteris. ſup. de ſponſalibus.* Vel ſi vterque dolum adhibeat, ſecundùm communē vſum: in *cap. ad audientiam. ſup. de decimis.* Cùm priuilegium decimarum pro laboribus indulgetur, non debent intelligi labores pro noualibus, ſed pro omni agrorum cultura: ſicut & in *cap. Tua*: nomine beneficij communiter intelliguntur præbendæ, & quæuis maiora & minora beneficia, *cap. penult. h. t.* nomine Clericorum non tantùm Canonici, ſed & omnes alij Clerici, *cap. cùm tibi. h. t.* Et ſuperiori titulo diximus, *Anathema*, quod propriè maiorem excommunicationem notat, ſumi aliquando pro minori, pro ſuſpenſione, pro interdicto; & ità anathema prout eſt maior excommunicatio dicitur

prolixius anathema, ad differentiam minoris, *can. hæc huius.* 12. *q.* 2. Aliquando verò ſecundùm veram & germanam ſignificationem verba cum effectu accipiuntur, vt de reſidentibus in Eccleſia dicitur, in *cap. relatum, ſup. de Cleric. non reſidentib.* ſæpiùs etiam idem verbũ duplicem & diuerſam habet ſignificationem; veluti *Canon,* ſignificat *penſionem, tit. de Canone frumentario vrbis Romæ:* aliàs & veriùs ſignificat regulam. Quæ omnia diſcernenda ſunt ex vi & ſerie orationis, ſecundum quæſtionem propoſitam & circumſtantias: vt *cap. cùm Clerici. eod.* per Eccleſiam intelligitur non vniuerſus Clerus, ſed Capitulum cum Epiſcopo, propter hanc verborum ſeriem; *Ero obediens Epiſcopo, & Eccleſiæ Placentinæ,* quæ ſenſum reſtringunt ad Epiſcopum & Capitulum tantùm. Non verò quilibet ſenſum dare poteſt verbis, ſed is interpretandi facultatem habet qui habet conſtituendi, ſicut Prætor qui habet poteſtatem emendandi, corrigendi, ſupplẽdi, ac etiam interpretandi iuris, §. 1. *Inſtit. de bono. poſſeſſ. l. in prætoriis, ff. de prætor. ſtipulat.* Hoc ius ad ſummum Põtificem ſpectat, *cap. inter alia. de ſent. excommunic.* vel ad eos quibus facultas ab eo conceſſa eſt, vt eſt legatus, *cap.* 1. *de poſtulat. Prælat.* ſicut etiam Iudex, *cap. cùm dilecti. ſup. de donat.* quod tamen eſt moderatè accipiendum, vt quoties interpretatio cauſam tãtùm reſpicit, de qua vertitur quæſtio inter partes, poſſit interpretationem ſuam interponere; non verò ſi interpretatio ſtatuat ius generale, *cap. final. ſupr. de conſtit.* quæ diſtinctio vulgò ab interpretibus affertur.

## *DE REGVLIS IVRIS.*

### TIT. XLI.

NVLLVM ius, vel corpus dici poteſt, quod non certis regulis & definitionibus conſtet; ideò poſtremò additur hic Titulus, quo Regulæ exponuntur, quæ non iura ſpecialia, ſed publica continent, & quæ naſcuntur ex iis quæ ſæpius fieri ſolent; ſicut ius antiquum apud Iuriſconſultos dicitur, quo iam diu populus Romanus eſt vſus. Et in hoc iure regula dicitur, quod conſtitutum eſt, & ſeruari debet ab omnibus: ſic Regulæ, ſeu Conſtitutiones generales Apoſtolorum, dicuntur Canones; & quæcumque non vni tantùm Eccleſiæ, ſed pluribus congruunt, *Commune præceptum,* vt loquuntur Iuriſconſulti, & Demoſthenes *Oratione in Ariſtogitonem* κοινὸν πρόσταγμα ᾧ πάντας προσ

τήχει πείθεσθαι, id eſt, *cui omnes obtemperare oportet. Præcepta Euangelica*, Sanctorum Patrum Decreta, *can. ſicut.* 14. *diſt.* Talia ſunt Baptiſmi & Corporis Chriſti conficiendi formulæ, *can. propriè. de conſecrat. diſt.* 4. & *can. accipite. diſt.* 2. & aliæ ſimiles Regulæ, quæ ſemper & aſſiduè conſtātes ſunt, nec vllo modo mutari poſſunt. Aliæ quæ pro neceſſitate & euentu vertuntur, & euertūtur vt in *cap.* 4. *h. t.* Qui ob ægritudinem fiegerit votum, non ideò peccare. Ideóque optimè dixit Iabolenus, omnem definitionem in iure periculoſam eſſe. Nihil autem aliud eſt definitio, quàm Canon, ſiue Regula, quàm conſtitutio: ὅρον γὰρ τὸν τύπον, καὶ τὸν κανόνα, λέγει, id eſt, *definitionis enim nomine canonem & conſtitutionem intelligit*, ait Zonaras in *can.* 19. *Synodi Neocæſariens.* ſicut Papinianus libros ſuos & Modeſtinus Definitionum dixerunt, quos Vlpianus Regularum, Paulus ſententiarum, quia & ſententia pro Regula ſumitur, *l. Iulianus. de condit. & demonſtrat.* & *l.* 8. *de liber. & poſthum. can. Apoſtolicæ.* 35. *q.* 9. & rectè dixit Iabolenus, omnem definitionem, quia nulla ferè eſt quæ deſtrui non poſſit, tum ob diuerſitatē circumſtantiarum, cum ob euentum & caſum: quod faciliùs habet locum in iure Ciuili, quàm Pontificio; ſi quidem Regulæ iuris ciuilis conditæ ſunt ab Imperatoribus, pro ratione temporum, & prout ambitio, vel auaritia, vel libido in illis dominabantur. At non ità hoc iure, in quo maxima pars Regularum, fundamentum capit ex fide Chriſtiana, quam Soſpitator noſter, ac eius Apoſtoli, & Diſcipuli nobis reliquerunt, quas ſinè ſacrilegio, ſinè hæreſi, & blaſphemia impugnare, mutare, vel contemnere non poſſumus, *can. hæ veſtræ.* 11. *diſt.* Quædam verò huiuſmodi ſunt, vt pro conſuetudine regionum, locorum, vel Eccleſiarum regantur, quæ non pugnant cum fide orthodoxa, *can. ſunt ſancta, can. nos conſuetudinem* 12. *diſt.* vt ſunt ſtatuta, & ordinationes vnius prouinciæ, vel Primatus, *can. de iis.* 12. *diſt.* Quæ licèt ſunt ius ſingulare, tamen ad ius commune trahuntur; veluti in *can.* 1. *Synodi Conſtantinop.* Monaſteriorū cura & iuriſdictio regulariter pertinet ad Epiſcopum, nec laici id ſibi arrogare poſſunt; priuilegiis tamen & indultis contrariū fieri videmus, vt dixi *tit. de priuilegiis.* Ita quoque Decimæ quæ ſunt iuris diuini, & tantùm debentur perſonis Eccleſiaſticis; tamen & à laicis poſſideri iam etiam diximus. Et hæc ſufficiant ad explanationem huius libri.

# FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

# RERVM, ET VERBORVM,

## QVÆ IN HIS PARATITLIS CONTINENTVR INDEX LOCVPLETISSIMVS, SERIE ALPHABETICA DIGESTVS.

*Numerus Paginam indicat.*

## A


ABbas an Ordines ſacros conferat, pag. 50.
Abbates, cur minores Ordines conferant ſuis, & quod ius debeant habere, 45.
Abbatis tranſlatio, 31.
Abdicatio Officialium propriè, 37.
Abiuratio regni, 303.
Abortio, 396.
Abraſio, 169.
Abſens, an vices dare alteri poſſit, 200.
Abiens ſtudiorum cauſa, 179.
Abſentes ab Eccleſia qui ſint, 179.
Abſentium ratihabitio in electionibus, 26.
Abſis, teſtudo Sanctuarij, 460.
Academia Bononienſis à quo fundata fuit, 212.
Acceptatio electionis, 27.
Acceptilatio, 222.
Accerſoriæ litteræ, 14.
Ἀκυροσία, quid ſit, 117.
Accuſatio contractus, 365.
Accuſatio eſt actio, ibid.
Accuſatio & inſcriptio in criminalibus iuramentum calumniæ, 12..
Accuſatores Magiſtratuum, 370.
Accuſatorum temeritas, 370.
Accuſatorum examinatio in ſcrutinio, 4.
Acta Martyrum, 324.
Actio quaſi capio, 150.
Actio ſuprema, 366.
Actionis editio, ibid.
Actio reciproca, miſta ſiue duplex, quæ, 117.
Actio criminalis debet prius expediri, quã ciuilis, 126.
Actio negatoria, 137.
Actio ex ſponſione, 300.
Actio publiciana & fictitia traditio, 146.
Actio trahit exceptionem non è contrario, 152.
Actio reconuentione retunditur, 117.
Actio venditi, 209.
Actionum perſonalium; & realium differentia, 133.
Actor contumax, 120.
Actor Dominicus, 64.
Actor forum rei ſequi debet, niſi res ſit Eccleſiaſtica, 113.
Actor in libello actionis nomen exprimere non tenetur, 111.
Actor, vel Syndicus, 158.
Actor ante inſcriptionẽ libelli deſiſtere poteſt, 116.
Actori incumbit probatio, 137.
Actoris partes ſuſtinet qui ad iudicium prouocauit, 138.
Actus primus corporis, 395.
Adiectus, iactiuus & admallatus, quis ſit, 133.
Adminiſtratio vim poſſeſſionis habet, 28.
Adoptio & arrogatio quomodo fiebat, 337.
Adoptione & arrogatione acquiruntur filij, 337.
Adoptio per teſtamentum, 338.
Adoptio per tegumentum pallij, aut veſtis, ibid.
Adoptio apud Francos per comam, & capillos, 337.
Adoptio ſpiritalis vocata, quod fieret per capillos, ibi.
Adſcriptitius colonus, 35.
Adſeſſor, 82. & 196.
Adſeſſores aduocati qui, 97.
Adſumentes qui ſint, 193.
Adultera adultero non poteſt nubere, 326.
Adulterij pœna, 405.
Adulterij accuſatio, 327. & 353.
Adulterij fœminæ tantùm accuſatæ, 407.
Adulteri & ſtupri differentia, 405.
Adulterij æqualitas in mare & fœmina, 407.
Adulteris in Africa denegata penitentia, 406.
Adulterium cauſa repudij, 356.
Adulterium purgatum penitentia, 327.
Adulterium inter maiora crimina numerandũ, 405.
Aduocare eſt, defendere, 98.
Aduocati defenſores, ibid.
Aduocati nomen, reges accipiunt, ibid.
Aduocati Clerici in cauſa propria, vel Eccleſiæ, vel pauperum, ibid.
Aduocati Eccleſiarum, 38. & 264.
Aduocati, & alij Clero annumerati promouebantur, non ordinabantur, 264.
Aduocatis debetur ſalarium, ſeu honorarium, 102.
Aduocatorum olim numerus certus, 98.


Digitized by Google

# INDEX ALPHABETICVS.


Ædicula quid apud Paulum, 261.
Æditiale ius, 269.
Aegritudine laborans, 179.
Aegrotans Clericus, 186.
Aequitas ficta & ſimulata,eſt duplex iniquitas,108.
Aeris nomen ad omne debitum, & omnem actionem extenditur, 136.
Aetas legitima. 52.
Aetas pubertatis, 315.
Aetas ad partum, ibid.
Aetas imperfecta & prouecta, 282.
Aetas Senatorum, 52.
Aetas Presbyterarum 50. Diaconiſſarum, & viduarum diaconiſſarum, ibid.
Aetas Canonicorum, 52.
Aetas ordinandorum, ibid.
Aethiopes, 381.
Affinitas, 342.
Affinitas ex deſponſatione, 313.
Affinitatis triplex genus, 343.
Ἀγαπῆται, 172.
Agareni vnde, 381.
Agere, pro accuſare, 365.
Agnatio, 340.
Ἀγορὰ forum Eccleſiaſticum, 213.
Agri aſſignati à victoribus, 215.
Agricolæ conſeruus, 62.
Alberga, 268.
Albigenſium ſecta, 4.
Alea, 429.
Alienandi neceſſitas, 203.
Alienantium pœna, ibid.
Alienatio quot modis fiat, 212.
Alienatio Epiſcopo prohibita, ſine Capituli conſenſu, 195.
Alienationis nomen, 202.
Alienationis nomine quæ veniant, 106.
Alienationis verbo locatio, 211.
Alienatione iudicij vt plurimum fit deterior alicuius conditio, 106.
Almaricus, 4.
Almutia Canonicorum, 255.
Altare cancellis clauſum, 282.
Altari manus poſita, pro fidelitatis iuramento, 217.
Altaria Tituli, 272.
Altaria in ſepulchris, 35.
Altaria quando electa, 258. & 271.
Altaris acceſſus prohibitus laicis 171. Latinorum abuſus damnatus, ibid.
Altarium dedicatio, 271.
Altarium tabulæ lapideæ, 272.
Altarium conſecratio ante Miſſæ celebrationẽ, ibid.
Ambones Eccleſiæ, 282.
Amicorum litteris oſculum, 14.
Ἀνανεώσεις, 154.
Anathema triplex, 463. & 464.
Anathema propriè maior excommunicatio, 467.
Ἀναθήματα donaria, 242.
Ancillam ducens fit ſeruus, 331.
Animæ definitio, 325.
Animæ ſymbolum portio Canonica, 233.
Animæ rationalis honor, 231.
Annatarum vox barbara, 200.
Annonam flagellare, 210.
Annotatio, 7. 8. 9.
Annulus, 54.
Annulus Epiſcopi, 55.
Annulus ſigillum 199 eius vſus, ibid.
Annulus nuptialis, 312.
Annulus ſignum fœderis coniugalis, 146.
Annus Pontificatus quando ſcriptus,
Annus Sabbaticus apud Iudæos, 124.
Annus luctus, 363.
Antapocha quomodo ritè fiat, 144.
Anteſtari quid ſit, 119. & 142.
Antichriſtis, 418.
Antiochenæ & Romanæ Eccleſiæ diſtinctio, 156.
Ἀντιφέρνα, 359.
Antruſtiones, 215.
Apocha, & Antapocha, 144.
Ἀποκήρυξις, 37.
Ἀπολελυμένοις abſolutè, 30.
Apoſtaſia duplex, 390.
Apoſtaſia fidei, 390.
Apoſtatæ qui, 389.
Apoſtatæ penitentes, quomodo admiſſi, 390.
Apoſtatarum pœna, ibid.
Apoſtolorum limina ab Epiſcopis viſitanda, 250.
Appellari non ſolet ab interlocutoria, 127.
Appellatio nulla, 161.
Appellatio gradatim fieri debet, ibid.
Appellatio impedit ſententiam, 157.
Appellatio ab abuſu,quando interponatur, 87.
Appellatio ab Archidiaconis, 81.
Appellatio 159. eſt exceptio ibid. remediũ iuris ibid.
Appellatio fruſtratoria. 160. moratoria, ibid.
Appellatio quando ad Papam, vel principem deferenda, 160.
Appellatione remota, 161.
Appellatione remota vni articulo,an præiudicium fiat reliquis, 467.
Aqua neceſſaria in Miſſa, 276.
Aqua in vinum conuerſa in Miſſa, ibid.
Aqua baptiſmi, 279.
Arbiter datur cum adiectione pœnæ, 86.
Arbitri iudicum vices gerunt, 107.
Arbitri dantur à iudicibus, & à partibus aſſumuntur, 107.
Arbitri legitimi & ordinarij, ibid.
Arbitri ſine compromiſſo, 108.
Arbitrium boni viri, 107.
Arbitrorum & arbitratorum differentia, 108.
Arca ſignum communitatis, 199.
Arca gazophylacium, 242.
Arcarii cuſtodes, 199.
Arculæ,vel ciſtæ Dominici corporis, 285.
Aricum,ſeu arcipum, 199.
Archidiaconi officium, 70.
Archidiaconi nomen, 71.
Archidiaconi defectum qui ſupplebant, ibid.
Archidiaconi Περιοδευταί, 72.
Archidiaconi negotiorum promotores, ibid.
Archidiaconi alæ Epiſcopi, ibid.
Archidiaconi oculi Epiſcoporum, ibid.


Archidiaconi

Digitized by Google

Archidiaconi dalmaticæ vſus, 72.
Archidiaconi ſumma dignitas, ibid.
Archidiaconi prima ſedes poſt Epiſcopum, 72.
Archidiaconi iuriſdictio ex conſuetudine, 74.
Archidiaconi officialis, 81.
Archidiaconorum arrogantia, 73.
Archidiaconus ſolus ſacrum codicem legebat, 73.
Archidiaconus non eſt vicarius natus Epiſcopi, 74.
Archidiaconus Antiſtes ſecundi ordinis, 72.
Archiepiſcopi conſecratio, 29.
Archiepiſcopi obligatio, 32.
Archiepiſcopi fidelitatem iurant, 32.
Archiepiſcopi vices Papæ ſupplent, 33.
Archidiaconum potentia, 73.
Archipresbyter primus poſt Epiſcopum, 75.
Archipresbyter ſiue Decanus ciuitatenſis, 76.
Archipresbyteri officium, 75.
Archipresbyteri cura plebanorum, 76.
Archipresbyteri Decani rurales, ibid.
Archileuita, 70.
Archimandrita, 252.
Archiuia Eccleſiæ, 80.
Arma vendere numquam licuit hoſtibus & infidelibus, 404.
Arma literaria non dari pignori, 219.
Arma ruſtica non pignoranda, ibid.
Armorum prohibitio clericis, 170.
Arrharum datio, 311.
Artifices ab Eccleſia remoti qui, 444.
Ασσαλτίς, 220.
Aſpratura, 417.
Aſylus Eccleſiæ, 411.
Auctoris plus ex viua voce quàm ex ſcriptura elicitur, 132.
Auctoritatis teſtamentum, 61.
Aucupium, 429.
Audientes qui, 280.
Auditorium, 281.
Auditionis & fletus loca, 458.
Aurea bulla qua loquitur ſpiritus ſanctus, 8.
Authentica ſcripta, 139. & 143.


## B


BAculi traditio quid, 55.
Baculo non vtitur Papa, 55.
Bagandæ qui, 410.
Baliſta & Catapulta idem, 403.
Baliſtarij in Gallia, 403.
Balthcus monachorum & clericorum, 255.
Banna nuptiarum, 318.
Bannire quid, 318.
Bannum, 413.
Baptiſmalis Eccleſia, 123.
Baptiſmalis & confirmationis vnctio, 55.
Baptiſmi tempus, 279.
Baptizandorum ordo & inſtructio, 280.
Baptizare quis poteſt, 279.
Baptiſmi iteratio. 57. 321. quomodo intelligenda. 284.
Baptiſmi infantibus non dandi error, 283.
Baptiſmus, 279.
Baptiſmus hæreticorum, 57.
Baptiſmus mulierum, 51.
Baptiſmus & adoptio idem, 333.
Baptiſmus à non ordinato valet, 438.
Baptiſmus characterem imprimi, 49.
Barbæ promiſſio, 169.
Barbæ raſio, 170.
Barcæi, 382.
Barſpharnes trapezita callidus, 210.
Baſilicæ conſtructæ ad ius dicendum propter tumultum in foro, 113.
Bella iuſta omni tempore tentanda, 93.
Benedictio coniugum, 317.
Benedictio nuptialis, 312.
Benedictio ſimplex, 51.
Beneficia Imperatorum, 10.
Beneficia dabantur titulo, 30.
Beneficia dicuntur agri aſſignati ſoluti, 215.
Beneficia intra ſex menſes à tempore vacationis debent conferri, 191.
Beneficijs vacantibus non collatis intra tempus conceſſum quomodo prouideatur, 192.
Beneficij titulus, 51.
Beneficij nomine intelliguntur præbendæ, &c. 467.
Beneficij vacaturi collatio, 185.
Beneficium paternum filijs denegatum, 52.
Beneficium ſimplex quam ætatem requirat, 52.
Beneficium non vacans, non conceditur, nec promittitur, 190.
Bibendi prouocatio inter clericos milites & cauſidicos, 170.
Biduum, 154.
Bigami varij, 66.
Bigami irregulares vel regulares, 67.
Bigami duarum Eccleſiarum adulteri, ibid.
Bigami & trigami, 361. & 362.
Bigamia à ſacris exploſa, 66.
Bigamia exploſa apud Arrianos & gentiles, ibid.
Bigamia duplex, ibid.
Bigamorum pœna, 67.
Blaſphemia duplex, 132. 133.
Bomoyx, 35.
Boni dies qui, 126.
Boues curſui publico deſtinati, 219.
Boum occiſores puniti, 219.
Breuia breuicula, 219.
Breuiarij pignus interdictum, 219.
Brigantes populi, 410.
Bulla aurea, argentea, plumbea, cerea, 8.
Bullæ ſigillum, 199. & 422.
Bullarum falſificatores, 419. & 421.
Burſa, arca, 199.


## C


CAdauer è ſepulchro non extrahendum, 333.
Cadauera mortuorum obligata, 29.
Cæcilianus Carthaginenſis, 12.
Cædes, vel vulnus inconſultum, 430.
Cædis pollutio, 397.
Cæremoniæ diſcendæ, 53.
in Calabria matrimonium clericorum, 177.
Caldarium, 452.


Ooo

Calix in conſecratione, 277.
Calixtus II. vxores prohibet, 175.
Calixtus III. Pſeudopontifex, 388.
Calumnia accuſatio, 370.
Calumnia eſt cauillatio, 120.
Calumnia quæcumque actio dicta, 121.
Calumniæ iuramentum ſolus actor præſtat, ibid.
Calumniæ iuramentum quare inuentum, ibid.
Calumniari, 432.
Calumniatoris pœna, 121.
Calumniatoris pœna vocatur calumnia, ibid.
Calybarium, 362.
Cambium, 417.
Campana ſignum parochiæ, 254.
Cancellarius, cuſtos ſigilli, 199.
Cancellarius, pro primicerio, 78.
Cancellarius Vniuerſitatum, 379.
Cancelli iuxta altare, 460.
Canon quid, 243.
Canon *Piæ mentis* 16. q. 7. explicatus, 262.
Canon, cenſus, ſeu penſitatio, 182.
Canon latæ ſententiæ, 465.
Canon, canticum, pſalterium, 77.
Canonarches, ibid.
Canones Apoſtolorum, 4.
Canoniæ, 182.
Canonica renuntiatio quæ, 95.
Canonicatus, 52.
Canonici qui, 179.
Canonici à regula dicti, 181.
Canonici fratres Epiſcopi, 196.
Canonici inueſtitura per panem, 182.
Canonici ſæculares qui, 244.
Canonici Cardinales, 255.
Canonicorum & clericorum differentia, 244.
Canonicorum veſtis, 255.
Canonicus ſimoniacus, 374.
Canonis & Conſtitutionis differentia, 4.
Cantica Eccleſiæ, 53.
Canticum trium puerorum cani ſolitum poſt Miſſam, 275.
Cantor qui, 379.
Cantor, primicerius vulgò creditus, 77.
Cantor ſumptus ex ordine lectorum, ibid.
Cantoria perſonatus, 78.
Cantoris munus, 77.
Cantandi munus, 78.
Capella ſancti Raymundi Toloſæ, 35.
Capellani minores, 91.
Capellæ monachorum, 260.
Capellani vnde dicti, 261.
Capellani magni, ijdem qui miſſi, 163.
Capillorum detonſio, 169.
Capis, vas, 79.
Capitiarius, ibid.
Capitilauium, 281.
Capituli nomine quid, 198.
Capituli conſenſus in alienationibus, 195.
Capitulum conſors Epiſcopi, 40.
Capitulum adminiſtrat res Epiſcopi, 41.
Capitulum adſeſſoribus an comparandum, 196.
Capitulum vocandum ad ſynodum, 198.
Cappa ferebatur in bello, 261.
Capſa reliquiarum, 261.
Capulare quid, 372.
Caput D. Petri in modum coronæ detonſum, 169.
Caput, *Romana, de appellat.* in Sexto, 81.
Caput *Vnicum de Ratiociniis*, quomodo intelligendum, contra Ant. Auguſtinum, 64.
Carceres monaſteriorum, 245.
Cardinales, 29.
Cardinales diaconi, 71.
Cardinales, cur ſic dicti, 178.
Carnium eſus vetitus monachis, 255.
Carnium eſus vetitus in ieiunio, 294.
Carolus magnus, ſcholarum author, 378.
Caſaki qui, 410.
Caſtitas monachorum, 256.
Caſtrare capitale, 65.
Caſtratio vſitata olim, ibid.
Caſtrenſis, & quaſi caſtrenſis peculij quæ cenſeantur, 226.
Cataphrygum error circa nuptias, 361.
Catapultæ talentariæ, & centenariæ, 403.
Catechiſmus quid, 336.
Catechiſtæ qui, 280.
Catechumenorum vnctio, 55.
Catechumenorum manſio, 281.
Catechumeni miſſi foras per diaconum, 275.
Cathedraticum 268. 270. quando Epiſcopo ſoluatur, 88.
Cauponæ in Eccleſijs vetitæ, 304.
Cauſa momenti de poſſeſſione à celeritate dicitur, 128.
Cauſæ Eccleſiaſticæ merè ciuiles, & criminales, de quibus ſæculares non cognoſcunt, 114.
Cauſæ libellis ſemper debent exponi, 111.
*Cauſarum tractatio in portis ciuitatum,* 302.
Cautio nuda, 220.
Cautio fructuaria, ibid.
Cautio ſtandi in iudicio, 133.
Cautionem calumniæ præſtabant olim partes in omnibus cauſis, 121.
Cenſus, 267.
Cenſus Dei decimæ, 237.
Cenſus noui prohibiti, 270.
Cenſus annuus Epiſcopo debitus, 376.
Centenaria præſcriptio quando inducta, 155.
Ceruolum, 362.
Ceſpitis iactus, 445.
Ceſſio Epiſcopatus, 36.
Ceſſio bonorum clericis prohibita, 222.
*Chape*, toga, 261.
Character, 54.
Character, quid differt à benedictione, 50.
Character confirmationis, 29.
Character ordinis non iteratur, 57.
Characteris, & manus impoſitionis differentia, 49.
Character falſariorum fronti impreſſus, 420.
Chartophylax duplex, 80.
Χειροβολίσται, 404.
Chirographum, eſt priuatum inſtrumentum, 144.
Χειρομάκτροι, 169.
Chirothecæ iactus, 445.
Χειροτονία, & Χειροθεσία æquiuoca, 26. & 467.
Chirurgica ars monachis prohibita, 308.
Choraulis plebs. 78.

Digitized by Google

Chriſtianis iugis & æterna feſtiuitas, 124.
Ciboria, 285.
Ciborum luxuria, 170.
Cibus & potus quid intelligat, 294.
Cidaris Pontificum capite non mouebatur, 54.
Cinguli detractio militibus, 257.
Circare, & Circada quid ſit, 399.
Circenſes ludi vnde dicti, ibid.
Cirtenſe concilium, 12.
Ciſtularius, ſeu Ceſtularius, 80.
Citatio, 13.
Citatio debet fieri in ſcriptis, 116.
Citato coram Principe dilatio non eſt danda, 123.
Ciuilis poſſeſſio, 138.
Ciuitas Epiſcopi quæ, 257.
Ciuitas quomodo colligetur, 16.
Clandeſtina deſponſatio, 316.
Clarienſis Epiſcopus, quod extra tempora ordinaſſet ſuſpenſus, 43.
Clauſula in litteris *quouis modo vacet beneficium*, 192.
Clericatio ſerui, 61.
Clericatus præcepta, 70.
Clerici dicti Canonici, 243.
Clerici non fideiubent, 220.
Clerici nomen tutum à iuriſdictione regia, 305.
Clerici per tonſuram & manus impoſitionem characterem accipiunt, 49.
Clerici minores, 62.
Clerici & presbyteri vxorati, 323.
Clerici & monachi in cauſis Eccleſiæ iurati teſtes quando non admittantur, 141.
Clerici iuramentum calumniæ præſtant, & non aliquando, 121.
Clerici ſine titulo ad ſacros ordines non admittuntur, 178.
Clerici tabelliones, 307.
Clerici falſarij, 421.
Clerici ad quos ludos poſſunt accedere, 400.
Clerici immunes, non agri, 305.
Clerici alieni non ordinandi, 236.
Clerici ſimiles filijs familias, 225.
Clerici quomodo de bonis diſponunt, 225.
Clericis ſæcularia negotia vetita, 305.
Clericio ex pagenſibus, 62.
Clericorum vita & honeſtas, 167.
Clericorum concubinatus, 333.
Clericorum electio patronis data, 262.
Clericorum auaritia, ambitio, & inconſtantia damnatur, 178.
Clericorum nomine qui veniant, 467.
Clericus coniugatus, 174.
Clericus ægrotans, 186.
Clericus à ſuo Epiſcopo vel metropolitano iudicari debet, 110.
Clericus Romæ conuentus fori præſcriptionem opponere non poteſt, 115.
Clericus miles Chriſti, 222.
Clericus excommunicatus, 434.
Clericus venator, 427.
Coadiutor, 40.
Coadiutor quibus & quando datur, 187.
Coadiutor regi datur, 40.
Coadiutor ægrotis datur, 186.
Coadiutorum iura, 187.
Codices Canonum, 5.
Cœmeteria, 234. 258.
Coepiſcopi, idem qui miſſi, 163.
Cognationis tres ſpecies, 333.
Cognatio ſpiritalis, ibid.
Cognatio ſpiritalis imminuta, 334.
Cognatio ciuilis & carnis, ibid.
Cognatio ſpiritalis longè diffuſa, 334.
Cognatio legalis fit per adoptionem, 336. & durat quandiu adoptio, 338.
Cognitio conſanguineæ vxoris, ibid.
Cognitionis tres gradus, 341.
Cognitio alia legitima, alia extraordinaria, ibid.
Cognitio ordinaria quæ, ibid.
Cognitio idem quod iudicium, ibid.
Cognitionis nomen propriè ad Principem vel magiſtratus refertur, 126.
Cognitionum ordo eſt regula & ſeries litium expediendarum, 126.
Cohabitatio clericorum, 172.
Collateralium coniunctio, 341.
Collatio beneficij libera eſt, quandocumque de iure beneficium vacat, 192.
Collationis ius Ordinariis, 185.
Collaudatio quid, 195.
Colonia, 209.
Color monachorum varius, 255.
Columba aurea altaris, 285.
Columbæ diuinatio, 364.
Colluſio, 425.
Colluſio in beneficiis, 426.
Collybi munus, 417.
ad Comites relatio, 163.
Commendatitiæ litteræ quæ, 68.
Commendatitiæ inter gentiles, ibid.
Commendatitiæ à dimiſſoriis diuerſæ, ibid.
Commiſſio conſecrationis, 29.
Communia bona Eccleſiæ, 226.
Communitas vitæ clericorum, 243.
Communitatis ſignum, 199.
Compaternitas, 334.
Compaternitas ratione ordinis, 336.
Compaternitas per confirmationem, 335. per catechiſmum, ibid.
Compaternitas repudium affert, 335.
Compatres, ibid.
Competentes qui, 280.
Compromiſſum duplex merum & ſimplex, 107.
Compromiſſum ordinariæ actioni comparatur, 107.
Compurgatores ſacramentales, 450.
Concambii præceptum, 213.
Concha, 35.
Conciliati monachi, 255.
Concilia contra Gnaphenſes, 3.
Concilium Cirtenſe, 12.
Concilium Lateranenſe de Theologo, 78.
Concubina feminupta, 67.
Concubina imitatur vxorem, 349.
Concubinæ filii, 59.
Concubinæ damnatæ, 67.
Concubinarum execratio, 172.
Conditio varia in ſponſalibus, 321.



Digitized by Google

Conditio deſponſationum, 322.
Conductitii presbyteri, 376.
Conductor quibus caſibus expellitur, 211.
Confarreatio, 310.
Conferendi poteſtatem nec facultatem habet inſcius vacationis beneficii, 192.
Conferendi promiſſio facta ab Epiſcopo, vel alio ius habente valet, & obligat promiſſorem, 191.
Confeſſio aduerſus alium facta in crimine læſæ maieſtatis valet, 136.
Confeſſio in iure debet eſſe libera & ſpontanea, & non per vim & metum, 136.
Confeſſiones à quibus audiendæ, 460.
Confeſſus dupliciter dicitur, 136.
Confirmatio, 56. 57.
Confirmatio ſigillum Domini, 336.
Confirmatio electionis, 27. 37.
Confirmatio iudicii quando impediatur, & quando non, 165.
Confirmatio, in forma communi, ibid.
Confirmatio ius nouum non tribuit in præiudicium tertii, 166.
Confirmatio gratiarum & priuilegiorum ad Pontificem, ad Concilium generale, non ad principes ſæculares ſpectat, 166.
Coitus coniugum arcebat ab Eccleſia, 311.
Coniugatorum electio, 28.
Coniugium ſeruorum, 330.
Coniunctio aſcendentium, & deſcendentium vetita, 341.
Conqueſtio, 13.
Conſanguineæ ſponſa cognita parit impedimentum publicæ honeſtatis, 339.
Conſanguinitas, 340.
Conſanguinitas differt à cognatione, ibid.
Conſecrandi facultas impetrabatur à ſummo Pontifice, 259.
Conſciſcere, eſt in iudicio cauſam cognoſcere, 97.
Conſecratio & tempus, 28. demandari poteſt, 29.
Conſecratio quid operetur, 273.
Conſecratio Epiſcopū liberat à patria poteſtate, 226.
Conſecratio viduarum, 50.
Conſecrationis contemptus ob inueſtituram, 216.
Conſecrationis ſolennitas annua, 29.
Conſenſus & conſilium differunt, 195.
Conſenſus matrimonii, 311.
Conſenſus parentum, 316.
Conſiliantes, 196.
Conſiliarij principis, ibid.
Conſilii, propoſiti, & incuriæ differentia, 454.
Conſilium furti, 414.
Conſilium petere, ſed non ſequi, 195.
Conſobrina, vocatur ſoror, ibid.
Conſobrinæ coniunctio vetita, 342.
Conſociatio fidelium, 459.
Conſtantini zelus, 34.
Conſubſtantialis, 2.
Conſuetudo lege fortior, & laudabilior, 17.
Conſuetudo contradictorio iudicio probata, 18.
Conſuetudo vt vim legis habeat quæ ſint conſideranda, 18.
Conſuetudo peruerſa defendi non poteſt, 18.
Conſtitutio, 4. 5.
Conſtitutio publica & priuata, 5.
Conſtitutio de nouo Codice faciendo, 11.
Conteſtari quid ſit, 119.
Conteſtationis libellus, 432.
Continentia ſacerdotum tempore vicis ſuæ, 324.
Contractus quomodo debet fieri vt valeat, 143.
Contradictionis modus, 367.
Contrectare quid ſit, 287.
Contumacia ſine dolo eſſe non poteſt, 132.
Contumacia dat cauſam pœnæ. 179.
Contumax quis ſit, 132.
Contumeliæ obliuio, 431.
Conuentio & reconuentio vna ſententia debet concludi, 118.
Conuentiones primæ ſponſaliorum, 320.
Conuerſio infidelium, 247.
Conuerſio coniugatorum, ibid.
Conuicium, ſiue conuocium, 142.
Conuiuia nuptiarum neceſſaria, 318.
Conuiuium debitum Epiſcopo, 268.
Corbes expoſitorum, 395.
Corepiſcopi ſublati, & quando, 76.
Corona, & Coronæ origo, 169.
Corona regis, honor patriæ, 80.
Corona ferebatur à donantibus Eccleſiæ, 224.
Corona ſignum oblationis, ibid.
Coronatio in nuptiis, 312.
Corpora martyrum in cœmeteriis, 234.
Corporis Chriſti non aſſeruandi error, 286.
Corporis perfectio, 395.
Corporis vitium, 64.
Corporum defectus, 65.
Corporum habitus examinatus, 315.
Corpus *animæ receptaculum*, 231.
Correctio monachorum in quibus conſiſtit, 254.
Corruptores monetarum. 422.
Creditor pignus debitori poſſidet, non ſibi, 218.
Cretionis dies, 39.
Crimen confeſſum habetur pro notorio, 136.
Crimen, quod facit irregularem, 40.
Crimen notorium & occultum, 173. 339. 456.
Crimen pretio redemptum, 453.
Crimen contra naturam, 412.
Crimina duplicis generis maxima & media, 406.
Criminoſi ab Eccleſia expulſi, 303.
Criminum pœna & condemnatio omni tēpore, 125.
Cruces in triuiis ſecuritatem dabant, 303.
Cruces pallii, 35.
Crucis fixio, 272.
Crucis prælatio, 36.
Crux in collo Epiſcoporum, ibid.
Crux ſuper altare, 450.
Cubicularii cur conſtituti, 290.
Cucullæ monachorum clericis prohibitæ, 168.
Cuculla Epiſcoporum, ibid.
Cuculla memorialis, 251.
Culpa lata, 397.
Culpæ grauiores à ſummo Pontifice relaxantur, 406.
Curioſi qui, 367.
Curſarii qui, 410.
Curſus canonicus officioſus, 277.
Curſus equorum & agitatio licita, 400.
Cuſtos, 79.

Digitized by Google

Cuſtodes, 264.
Cuſtodis dignitas ampla, 79.
Cuſtos diadema Regis ſeruat, 80.
Cuſtos columna Eccleſiæ, ibid.
Cyliſtræ. 380.

D

DAmni dati æſtimatio, 454.
Dauid adulterij reus vxorem duxit Vriæ, 327.
Debita ſoluenda Epiſcoporum ab Epiſcopis, clericorum à clericis, 222.
Debitores è templis extracti, 302.
Debitorum fraus ex habitu corporis, 315.
Decanica, carcer Eccleſiæ, 88.
Decanus, 75.
Decidarare, 54.
Decima temporis ſoluenda, 241.
Decima fabricalis, 301.
Decimæ, 237.
Decimæ ſunt iuris diuini ibid. & 459.
Decimæ à quibus debentur, 240.
Decimæ reales & perſonales, ibid.
Decimæ à gentilibus ſolutæ, 241.
Decimæ à laicis perceptæ, 239.
Decimæ in feudum, ibid.
Decimam non tollit conſuetudo, 238.
Decimarum origo ab Abraham, 237.
Decimarum & oblationum, diſpoſitio penès Epiſcopum, 243.
Decimarum exemptio quibus data, 238.
Decimarum priuilegium qui habeant, ibid.
Decretales, 4.
Decretum duplex, 133.
Decretum primum & ſecundum, 16.
Decretum commiſſionis, 29.
Deductio ſponſæ in domum, 310.
Defectus ſcientiæ, 65.
Defenſores Eccleſiarum, 264.
Defigere, pro deuouere, 221.
Defigere manus, eſt ſpondere, ibid.
Defigere animas, ibid.
Defigi qui dicantur, 347.
Definitio in iure periculoſa, 469.
Definitionum, ſententiarum, & regularum libri iidem, 469.
Degradatio qualiter fiat, 113.
Delatio iuramenti, 148.
Delator quando requiritur, 366.
Delegati iudicis & ordinarii differentia, 86.
Delegati munus quando finitur, 87.
Delegatus à principe, ibid.
Delegatus, non eſt magiſtratus, 82.
Denariorum collectio, 270.
Denarius numerus, 237.
Denunciatio, 366.
Denunciatoris, & accuſatoris differentia, 367.
Deportus, 201.
Deportus ius, 270.
Depoſiti reſtitutio, 437.
Depoſiti Epiſcopi reſtitutio per baculum, 55.
Depoſiti fides ſacra, 208.
Depoſitio diuerſa, 436.
Depoſitionis dies, 289.
Depoſitum, 207.
Deſpondere quid, 313.
Deſtinare quid, ibid.
Deuirginare quid, 411.
Deuolutio toties fit, quoties ex mora damnum, vel periculum naſcitur, 194.
Dextera data, fidelitatis iuramentum fiebat, 217.
Diaconi Cardinales, 71. 179.
Diaconi communes, 72.
Diaconi miniſtri presbyterorum, 71. 72.
Diaconi legebant Euangelium, 71.
Diaconi negotiis Eccleſiæ præpoſiti, 71.
Diaconi Palatini, ſiue Baſilicarij, ibid.
Diaconi prædicabant, ibid.
Diaconi quatuordecim, ibid.
Diaconi regionarii, ibid.
Diaconi ſeptem Romæ, & in aliis ciuitatibus. 71.
Diaconi ſtationarii, ibid.
Diaconi teſtimoniales, ibid.
Diaconi vaſa ſacra non tangebant, 287.
Diaconi vxorati, 176.
Diaconiæ quæ, 71.
Diaconis pauperum cura incumbit, ibid.
Diaconiſſæ, 50.
Diaconorum officium diuiſum, 71.
Diadema regis ſeruat cuſtos, 80.
Dies cognitionis, 153.
Dies cretionis, 32.
Dies eſuriales, 295.
Dies fatales, 164.
Dies iuſti lege xij. tabularum, 157.
Dies luſtricus octauus, 283.
Dies quot horis conſtet, 153.
Dies ratione ieiunii, 154.
Dies ſeparationis, 295.
Dies viles, 39.
Dies & Conſul in libello & reſcriptis, 10. 366.
Diffiduciare, eſt fidem rumpere, 93.
Dignitas differt à præbenda, 183.
Dignitas rarò ſine præbenda, ibid.
Dignitas ratione poteſtatis, autoritatis, & iuriſdictionis, ibid.
Dignitates ſublimioris notæ & inferioris, ibid.
Dilatio turbat ordinem iudiciorum, 122.
Dilatio legitima, & quando ſit danda, ibid.
Dilatio quando non eſt danda, 123.
Dimiſſoriæ litteræ, quæ, 68.
Dimiſſoriæ pacificæ vocatæ, 68.
Diœceſis mutatio, 31.
Diœceſis, pro parochia, 68.
Diœceſis, pro ſede Primatum, ibid.
Diœceſis vniuerſalis, ibid.
Diſpenſatio Epiſcopi in furtiua ordinatione, 441.
Diſſenſionis in Eccleſia triplex genus, 387.
Diuinatio per paleam & librum diaconi, 424.
Diuortium, 455.
Diuus Chryſoſtomus à communi victu receſſit, 237.
Docendi licentia, 380.
Doctores falſorum dogmatum quomodo ad communionem admittuntur, 385.
Doli lapis, 210.
Dolo interueniente arbitri ſententia retractatur, 107.

Dolus & culpa in depoſito, 207.
Dolus in loquendo contrahentium, 467.
Dolus malus quid, 396.
Dominicis diebus primitiæ præſtandæ, 241.
Domus religioſæ, 257.
Domus religioſa cum conſenſu Epiſcopi ponenda, 258.
Dona matutinalia, 360.
Donandi animus non facilè præſumitur, 145.
Donans Eccleſiæ coronam geſtabat, 224.
Donare quando poſſit Epiſcopus, 223.
Donaria, 242.
Donatio, 223.
Donatio rerum Eccleſiæ prohibita, ibid.
Donatio inter virum & vxorem 358.
Donatio propter nuptias, 359.
Donatio facta concubinæ, 360.
Donatio reuocata ob ingratitudinem, 225.
Donationum modi Eccleſiæ, 224. per cultellum, per glebam, ibid.
Dormitio an neceſſaria ante Miſſam, 275.
Dos, & donatio propter nuptias, 311. 312.
Dos Eccleſiarum, 298.
Dotalitium quid, 359.
Dotis amiſſio adulterio, ibid.
Dotis incrementum, ibid.
Duelli, & torneamenti differentia, ibid.
Duelli autores, ibid.
Duelli prohibitio generaliter eſt ſumenda, ibid.
Duelli indictio, 445.
Duellorum conceſſio à quibus fiebat, 402.
Duellum clericis prohibitum, 401.
Duellum, vnde dictum, ibid.
Duodecima loco decimæ, 238.
Duorum ſponſa, 319.

# E

ECcleſia reip. præcipua pars, & nobilior, 105. ſuccedit ab inteſtato 230.
Eccleſia vna duobus conferri non poteſt, 184.
Eccleſia Romana quando intelligenda, 156.
Eccleſia Cathedralis, 258. cum Epiſcopo facit vnum corpus, 195.
Eccleſia columna, cuſtos, 80.
Eccleſia viuentis alteri non danda, 224.
Eccleſiæ bona in principe transferre non licuit, 214.
Eccleſiæ confugium, 303.
Eccleſiæ conſignatio, 301.
Eccleſiæ duæ vni dantur quando, 184.
Eccleſiæ Epiſcopales vbi ponendæ, 297.
Eccleſiæ feudatarij, 216.
Eccleſiæ fundamenta martyria, 289.
Eccleſiæ ingreſſus prohibitus, 457.
Eccleſiæ inſeruit qui eſt in ſeruitio Epiſcopi, 179.
Eccleſiæ læſæ reſtitutio quando conceditur, 105.
Eccleſiæ magiſtratus, 82.
Eccleſiæ magiſtratibus non licet canones & iura ignorare, 107.
Eccleſiæ nomine quid intelligitur, 196. 297. & quæ veniant, 458.
Eccleſiæ nomine quod ſit, perſonale eſt, & non reale, 97.
Eccleſiæ reditus cuſtos habet, 85.
Eccleſiæ tituli in vrbe Roma, cur ſic dicantur, 178.
Eccleſiæ vox, 59.
Eccleſiarum ædificatio, 297.
Eccleſiarum circuitus, 301.
Eccleſiarum forma, 298.
Eccleſiarum incendiarij, 410.
Eccleſiarum immunitas, 302.
Eccleſiarum pollutio, 273.
Eccleſiarum reconciliatio, ibid.
Eccleſiarum reparatio, 301.
Eccleſiaſtica iura, quare ab Imperatoribus roborentur. 166.
Eccleſiaſticarum conſtitutionum interpres Eccleſia vel ſummus Pontifex, 96.
Eccleſiaſtici cur à forenſibus diſceptationibus repellantur, 98.
Eccleſiaſtici oblata gratuitò tollore deuotionis poſſunt recipere, 98.
Eccleſiaſticus iudex propter iuſiurandum olim ſibi omnes cauſas arrogabat, 112.
Ἔκδοσις, 211.
Ἐντερυλοφορῆσαι, 465.
Ectomiæ, 65. & 346.
Edicta. 5.
Edicta vocatoria valuis Eccleſiæ figenda, ſi non inueniatur reus, diuerſimodè, 133.
Edictalis lex, 7.
Edictum peremptorium, 132.
Ἐξανθεῖσται & ψιλάφειν, differentia, 288.
Effuſio vnguenti, 54.
Eiurare quid ſit, 116.
Εἰσόδιον αἱ cenſus locationis, 316.
Electi inſignia, 28. poteſtas 27. quod tempus ipſi detur ad deliberandum, 41.
Electitij indices, 86.
Electio de quibus fiat, 29.
Electio per compromiſſum, 24.
Electio per inſpirationem Spiritus ſancti & per ſcrutinium, 22.
Electio per manuum elationem, 25.
Electio per ſortem, 424.
Electio præſentata & acceptata, 37.
Electio quomodo fieri debeat, 22.
Electio tam poſtulationis, quàm nominationis, & tranſlationis nomen deſignat, 21.
Electiones coactæ, 29.
Electiones Epiſcoporum ante confirmationem nihil operantur, 166.
Electioni excommunicatus intereſſe non poteſt, 27.
Electionum tria genera, 23.
Elephantiaſis quando cognita, 329.
Emancipatio auctoritatis teſtamentum, 61.
Emancipatio coacta filiorum presbyteri, 54.
Emptio, venditio, 208.
Encœnia, 273.
Ἐνοίκιον merces locationis, 210.
Enunciatio pluralis, 155.
Ephan minuere, eſt minuta menſura vendere, 210.
Ephod duplex, 34.
Ephori, 6.
Ἐπίβασις,
Ἐπιγαλλῖται, 94.

Digitized by Google

Εωιφώνησις, 155.
Εωιγραφή, 46.
Epilepſia quomodo ſanatur, 329.
Epiſcopalis ſedes an mutari poſſit, 32.
Epiſcopatus eximit à ſeruitute, 61.
Epiſcopatus intrà tres menſes conferri debent, 191.
& intrà tres alios conſecratio ſequi debet. ibid.
Epiſcopatus pinguis, 30.
Epiſcopatū eſſe Ordinem, vnde doctores colligāt, 48.
Epiſcopatuum datio à regibus, 55.
Epiſcopatuū diſpoſitio quando penès principes, 216.
Epiſcopi à quo tempore cœperunt audire laicorum cauſas, 87.
Epiſcopi cur creati, 387.
Epiſcopi & clerici armati, 170.
Epiſcopi & clerici fratres, 221.
Epiſcopi de abſentia iuſta clericorum debent cognoſcere, 179.
Epiſcopi duo quando in vna Eccleſia, 186.
Epiſcopi Græci pallium habebant, 23.
Epiſcopi inteſtati bona, 231.
Epiſcopi legati à Summo Pontifices vocantur fratres. 86.
Epiſcopi munus eſt peccata impedire, 112.
Epiſcopi natalis, 29.
Epiſcopi obteſtatio in iuramento, 148.
Epiſcopi ordinatio per gradus, 440.
Epiſcopi παρανομάριοι, 70.
Epiſcopi patres & Domini vocantur, 90.
Epiſcopi rationale, 53.
Epiſcopi ſacerdotes Cardinales, 179.
Epiſcopi ſchemate monachorum induti, 168.
Epiſcopi vagi & errantes, 48.
Epiſcopi vbi conſtituendi, 235.
Epiſcopi vicarii, 298.
Epiſcopis non datur pallium, 33.
Epiſcopo in collationibus quando præiudicium fiat quando verò non, 194.
Epiſcopo defuncto, quomodo fructibus & reditibus prouideatur, 191.
Epiſcopo ſoli in quibus credatur, 140.
Epiſcoporum accuſatio, 368.
Epiſcoporum numerus in conſecratione, 28.
Epiſcoporum proprium, attendere diſſenſionibus & ſcandalis, 387.
Epiſcopum quot teſtes accuſent, 369.
Epiſcopus caput Eccleſiæ, 196. & 447.
Epiſcopus, & Eccleſia, vnum corpus, 195.
Epiſcopus Dominus feudi, 240.
Epiſcopus in re graui criminali quomodo ſe gerere debeat, 112.
Epiſcopus in conſecratione ſeruum non ordinare promittebat, 62.
Epiſcopus negligens, 155.
Epiſcopus nihil agere poteſt ſine capitulo, 197.
Epiſcopus ordini & charactéri renunciare non poteſt, ibid.
Epiſcopus Oſtienſis, 34.
Epiſcopus quomodo in ius vocetur, 111.
Epiſcopus vel clericus non tenetur reſpondere niſi legitimè citatus, ibid.
Epiſcopus vel ſacerdos falſus, 438.
Epiſtolæ decretales, 4.
Epiſtolæ ſyſtaticæ cōteſſerationes hoſpitalitatis, 179.
Eremitæ quando euocati ex ſolitudine, 252.
Eremodicium quando contrahitur, 123.
Euangelium legebant diaconi. 71.
Euchariſtiæ cuſtodia, 285.
Euchariſtiæ renouatio, 286.
Euchariſtiæ ſacramentum in paſchate, 461.
Euectio, 267.
Euenditale iudicium, 131.
Euictio quando non præſtatur, 209.
Euictionis remedium, ibid.
Euictionis nomine, pretij reſtitutio venit, ibid.
Eunuchi qui, 344.
Eunuchus, an inhabilis, 65.
Euocare, 119.
Euſtachiani. 388.
Exactor, 64.
Examen fit per Archidiaconum, 46.
Exauctoratio militum, 437.
Exceptio, actionis excluſio. 150,
Exceptio dilatoria, peremptoria, procuratoria, ibid.
Exceptio honeſtatis, 151.
Exceptio incerta, 152.
Exceptio excommunicationis, 151.
Exceptio falſi teſtis, ibid,
Exceptio præiudicialis, ibid.
Exceſſus prælatorum, 442.
Exciſi, an ordinandi. 65.
Excommunicati defectus, 151.
Excommunicatio, 462.
Excommunicatio maior & minor, 464.
Excommunicatio ſine tribus edictis fertur, 465.
Excommunicatio ſub interminatione, ibid.
Excommunicationi ipſo iure, ipſo facto tribus edictis opus eſt, ibid.
Excommunicatio publica, ibid.
Excōmunicatus eligi non poteſt, nec eſſe iudex, ibid.
Excommunicatorum nomina in triuijs, ibid.
Excommunicatus à proprio Epiſcopo debet abſolui, 466.
Excommunicatus abſolutus ab extraneo, ibid.
Excommunicatus admiſſus ad oſculum, ibid.
Excommunicatus menſæ Epiſcopi admiſſus, ibid.
Executio ſententiæ rei clerici beneficio priuandi vbi fieri debeat, 115.
Executor, 64.
Exemptiones, 445.
Exemptio monaſteriorum, 449.
Εξωμοσία cautio data fide, 220.
Experiri in iudicio quid ſit, 111.
Expiationis tempus, 457.
Expoſitio infantium, 323.
Expoſitorum collector, 324.
Exterricinerem, ibid.

# F

FAlſi crimen, 419. non ſemper capitale, 420.
Fama ſola, fidem facit in matrimonijs. 145.
Faſcia, 34.
Feneſtella reliquiarum in altaribus, 290.
Feria ſecunda cuiuſque hebdomadæ tractabant iudicia presbyteris diaconi, 109.

Digitized by Google

Feriæ in iudicijs dilationes ſunt diuerſimode, 123.
Feriæ dies feſtis & non faſti, ibid.
Feriæ cur dicantur hebdomadæ dies, 124.
Feriæ vindemiales, 125.
Feriæ repentinæ, 126.
Feriata olim tota hebdomada paſchalia, ibid.
Ferme, 209.
Ferrum candens, 452.
Ferula, 281.
Feudatarij Eccleſiæ, 216.
Feudi Dominus ratione feudi quam vaſallus inſpicitur in fori iudicio, 113.
Feudum 214. vnde ortum, 215.
in Feudum,datio, eſt donatio, 224.
Feudum quando Epiſcopus alteri dare poteſt, 217.
Fiat vt petitur clauſula in exped. Camell. Rom. 8.
Fideiuſſor, 220.
Fideiuſſores infantium, 283.
Fideiuſſoris remedia, 221.
Fides bona, 148.
Fidelitatem præſtant Archiepiſcopi, 32.
Fidelitatis iuramentum ab Epiſcopis, 217.
Fidelium congregatio, 458.
Fidelium miſſa, 275.
Fiduciare, eſt fidem dare, 94.
Filii legitimi qui, 349. 351.
Filii emancipandi à patre presbytero, 59.
Filiorum dedicatio Eccleſiæ, 244.
Filiorum & nepotum affinitatem tantum parit adoptio, 336.
Filiorum occiſores, 392.
Firmatio datio ad firmam, 211.
Fixum infixum fictum penſio, ibid.
Flammeum, 317.
Florenſe monaſterium, 4.
Fœminæ ordinatæ, 50.
Fœminæ illuſtres in Gallia iuriſdictionem in ſubditos habent, 17.
Fœminæ præſidentes, ibid.
Fœminarum conuerſatio quæ licita, 175.
Fœminarum cubiculum ingredientes, 423.
Fœminarum ſententiæ non ſtandum, niſi iuriſdictionem habeant, 108.
Fœneratorum pœna, 415.
Fœnus vnciarium, 416.
Fontes Eccleſiarum, 296.
Fori aſſignatio per Reges, 114.
Fori competentia in reconuentione, 117.
Fori preſcriptio ratione domicilii beneficii, & delicti, 115.
Fori priuilegium clerici in quibuſdam caſibus prætendere non poſſunt, 112.
Fori vocabulum in Eccleſiaſticis & ſæcularibus iudiciis dictum. 113.
Foro Eccleſiæ clericus renunciare non poteſt, 95.
Forum Eccleſiaſticum Eccleſia, aut ipſius Eccleſiæ porticus, 112.
Forum iudicium ſeu audientia Epiſcopalis, ibid.
Forum prohibitum monachis, 307.
Forum ſæculare de poſſeſſorio tantum cognoſcit, 130.
Formatæ litteræ, 68.
Formatæ, tractoriæ, Synodicæ, Circulares, ibid.
Formatæ litteræ Epiſcoporum à metropolitano accipiendæ, 69.
Formicarius publicus. 173.
Fortiores mediocres & minores homines, 91.
Fratres appellantur Epiſcopi & presbyteri, 442.
Fratrũ nomine clerici, 197. aliquando Epiſcopi, 198.
Fratres in primo gradu, 341.
Fratres Papæ qui, 29.
Fratres ſportulantes, 182.
Freda, fredum violatæ pacis pœna, 93. & 415.
Frigiditas, 344.
Foarre fodrum, 267.
Frons falſariorum inuſta, 420.
Frontis vnctio, 51.
Fructus reales & induſtriales, 240.
Fructuum reſeruatio in beneficiis, 201.
Fructus forti accedentes, 220.
Frugum portio pro primitiis, 241.
Fugitiui clerici repetitio, 36.
Fugitiuorum monachorum receptatores, 247.
Fundatoribus proceſſionum aditus tantum, 262.
Fur & latro dicitur qui in alterius viuentis Epiſcopi locum conſtituitur, 190.
Furis cædes, 398.
Furta detecta taleis, 423.
Furta nocturna adulteria, 408.
Furti leuis pœna, 415.
Furtum capitale, 415.
Furtum caſtitatis, 411.
Furtum conceptum, 414. & 423.
Furtum manifeſtum & non manifeſtũ, 413. & 414
Furtum neceſſitatis cauſa, 415.
Furtum non exhibitum, 414.
Furtum per lancem & licium, ibid.


# G


GAbella vnde, 271.
Gageria, 218.
Galeri virides bonis cedentium, 383.
Galeri lutei coloris Iudæorum, ibid.
Γάμαζειν domare, 311.
Γαμήλια quaſi δαμάλια, ibid.
Gazophylacium fiſcus Eccleſiæ, 88. & 199.
Geniatum gallium, 34.
Geniatus vultus. ibid.
Generandi vi carentes an ordinandi 65.
Genus, quid in iure canonico, 342.
Genus idem & eadem quantitas in ſequeſtratione reddenda, 135.
Γεωργία, 52.
Gladiatorium munus, 428.
Glorificationis hymnus, 1.
Gnaphene fullo, 3.
Goſſipium, 35.
Graduale pſalmi vnde ſic dicti, 282.
Gradus affinitatis, 342.
Gradus cognationis, & affinitatis aliter iure ciuili, quàm Canonico numerantur, 341.
Græcia magna, 176.
Græci furari corpora BB. Petri & Pauli conati ſunt, 290.
Γραμμάτεια quid ſit, 24.
Gratiæ expectatiuæ reprobatæ, 185. 191.


Gratiæ

Digitized by Google

Gratiæ reſcripta, 10.
Gratianus corrigitur, 180.
Guardiani, 264.

# H

Habitus monachi, 326.
Habitus geſtatio profeſſionem ſignat, 246.
Habitus mutatio, 390.
Hæreſis crimen, & maleficium publicum, 384.
Hæretici qui, 4. 57. 384.
Hæretici diſtincti appellatione tantùm à Iudæis, & Saracenis, 384.
Hæretici vitandi, 386.
Hæreticis templa ſynaxes interdictæ. 385.
Hæreticis interdicta teſtamenti factio, ibid.
Hæreticorum odium contra Trinitatem, 2.
Hæreticorum orationes ἀλογίαι, ibid.
Hæreticorũ filijs beneficia, & officia interdicta, 386.
Hæreticorum pœnæ quatuor, 384.
Hæreticorum pertinacium pœna, 385.
Hæreticorum pro varietate pœnæ miſiores, ibid.
Hæreticorum ſublata differentia, 386.
Hæreticus rediens ab Epiſcopis admittitur ad communionem, ibid.
Hæreſiarchæ ab inquiſitore ad iudices ſæculares remittuntur, 385.
Hæreſiarchæ capitali ſupplicio affecti, ibid.
Hæreſiarcharum pœna communior ignis, 385.
Haſtæ iactatio, 445.
Hebdomada ſancta cur dicta maior, 124.
Heres factus per annulum, 55.
Hincmarus quomodo electus ad Rhemenſem Eccleſiam, 20.
Hippodromia curricula & venationes in diebus dominicis prohibita, 400.
Homicidium, 395.
Homicidium de fœtu animato dicitur, 396.
Homicidium voluntarium, 397.
Homicidium ab homine fit, 398.
Hominium, 216.
Homo pignori non dandus, 219.
Honeſtas publica ex conſanguinea vxoris, 332.
Honeſtatis iuſtitia ſinè concubitu naſcitur, 314.
Honor canonicus, 156.
Honor eſt per procuratorem litigare, 101.
Honor patriæ corona regia, 80.
Honor demptus filiis presbyterorum, 59.
Honor reſcriptorum, 14.
Horæ officiorum, 277.
Horarum computatio, 153.
Horarum primarum & ſecundarum diſtinctio, ibid.
Horrea vetita in Eccleſijs, 258.
Hortor, 14.
Hortatoriæ litteræ, 14. & 15.
Hoſpitalia, 258.
Hoſpitium, ibid.
Hymnus glorificationis, 1.
Hyperocha, 209.

# I

Iacere, pro deſtruere, 445.
Ieiunia ad ſolis occaſum, 294.
Ieiunia quatuor tẽporũ ad ſacros ordines deſtinata 42.
Ieiunia tribus anni temporibus, 292.
Ieiunii dies, 154.
Ieiuniorum in Sabbatho contentio, 293.
Ieiuniorum obſeruatio, 291.
Ieiunium ſolemne, 292.
Ieiunium verum quale, 294.
Ieiunium vltra tres dies, 295.
Ieiunus Epiſcopus confirmat, 55.
Ignis in miſſa, 277.
Ignorantia, 40.
Ignorantia impedimenti in matrimonio, 351.
Ἡγούμενοι pro ſacerdotibus, 6. 50.
Ἡγούμενος, ibid.
Imagines ceteræ in defixionibus, 347.
Imagines martyrum, 289.
Immunitas perſonarum Eccleſiæ, 304.
Imperii vacantis diſpoſitio ad ſummum Pontificem deuoluitur, 194.
Impotentia, 347.
Impreſſioni calliditas additur, 104.
Impubes doli capax, 426.
Impubes quis, 313.
Impuberum deſponſatio, ibid.
Incantatio, 346.
Incendii crimen capitale, 410.
Incendiarii qui, ibid.
Indicium vehemens, 144.
Indignitas, 184.
Indignus & non dignus differt, 38.
Indulgentia, 462.
Infames à teſtimonio repelluntur & plures alii, 139.
Infantium nuptiæ, 313.
Ingero, 16.
Iniuria, 453.
Iniuria facta in Eccleſia, 431.
Initia ſine initiorum dies, 273.
Innocentius IV. à Cuiacio reprehenſus, 81.
Innouationis nomine non continetur perceptio fructuum, 134.
Ioachim Abbas, 2. fraus. 3.
Ioachimi hæreſis, 4.
Inquiſitio, 366.
Inſani vox, 430.
Inſcriptio, 97.
Inſcriptionis libellus, 366.
Inſinuatio reſcriptorum, 11.
Inſolentia quæ, 387.
Inſtallatio, 28.
Inſtitutio pro ſucceſſione, 60.
Inſtitutio & ordinatio, 50.
Inſtitutio, 118.
Inſtitutio perſonarum turpium vetita, 228.
Inſtitutio Epiſcopi, 266.
Inſtitutionis vis, 188.
Inſtrumenta inſtructiones & firmamenta cauſarum, 143.
Inſtrumentum vetus ne pereat quomodo reficiendum, 144.
Inſtrumentum duplex publicum & priuatum, ibid.
Inſula genus veſtis, 169.
Inſularius quis, 306.
Interdicti tempore baptizantur paruuli & pœnitentiæ Sacramentum morientibus datur, 467.



Digitized by Google

Interdictum *Quod vi, aut clam*, ab aliis debet diſtingui in ordine iudicii, 130.
Interdictum, *Vnde vi*, aduerſus quos competat 131.
Interdictum prohibitorium, 444.
Interdictum æquipollet excommunicationi ibid.
Interſtitura, 417.
Interſtitia ordinum, 440.
Interſtitium, 157.
Intronifationis ius, 269.
Inueſtitura confirmatio collationis, 188.
Inueſtitura miſſio in poſſeſſionem, ibid.
Inueſtitura beneficii, 188. 189.
Inueſtituræ vitium conſecrationem arcens, ibid.
Inueſtiturarum contentio, 216.
Inuaſio Epiſcopatus, 31.
Inuaſores Eccleſiarum, 438.
Itineris paſſus, 164.
Iudæi, 381.
Iudæi an decimas ſoluere debeant, 241.
Iudæi an teſtes ſint, 382.
Iudæi aut Pagani obſtinati cõtractus diſſoluitur, 383.
Iudæi expulſi è Gallia & quare, 383. 384.
Iudæi medici vetiti Chriſtianis, ibid.
Iudæi beneficii, ibid.
Iudæis an vſuræ prohibitæ, 412.
Iudæis non continentur Chriſtiani, ibid.
Iudæis nutrices Chriſtianæ interdictæ, ibid.
Iudæis inſeruientes excommunicati, ibid.
Iudæorum & Sarracenorum differentia, ibid.
Iudæorum fraus in negotiis, 418.
Iudæorum tollerantia qua conditione, 384.
Iudex agendi normam ſcrutari & ſeruare debet, 119.
Iudex cinctus, 63.
Iudex cinctus ſæcularis, 87.
Iudex confeſſione probationibus, inſtrumentis, teſtibus, præſumptionibus certus eſſe debet, 137.
Iudex cuncta rimari & diſcutere debet vt rei veritas eluceat, ibid.
Iudex debet ſupplere litigantium defectus, 89.
Iudex delegatus, 82.
Iudex in arbitrum ſumi non poteſt ſed in compoſitorem, 108.
Iudex interrogat & reſpondet cum decernit, 111.
Iudex ordinarius aut delegatus quomodo ante & poſt litem conteſtatam cognoſcat, 89.
Iudex quando debeat aduocatum procurare parti non habenti, ibid.
Iudex quando litem ſuam faciat, 209.
Iudex quomodo ſe gerere debeat in contumacem conuentum actione reali, vel perſonali, 120.
Iudicem ex clero quemquam eſſe, non permiſit Siluanus Epiſcopus, 110.
Iudices delegati ſimiles cubitus, 107.
Iudices ſæculares omnia iudicia Eccleſiaſtica ſibi vſurpant excepta religionis quæſtione, 110.
Iudices ſuos in vnaquaque prouincia Eccleſia habere debet, ibid.
Iudici ratio petendi innoteſcere debet, 111.
Iudicia cædium apud Athenienſes, 399.
Iudicia & ſententiæ prolatæ ſuper beneficio non collato quando præiudicium faciant, 193.
Iudicium conſtitutum iudicium cœptum, 118.
Iudicium Eccleſiaſticũ à ciuili in quibus differat, 111.
Iudicium tribus perſonis præcipuè conſtat iudice actore & reo, ibid.
Iugatio, Iugum, 304.
Iuramentum ad aras, 148. per Deos, per homines, per genium principis, ibid.
Iuramentum calumniæ, 120.
Iuramentum calumniæ quomodo à clericis præſtetur, 121.
Iuramenti defectus, 149.
Iuramentum duplex ſimplex & ſolemne, 147. 148. & 149.
Iuramentum in animam, 149. ſub pœna ordinis & beneficij, ibid.
Iuramentum nullum eſt factum ad veritatem cælandam, 142.
Iuramentum ratione officii, 149. & Epiſcopatus ibid. dominii temporalis, ibid.
Iuramentum varium, 449.
Iurgium coniugum, 356.
Iuriſdictio Epiſcopi, 28.
Iuriſdictio ſpiritalis, 376.
Iuriſdictionis vices demandatæ, ibid.
Iuriſiurandi maior eſt vis quam rei iudicatæ, 147.
Ius canonicum conceſſum clericis & monachis, 307.
Ius dictum in templo, 302.
Ius dici non debet ante litis conteſtationem, 119.
Iuſiurandum diuiditur in voluntarium neceſſarium & iudiciale, 147.
Iuſiurandum ſupplet multos defectus, ibid.
Ius patronatus, 262.
Ius publicũ priuatis pactionibus non infungitur, 114.
Ius tranſlatum dolo male facit commutationẽ, 106.
Iuſta feralia, 232.
Iuſti filii qui 349. & 350.
Iuſtitia portio ſepulturæ, 232.
Iuſtitiarius Angliæ, 306.
Iuſtitium, 157.

## K

KΗριακὸν, 258.

## L

LAïci in rebus Eccleſiæ arbitratores, 108.
Laïci quos accuſare poſſint, 368. 369.
Laïcus in cauſis matrimonialibus trahitur ad forum Eccleſiaſticum, 113.
Lana candida, 35.
Lana in incantationibus, 346.
Lapilli iactus, 445.
Lapidæ in rationali Epiſcoporum, 53.
Lapis dolii in ponderibus, 210.
Lapſi qui, 389.
Largitionum exactor, 63.
Lauacri purificatio à coniugib. ſeruanda, 296.
Laudatio laudimium, 155.
S. Laurentius diaconus & quare, 70.
Lector, 181.
Legata pia, 230.
Legatorum diſpenſator, 64.
Legati à latere, 85.

Digitized by Google

Legati miſſi, 163.
Legati à latere & ſedis Apoſtolicæ differentia, 86.
Legati generalis commiſſio, 84.
Legati nati priuilegium, ibid.
Legati ſummi Pont. triplicis generis, ibid.
Legitimi ad ordines, 60.
Lepræ quatuor ſpecies, 329.
Leproſorum coniugium, 328.
Legũ & medicinæ ſcientia monachis prohibita, 307.
Legis diœceſanæ & iuriſdictionis differentia, 88.
Leonis xi. electio, 23.
Leuda feuda, 215.
Lex edictalis, 7.
Lex cornelia de ſicariis, 392. 396.
Lex Papia, 344.
Lex Conſtantini de expoſitis, 394.
Lex Rhennia, 371.
Lex Pompeia de parricidiis, 392.
Lex regia, 25.
Libelli datio ſola non eſt pro vocatione in ius, 115.
Libellus fundamentum cauſæ, 116.
Libellus reſponſionis, ibid.
Libellus Ioachimi damnatus, 4.
Libellus quando conteſtationem faciat, 115.
Libellus continet preces, ibid.
Libellus refutatorius, 116.
Libellus precaria, 205.
Liber homo iunctus ancillæ, 331.
Liberi expoſiti à poteſtate patria exempti, 394.
Libero ex ventre natus, ibid.
Liberalitates populi beneficia dicta, 181.
Libertas danda ſeruis ante ordines, 60.
Libido contra naturam, 412.
Libri beneficiorum, 215.
Libri apertura in diuinationibus, 424.
Licia, 346.
Ligatura, ibid.
Linea miſſa in condendis vrbibus, 301.
Linguæ præciſio blaſphemis, 433.
Lis pendens, 134.
Lis inſtructa per contumaciam rei, 136.
Lis iureiurando deciſa, 147.
Lis conteſtata concluſione, 119.
Lite non conteſtata quando teſtea recipiantur, ibid.
Litis conteſtatio iudicij exordium, 118.
Litis conteſtatio an ſola libelli oblatione fiat, 13.
Litis conteſtatio, vera quæ, 118.
Lites Chriſtianorum ad forum Eccleſiæ olim, 109.
Litaniæ variæ, 263.
Literarum varia nomina, 14.
Literæ prateſtoriæ, ibid.
Literæ formatæ tribus literi & notatæ, 3. ſigillatæ 9. formatæ 68. pacificæ, confeſſoriæ, communicatoriæ, commendatitiæ, 180.
Literæ omiſſio in contractibus non nocet, 144.
Literis amicorum oſculum datum, 14.
Locatio in quinquennium, 205.
Locatio conductio, 210.
Locatio rerum ſpiritalium, 375.
Locatio in annos plures intelligitur in quinque, 205.
Λογισμὸ. 461.
Λογισταὶ, 64.
Λογεῖον, 53.
Locus clericorum in Eccleſia diſtinctus à laïcis, 171.
Lombardus falſo accuſatus, 2. & 3.
Lucrum ſupra ſortem, 418.
Lucrum malum, Epiſcopatus pinguis, 30.
Ludi theatrales clericis prohibiti, 170.

# M

MAcula oculi, 65.
Magiſter ſcholarum, 77.
Magiſter ſcriniorum, 9.
Magiſtri & doctores, 327.
Magiſtratus iudices, 82.
Magiſtratus localis, ibid.
Mahometus à quibus edoctus, 382.
Maior pars quando, 199. 200.
Maiores & minores Prælati, 89.
Maiorari quid ſit, 90.
Maiores perſonæ, ibid.
Maiores miſſi, ibid.
Maioritatis nomen imperium, ibid.
Maioritas non eſt ſine obedientia, 91.
Maledicus, 431.
Maledicere crimen maieſtatis, ibid.
Maledicta in locis ſacris, ibid.
Maleficiati qui, 435.
Mallus, 302.
Mancipia Eccleſiæ non danda pignori, 220.
Manichæi diſtincti ab alijs hereticis, 386.
Manichæorum hereſis pœna capitis multata, 385.
Mandatum, 9.
Mandatum quid contineat, 101.
Manuitio, 142.
Manſionum diuiſio, 282.
Manſus, 268.
Manſionarij, 264.
Manumiſſio alienationis ſpecies,
Manus impoſitio, 50. 54. 459.
Manus elatio, 50.
Manus repleta, 54.
Manus amputata falſariis, 420.
Manus tertia, quinta, ſeptima, 450.
Manus fidei ſymbolum, ibid.
Maranatha, 464.
Mariti mors inquirenda, 364. abſentia, 363.
S. Martini ſepulchrum viſitari ſolitum, 25.
Martyrum triumphus, 271.
Martyrum memoriæ, 258. reliquiæ, 234. loca viſitari ſolita, 251.
Materiæ publicæ æſtimatio, 208.
Mathematici, 425.
Matres necantes partus, 392.
Matrimonii fœdus tria requirit, 312.
Matrimonii accuſatio, 353.
Matrimonii impedimenta, 326.
Matrimonii impendente lite non turbandum, 134.
Matrimonii cõtract⁹ à ſacerdoto ſubſcribi debet, 312.
Matrimonio ſoluto an aliud peri poſſit, 248.
Matrimonium ratum, 354.
Matrimonium contra interdictum Eccleſiæ, 348.
Matrimonium ex ſola copula Ægyptiis, 310.
Matrimonium perfectum, 311.
Matrimonium inter agnato ſpiritales, 324.



Digitized by Google

Matrimonium conſummatum, 329.
Matrimonium ſoluitur morbo comitiali, 328.
Matrimonium ſoluitur monachiſmo 247. & 248.
Matrimonium dirimitur inter adulteros tribus caſibus, 328.
Matrimonium an ſoluatur mariti abſentia, 364.
Matrimoniũ cõſãguineorũ quomodo dirimatur, 353.
Matrimonium ſpiritale, 37.
Matrimonium clericorum. 322. prohibitum, 174.
Matrimonium ſerui inuito domino, 331.
Matthias quomodo electus, 22.
Matrum nobilitas in filiis, 333.
Medicina practica clericis prohibita, 308.
Μείζονες qui, 90.
Μειζότεροι qui, ibid.
Memoria æterna, 10.
Memorialis, ibid.
Mendacium venditoris, 209.
Menſium computatio, 153.
Menſura minuta, 210.
Mercatores debent decimas, 240.
Mercatura clericis prohibita, 306.
Μετάβασις, 31.
Μετάθεσις, ibid.
Μετοίκιον merces inquilini. 212.
Metropolitanus Epiſcopi defuncti fructuum & redituum cuſtodiam procurare debet, 193.
Metropolitanus alienos ordinare non poteſt. 236.
Metropolitani ſecundi qui, 33.
Metus exceptio, 164.
Miles in bello pro mortuo habetur, 364.
Milites torquati, 34.
Milites deſertores, 27.
Milites debent decimas, 240.
Militum arma non dantur pignori, 219.
Miniſter diſpenſator, 64.
Miniſtrans ſine ordine, 438.
Minor quando non reſtituitur, ibid.
Minor quatuordecim annis teſtis non eſt, 140.
Minorare, ibid.
Minorari quid ſit, 90.
Minoratæ quæ, 206.
Minores homines, 91.
Minores ordines extra tempora conferuntur, 43.
Minori quando ſuccuritur, ibid.
Minorum iure vtitur Eccleſia, 105.
Miſſa quid, 274.
Miſſa duplex, 275.
Miſſa caſtrenſis, 261.
Miſſa à ieiunis celebranda, 275.
Miſſa à non ordinato, 439.
Miſſa in adoptionibus, 337.
Miſſa qua lingua, 278.
Miſſa in ſolitudinibus, 51.
Miſſa in aliena diœceſi, 60.
Miſſa pro quocumque officio, 275.
Miſſæ celebratio concubinarijs prohibita, 273.
Miſſæ binæ quando conceſſæ, 276.
Miſſæ in criptis, 286.
Miſſæ celebratio in quo conſiſtit, 276.
Miſſæ celebratio bis & ter, ibid.
Miſſam celebrare nefas ante altarium conſecrationem, 272.
Miſſam raro monachi audiebant, 51.
Miſſarum celebratio, 274.
Miſſio in poſſeſſionem, 133.
Miſſorum dominicorum cognitio, 163.
Mitra, 36. 54.
Μοιχείας Διακρίσεις, 405.
Momentanea poſſeſſio, 129.
Momenti ratio, 154.
Monachalis veſtis dabatur in profeſſione, 246.
Monachi licentiam Epiſcopo præſentant, 44.
Monachi Anachoritæ & cœnobitæ, 252.
Monachi rarò miſſam audiebant, 51.
Monachi dati pro pignore, 221.
Monachi teſtari prohibiti, 229.
Monachi ſæculares facti, 168.
Monachi à ſacerdotio remoti olim, 253.
Monachi laïcorum numero, ibid.
Monachi clericis minoribus inferiores, ibid.
Monachi à clero diſtincti, ibid.
Monachi tranſlatio, 32.
Monachis officia Eccleſiæ prohibita, 254.
Monachorum tonſura & veſtis, 390.
Monachus non fiebat ſine plebani licentia, 245.
Monachus Epiſcopus ſine licentia Abbatis nõ fit, 19.
Monaſteria erant carceres, 245.
Monaſteria in locis paluſtribus, ibid.
Monaſterium Florenſe, 4.
Monaſteriorum exemptio, 449.
Monetæ falſitas, 422.
Monialibus vinum prohibitum, 255.
Monitio 40. canonica, 16.
Monitoriæ litteræ, 15. execratoriæ, 16.
Monomachia damnata, 402.
Morbus regius ſoluit matrimonium, 328.
Morghanhena, 359.
Mortuarij ius, 233.
Morum defectus, 65.
Mulieres nudæ non erant in baptiſmo, 51.
Mulieres in teſtamentis teſtes non ſunt, 140.
Mulierum frequentia clericis prohibita, 172.
Mulierum purgatio non neceſſaria, 296.
Mundani magiſtratus, 110.
Mundeburdis tuitio, 164.
Mundialia negotia, 110.
Munera regia feuda dicta, 215.
Munera extraordinaria quæ, 304.
Mutatio veſtis clericalis, 390.
Mutatio veſtis genus Apoſtaſiæ, 170.
Mutatio voti, 391.
Mutatio ſtatus Eccleſiæ prohibitus, 204.
Mutua pentio compenſatio, 117.
Mutuum gratuitum, 417.

# N

Nares abſciſſæ adulteris, 408.
Naſus præciſus Sycophantis, 327.
Natalis imperij, 29.
Natalitia martyrum, 289.
Nati ex adultera, 350.
Nati ex concubina, 59.
Natura non tantum filios parit ſed etiam adoptio. 336.

Digitized by Google

Naturales filij diſtincti à legitimis, 352.
Naturalis poſſeſſio qualis eſt, 138.
Nauis Eccleſia, 299.
Naumachia prohibita, 400.
Negatiuæ probatio non recipitur ſed affirmatiuæ, 137.
Negatiuæ probatio quando non eſt admittenda, ibid.
Negatiuæ iuris & qualitatis, 138.
Negligentia in homicidio, 397.
Negligentia in perſonatibus & dignitatibus, 39.
Negligentia prælati ibid. quomodo computetur ibid. notitia, ibid.
Negligentia pœna, 40.
Nemo cogendus ad votum emittendum, 19.
Nepa dotalitium matildæ, 6.
Nicænum concilium, 12.
Nobilitas commendata, 224.
Nobilium fœnus, 416.
Nodi vini amoris expellentes, 347.
Nomen Imperatoris in reſcriptis, 12.
Nomina baptizandorum in tabulas relata, 280.
Nominatio poſtulationis genus, 20.
Nominatores creatores dicuntur, 21.
Nominis abnegatio, 412.
Notariorum pœna falſi, 420.
Nothi ad quæ beneficia admittuntur, 60.
Noualium decimæ, 238.
Nouorum feſtiuitas, 241.
Nouum opus nunciatum à Capitulo Toloſano, 445.
Nuntiatio noui operis, 443.
Nuntiationis libellus, 444. qua de cauſa fiat, ibid.
Nuptiæ furtiuæ, 317.
Nuptiæ veterum noctu, ibid.
Nuptiæ differunt à matrimonio, 310.
Nuptiæ ad liberos habendos, 345.
Nuptiarum celebratio publicè fit, ibid.
Nuptiarum feſtiuitas vetita in Eccleſia, 171.
Nuptiarum ſcopus, 344.

# O

Obedientia præſtaria, 92.
Obedientia manu poſita ſuper altare, 217.
Obedientia monachorum, 256.
Obedientiæ nomine quid, 91.
Obitus beneficiati, 30.
Oblatio Eccleſiæ, 224.
Oblatio ex dignitate offerentis æſtimata, ibid.
Oblatio pro litis conteſtatione, 13.
Oblationes apud Epiſcopum depoſitæ, 242.
Oblationes ſuper altare vel ex columna, ibid.
Oblationes à quibus diſtribui debent, 80.
Oblationum abuſus, 376.
Oblationum deuotio, 242.
Obligati ſerui creditorum, ibid.
Obligatio tollitur egeſtate, 222.
Obligatus ad raciocinia, 63.
Obnoxiatio, 61.
Obuagulatio, 367.
Occentatio criminis, 432.
Occidens ſeipſum, 358.
Occidentales vxorum inimici, 175.
Occiſores filiorum, 392.
Octogamia, 361.
Oculo orbatus an ordinandus, 65.
Occonomus 41. aduocatus, 102.
Occonomus ex clero ſumptus, 102. 193.
Officialis Vicarius, 81.
Officij celebratio, 53.
Oriens in omni loco, 301.
Orientales clerici vxorati, 323.
Origenes ſe caſtrauit, 65.
Οἰκονομιά, pro ordinatione, 50.
Ὁμολογιά καθαρετικὴ, 148.
Opera ſeruilia quib. diebus prohibita, 125.
Operæ ſpiritales, 62.
Operæ libertorum, ibid.
Oleum ſacrum, 56.
Omiſſionis ſuppleſſio, 57.
Ὁμοδυλός, conſeruus agricolæ, 62.
Ὁμουσία, 1.
Ὁμοιούσιος, Ὁμούσιος, 2.
Onera patrimonialia, 304.
Oraculum cœleſte conſtituo, 7.
Orarium, 54.
Oratoria quomodo laïci habeant, 258.
Oratoria Eccleſiæ monachorum, 258.
Ordaleum, 452.
Ordo iudiciorum Eccleſiæ, 110.
Ordo trium edictorum in contumaces, 114.
Orientem verſus precatio, 299.
Ordinandorum ætas, 43.
Ordinantium capacitas & officium, 52. 53.
Ordinarij iudices vnde dicti, 86.
Ordinarij & delegati differentia, 83.
Ordinati iuramento non ſtandum, 68.
Ordinati male pœna, ibid.
Ordinati ſerui redhibitio, 61.
Ordinatio fœminis vetita, 51.
Ordinatio Archidiaconi, Archipresbyteri, decani, primicerij, 50.
Ordinatio ſine literis commendatitijs, 568.
Ordinatio ſchiſmaticorum, 388. 389.
Ordinatio hereticorum, 57.
Ordinatio à B. Petro vſque ad ſimplicium menſe decembri, 42.
Ordinatio peregrinorum, 67.
Ordinato Humberti delphinatis, 43.
Ordinatus ab heretico, 435.
Ordinatus ſimoniacæ, 373.
Ordinatus extra tempora, 43.
Ordinatus habens vxorem, 322.
Ordinatus furtim, 441.
Ordines ſeptem in Eccleſia, 439.
Ordines duo ſacri eadem die non conferuntur, 43.
Ordines ab Abbate an conferantur, 50.
Ordines vbi conferri debent, 41.
Ordines minores cum matrimonio, 176.
Ordinis collatio ſine baptiſmo, 284.
Ordinis collatio ante ſchiſma, 388.
Ordinis ſecundi ſacerdos Archidiaconus, 72.
Ordinis mutatio licita ad Carthuſienſem, 246.
Ordinum gradus, 440.
Oſculum, 54.
Oſculum in reſcriptis, 14.



Digitized by Google

# P

PActi & tranſactionis differentia, 96.
Pacti nomen generale, ibid.
Pacti & contractus differentia, 94.
Pacto deficiente iudicio agendum, 97.
Pactum nudum contractus veſtitus, 94.
Pactum iuri non contrarium ſeruandum, 95.
Pactum legis commiſſoriæ, 94.
Pactum contra bonos mores, 96.
Pactum contra ius peculiare, 95.
Pagenſis ordinatus, 62.
Palatini diaconi, 71.
Pallij datio, 29.
Pallij priuilegium, 84.
Pallij origo, 34.
Pallij dies, ibid.
Pallij petendi tempus, 41.
Pallium, 32.
Pallium fori legatum, 33.
Pallium profeſſorum, 380.
Panis Præbendarius, 183.
Panis azymus & fermentatus, 276. quis placentacens, 360.
Papa habet ius in ſcrinio pectoris, 9.
Papa vbicumque fert pallium, 33.
Papæ fratres Epiſcopi, 29.
Pontifex max. cur dictus, 89.90.
Parabolani, 325.
Paradiſus in Oriente, 299.
Paramonarij, 264.
Παρασυναγωγὴ, 387.
Parata, 268.
Parentum conſenſus, 316.
Paris & teugæ differentia, 94.
Parochi præſentia in nuptiis, 317.
Παροιμία, 40.
Parricidii vox, 392.
Parrœciæ vox varia, 235.
Parrœciarum diuiſio, 178.235.
Parrœcia incolatus, 235.
Parrœcia pro diœceſi, 68.
Parœciæ ſepultura debita, 233.
Parrœciam alienam aliquis non adeat, 230.
Parrœciarum conſtructio cum conſenſu Epiſcopi, 298.
Παροικιάρχαι Epiſcopi, 70.
Pars maior quæ, 199. 200.
Partes in iudicio interrogant & reſpondent, 111.
Partus expoſiti, 394.
Partus ventrem ſequitur, 332.
Paſchalis III. pſeudo Pontifex, 388.
Paſtorum & Epiſcoporum officium, 91.
Pater patrum ſummus Pontifex, 90.
Paterna deuotio monachum facit, 241.
Patientia pro conſenſu, 197.
Patris conditio in honoribus, 333.
Patriarchæ confirmatio, 27.
Patriarchæ dextera Chartophylax, 80.
Patriarcha Conſtantinop. 70. Chartagini, 16.
Patrimonii titulus, 51.
Patrini, 83.
Patrini in omnibus ſacramentis, 336.
Patroni ſtatuta edunt, 6.
Patroni Eccleſiarum aduocati, 98.
Patroni adoptati, 336.
Patroni onus, 264.
Patroni negligentia, 266.
Patronum quid facit, 263.
Patronus an fructus ſuos faciat, 265.
Patronatus derogatio, 266.
Patronorum collatio, 21.
Patronus qui variare poteſt, 266.
Patronus an ſeipſum præſentari poſſit, 189.
Patrocinii nomine procuratio non aduocatio, 106.
Pauperum cura diaconis, 71.
Peculium caſtrenſe & quaſi, 225. & ſeq.
Peculium vetitum monachis, 256.
Peculium pro patrimonio præſidium, 227.
Pecuniæ conſignatio, 135.
Penſio, 184.
Penſionis remiſſio ob ſterilitatem, 212.
Penſum ſeruitutis, 277.
Per caput ſuum iurare, 16.
Percuſſor, 429.
Peregrinatio differt à peregrinati, 165.
Peregrinationis votum, 250.
Peregrinorum ordinatio, 67.
Peregrini clerici, 164.
Periurium iniquitatis vinculum, 108.
Περιβόλαιον, 167.
Permutatio, 213.
Permutatio ſtatus rei, ibid.
Perſonalia decreta, 5.
Perſona legitima, 368.
Perſonæ quæ poſſunt accuſare, ibid.
Perſonatus & perſonæ, 183.
Peritio vera eſſe debet, 127.
Petitorii deciſio poſſeſſionis iudicium, 130.
Petrus πρωτοπρεσβύτερος, 75.
Phonaſcus, 73.
Phrygium, 35.
Φθόρια, 394.
Pignus, 218.
Pignoris fructus cuius ſint, ibid.
Pignus corporis humani, 219.
Pignoratio ſacrorum prohibita, 218.
Pilei cornuti à Iudæis dilati, 383.
Pittancia, 182.
Pixis ſacra, 285.
Planetarii, 425.
Plebanus, 235.
Plus petitur quomodo, 127.
Pluralitas feſtium, 141.
Poculum redargutionis 452. amatorium, 346.
Pœna multiplex, 454. & ſeq.
Pœnæ canonicæ diuerſitas, 455.
Pœnam iud ex augeat poteſt, 89.
Pœnitentia, 456.
Pœnitentiarii, 460.
Pœnitentia criminum occultorum, 459.
Pœnitentia ob cædem, 398.
Pœna extraordinaria duplex, 455. & ſeq.
Pœna ſchiſmaticorum, 388.
Pœna ob torneamenta & ludos ventos, 400.

Digitized by Google

Pœna aduerſus plus petentem, 128.
pœnitentiæ tempus, 458.
Pœnitentium publicatio, ibid.
Polygamia, 262.
Pollutio ob cæde, 397.
Poſſeſſio Rom. Eccleſiæ, 156.
Poſſeſſio eſt actio, 152.
Poſſeſſionis impedimenta, 157.
Poſſeſſionis ſignum, 146.
Poſſeſſionis omiſſio, 41.
Poſſeſſionis cauſa prius examinanda, 129.
Poſſeſſionis, 155.
Poſſeſſio vacua aſinina, 209.
Poſſidere & eſſe in poſſeſſione differt, 134.
Poſſeſſio per adminiſtrationem, 28.
Ponderibus falſis vtentium pœna, 200.
Pontificis caput vngitur, 54.
Portio congrua vicarii, 82.
Portio bonorum debita Eccleſiæ à defunctis, 232.
Portio canonica ſepulturæ, ibid.
Poſtulatio 19. Epiſcopi ſine licentia Papa nulla, 20.
Poſtulationis & electionis differentia, ibid.
Poteſtas regia Eccleſiæ ſubdita, 91.
Poteſtas obedientia, 92.
Poteſtas extera idem ſæcularis, 388.
Poteſtas patris in nuptiis, 316.
Poteſtas publica, 388.
Potentia externa, 82.
Præbenda Theologalis & Artum, 379.
præbenda vnde dicta, 182.
præbendarum ſectio, 201.
præbendarij præbendales, 181.
Precariæ, 204. 205.
præcepta de clericatu, 70.
præceptum commune, 468.
præcentor, 77.
præceptum principis, 8.
præceptoriæ literæ, 14.
præco vox legis, 133.
præfati, 6.
præfectus vrbi ius ſcholarum habebat, 380.
præfecti vrbi iuriſdictio, 257.
præfici qui dicantur, 49.
præiudicium in ordine cognitionis, 127.
pragmaticæ ſanctiones, 7.
prælati nomen, 19. 442.
prælati ſeu præpoſiti non omnes æquales, 89.
præſcriptio, 152. 153.
præſcriptio momenti & horæ, ibid.
præſcriptio contra Eccleſiam, 155. 156.
præſentandi ius, 26.
præſidentes fœminæ, 50.
præſtare præſtitum 225. præſtas equorum, ibid.
præſumptio differt à fictione, 146.
præſumptio ſimplex & nuda, 145.
præſumptio nulla vbi ratio pugnat, ibid.
præſumptio ex antecedentib. & ſubſequentib. 146.
præſumptio ex opinione, 145.
præuaricatio, 270.
præuentio papæ, 185.
presbyter Cardinalis, 76. 235.
presbyteri diuiſi per titulos, ibid.
presbyteri olim parochi, 75.
Presbyter chorepiſcopus, 76.
presbyterium & clerus, 202.
presbyterorum filii quando ordinandi, 16.
presbyterorum & laicorum pœnitentium diſtinctio, 459.
presbyteris anteferri voluerunt diaconi, 73.
presbyteræ, 50.
primiſcribus primiſcrinius primus dominus, 77.
primicerius 242. 279. habet plenā iuriſdictionē, 77.
primicerius nomen commune officiorum, 76.
principes patroni Eccleſiarum, 263.
prioratus dicti obedentiæ, 92.
priuilegium 4 445. diuerſi generis, 446.
priuilegi ratio in cauſis Eccleſiæ, 114.
priuilegia monachis conceſſa quare, 239.
priuilegiata delicta in Gallia, 113.
probatio in omnibus iudiciis duplicib. ab vtraque parte, 138.
probatio monachorem per triennium, 37.
probatio dominii in re furtiua, 137.
probatio indirecta loco & tempore adiecto, 137.
probationis defectu recurritur ad iuſiurandum, 147.
probare quis debet reus an actor, 137.
probationes ex iudiciis manifeſtus, 144.
Προκαθήμενοι, 50.
Προδικασία, 127.
proceſſionum ordo, 262. 263.
proceſſio publica verita laïcis, 262.
in proceſſionibus pallium, 34.
procurator Cæſaris, 63.
procurator obediens, 92.
procuratoris nomen, 267.
procurator voluntarius & neceſſarius, 99.
procurator aduocatus ibid. ad lites ibid. aprocriſiarius, ibid.
procurator an ſit minor 25. annorum, 101.
profeſſio expreſſa & tacita, 246.
profeſſionis ſtipulatio, 244.
profeſſionum tabulæ, 284.
profeſſorum pallium, 380.
profeſſio poſt annum, 295.
promiſſionis & iuramenti nulla differentia, 94.
promotio cum placitis regiis, 70.
promoti deductio in balneum, 380.
promotus per ſaltum, 439.
Promotio defenſorum, 200.
Proprietas monachorum, 256.
Proprium clerici non habebant, 227.
Προσάμελα, 7.
Protoſpatharii dignitas, 312.
Prouidendi occaſio variè fit, 191.
Pſalterii diſtributio, 278.
Pſalterium canticum canon, 77.
Pſalmorum finis hymnus, 1.
Publicatio electionis, 27.
Pudor & honeſtæ in nuptiis, 38.
Pubertas, 314.
Pudor virginis læſus, ibid.
Pueri ſanguinolenti expoſitio, 325.
Puerorum delicta, 426.
Pure agere quid, 127.
Purgatio vulgaris, 451.
Purgatio per corpus Chriſti, 450.

Digitized by Google

Purificatio poſt partum, 295.
Purificationis feſtum, 296.
Purpuræ datio, 34. Pyrricharii, 428.

## Q

QVadrageſima, 291.
Quæſtor vel quæſitor 9. 366.
Quæſtates ſerui, 203.
Quæſtus clericis prohibitus, 306.
Quantum de iure potentis clauſula, 9. 13.
Quarta legatorum piorum Epiſcopo debita, 230.
Quaternitas in deo, 3.
Quatuor temporum diuiſio, 292.
Quinquageſimæ donatio, 224.
Quinquennium in quinquennium, 205.

## R

RAtionalis, 63.
Rationale Epiſcopi, 53.
Ratio plerumque pugnat cum lege, 17.
Ratiocinium, 461.
Ratiocinij obligatio, 63.
Rationes reddendæ ante ordinem, ibid.
Raptoris crimen, 409.
Raptus ex blanditiis & violentia parentum, 412.
Ratihabitio alienationis, 155.
Ratihabitio mandato comparatur, 197.
Reconciliatio baptiſmi, 57.
Reconuentio in criminalib. 118.
Recriminatio reclamatio, ibid.
Rectores dicuntur perſonæ, 184.
Recuſatio, 162.
Recuſatio ſine reiectio contra iudicem, 116.
Redhibitio ſerui ordinari, 61.
Redhibitio, 65.
Redemptio voti, 240.
Redemptionis pretium, 219.
Refectorium monachorum, 255.
Referri debent Epiſcopo quæſtiones à primicerio, 77.
Regalia vnde, 265.
Regulæ in rebus Eccleſiæ, 18.
Regulæ ſacræ, 5.
Regulæ in iure neceſſariæ, 468.
Regulæ iuris ciuilis diuerſæ à canonico, 469.
Regnorum tutela Papæ, 42.
Regum preces idem quod mino, 104.
Regum excommunicatio trahit interdictum generale, 468.
Regum vnctio, 56. à ſacerdotali differt, 16.
Relatio quando fit, 162.
Reliquiarum examinatio, 291.
Relliquiæ velis inuolutæ, 290.
Relliquiæ altaribus tetruditæ, 272.
Relliquiæ, 280.
Relliquiæ ſeueri Imp. 290.
Relligioſa non danda pignori, 219.
Remiſſio quid, 46.
Remuneratio pro ſpiritalibus, 373.
Renunciatio, 26. 38.
Renunciatio appellationis tacita vel expreſſa, 161.
Renuncians priuatur beneficio, 38.
Reordinatio, 30.
Reparatio, 164.
Repigneratio diſſolutio pignoris, 117.
Repleta manus idem conſecrata, 54.
Repotia, 311.
Repreſentare quid, 131.
Repudium vxoris, 330.
Res quæ petitur exprimenda, 128.
Res integra ante citationem, 13.
Rerum mutatio aliud agit, 127.
Rerum quæſtio ex verbis, 467.
Reicula, 214.
Rei iudicatæ exceptio, 157.
Rei litigioſæ alienatio, 134.
Reſcriptorum diuiſio, 10.
Reſcripta generalia quæ, 5.
Reſcriptum, 8.
Reſcripta gratiæ, 10.
Reſcripta priuata, ibid.
Reſcripta exhibita, 11.
Reſcripta annualia & ſuperna, 10.
Reſcripta ſimplicia, 9.
Reſcripti honor, 14.
Reſcripti contemptus, ibid.
Reſcripta iuſtitiæ, 10. & ſeq.
Reſcriptorum abolitio, 11.
Reſidentia cuius iuris, 52.
Reſponſio, 13.
Reſpondere propriè cum lis intenditur, 118.
Reſtipulatio, 117.
Reſtitutio in integrum, 105.
Reſtitutio facienda præſentialiter iudicis officio, 131.
Reſtitutionis remedium fortius appellatione, 106.
Reueſtiri quid, 131.
Reus confeſſus pro iudicato, 136.
Reus non tenens dicere cauſam profeſſionis ſuæ, 137.
Reus è carcere liberatus in natali Epiſcopatus, 29.
Reus exceptione oppoſita vincit, 138.
Reuocatio procuratoris 101. parti ſignificanda, ibid.
Rogo quid, 14.
Romiperæ romieret, 250.
Ruptarij, 404.

## S

SAcellarius, 80.
Sacellum, 261.
Sacellum portatile, ibid.
Sacer homo quis, 329.
Sacerdos datus vnus monachis, 254.
Sacerdos ideſt Epiſcopus, 369.
Sacerdotium iudæorum quibus dabatur, 59.
Sacerdotes dicti ἡγιμένοι, 50.
Sacerdotes Ægyptij, 53.
Sacramenta quæ iterantur & quæ non, 56.
Sacrarum rerum contrectatio, 218.
Sacriſtæ officium, 79.
Sacrum encautum, 8.
Sacrum locum facit Epiſcopus, 259.
Saccularius, 80.
Sagittæ & batiſtæ arma crudelia, 403.
Sagittæ quadrallæ, 404.
Sal in Baptiſmo, 336.

Sal in

Sal in ſacrificio, 335.
Saluamentum, *ſauſconduict*, 165.
Salus Trinitatem deſignat, 3.
Samaritæ qui, 386.
Sancius Rex Portugalliæ, 42.
Sanctiones, 4.
Sanctimonialium ſollicitatio capitalis, 412.
Sanctuarium ad orientem, 300.
Sanctum viiagium, 290.
Sandalia, 36.
Saphirus & eius ſignificatio, 53.
Sapientes vocantur à Diuo Paulo Presbyteri & Diaconi iudicia tractantes, 109.
Sarabaitæ, 247.
Sarak Arabibus furax, 381.
Sarraceni vnde, ibid.
Sarracenis quando vti poſſunt Chriſtiani, 383.
Satanas & Belial quis, 390.
Satzal lapidare id eſt ponderare, 210.
Scharchorum ludus, 429.
Sceptrum Epiſcoporum, 55.
Schema virginum, 50.
Schiſma ſciſſura, 387.
Schiſma propriè multorum non vnius, 388.
Schiſmatici qui, ibid.
Schiſmaticorum & hæreticorum differentia, 387.
Scientia impedimenti in matrimonio, 351.
Scientia pro conſenſu, 197.
Scientia quæ in ordinibus, 53.
Schola Alexandrina, 378.
Scholarum magiſter, 77.
Scholæ caput, 78.
Scholæ duæ cantorum & puerorum vna, altera Theologiæ, ibid.
Scholæ in clauſtris, 377.
Scholæ olim variæ, ibid.
Scholæ in Cathedralibus Eccleſijs, 378.
Scholarum ius penes Præfectum vrbi, 380.
Scholaſtici munus, 379.
Scholaſticum vindicandi mos, 380.
Scotatio quid, 224.
Scriniorum magiſter, 9.
Scrutinia baptizandorum ſeu competentium, 281.
Scrutinium in ordinibus, 45.
Scrutinium in aſſignandis Eccleſijs, 46.
Scrutinium furti, 414.
Secundæ nuptiæ, 361.
Securitas ſaluus conductus, 94.
Senatorum ætas, 52.
Senator Romæ differt ab alijs 63. Tributorum ſuſceptor, ibid.
Senatus vnde, 42.
Senatus vices principis agit, 230.
Senatuſconſultum Turpilianum, 371.
Senectus frigida, 344.
Sententia interlocutoria, 120.
Sententia quando à Papa confirmanda, 158.
Sententia vera quæ ibid. ex ſcripto, 159.
Sententiæ vis, 157. 158.
Sententiæ duæ aliquando vna, 118.
Sequeſter iudex arbiter, & interpres ſponſionum, 135.
quia ſit, ibid.
Sequeſtratio quibus in caſibus locum habeat, ibid.
Sequeſtro dos datur marito ad inopiā vergente, ibid.
Sequeſtratio fit omnium rerum, ibid.
Sequeſtratio bonorum tertio datur, ibid.
Seſquialtera vſura, 417.
Serui creditorum debitores, 63.
Serui dominus poteſt impedire matrimonium, 330.
Serui Eccleſiæ, 203. quandiu durarint 63.
Serui reipublicæ, ibid.
Serui ordinarij à modiaſtino & qualiquali differentia, 91.
Seruitus amittitur cognatione ſpirituali, 333.
Seruorum ordinatio, 60.
Seruos promouere Epiſcopi promittebant, 62.
Seruorum varia conditio, ibid.
Seruus abiectus liber fit, 394.
Seruus Epiſcopatu fit liber, 61.
Seruus teſtis eſſe non poteſt niſi omni alia probatione deficiente, 140.
Septennium in ſponſalibus, 313. 314.
Sepulchra maiorum, 232.
Sepulchralis pecunia, 233.
Sepultura, 231.
Sepulturæ libertas, 232.
Sepultura quando in Eccleſijs, 233. intra ciuitatem vetita, 234.
Sepulturæ facultas à quo danda, ibid.
Σφραγὶς, 49.
Sicarij, 392.
Sidonij locus illuſtratus de cantore & Archidiacono, 77.
Sigilla principum, 9.
Sigilli Epiſcopalis fides, 221.
Sigillorum corruptio, 419.
Sigillum, 8.
Sigillum ſignum vniuerſitatis, 198.
Signaculum diuinum confirmatio, 58.
Silentium an faciat conſenſum, 195.
Silentium monachorum, 256.
Siluanus Epiſcopus neminem ex clero iudicem eſſe permiſit, 110.
Simon magus, 371.
Simonia, ibid.
Simonia in beneficio, 374.
Simoniacus ordinatur, 373.
Simoniæ caſus, 374.
Sodales ſeu ſocij clerici, 198.
Solutio, 222.
Sonnia & exſonia nuntiare quid ſit, 133.
Sophiæ templum, 300.
Sorores focariæ, 172.
Sors quid ſit iuxta Auguſtinum, 22.
Sors in electionibus, 424.
Sortis ratio in officiis militiis dandis ex agris aſſignandis, 23.
Sortis nomen, 424.
Sortilegium, 423.
Spadones qui, 345. 346.
Spadoni templum prohibitum, 65.
Spalla quid, 271.
Spiritales operæ, 62.
Spoliationis ratio in ordine iudicii prius habēda, 127.
Spoliatus ante omnia reſtituendus, 131.
Spoliorum dedicatio, 242.



Digitized by Google

Spondere ex deſpondere differunt, 313.
Sponſa duorum, 319.
Sponſa exibat è patris poteſtate, 310.
Sponſa ſecunda, 320.
Sponſalia quæ ſunt, 309.
Sponſalia de præſenti, 310.
Sponſalia olim faciebant matrimonium, 309. 310.
Sponſorum vas, 218.
Sportulæ, 182.
Sportulæ pro introitu, 269.
Spurij, 60. 332. 352.
Stabilitatis promiſſio à clericis præſtanda, 178.
Stata tempora & interſtitia in ordinibus obſeruanda, 43.
Stationes in Eccleſia, 458.
Stationes ieiuniorum, 291.
Status & conditio multos à teſtimonio repellit, 140.
Statuta laicorum, 6.
Statuta & conſuetudines in quibus differant, 15.
Statutorum confirmatio, 6.
Σταυροπάτοι, 36.
S. Stephanus primus diaconorum, 70.
Sterilitas remittit penſionem, 212.
Sterilitas an ſoluat matrimonium, 345.
Sterilitas procurata, 396.
Stilus decretorius, 462.
Stipulæ fractio, 445.
Stola, 167.
Subdelegatus, 83.
Subdiaconatus quando ordo ſacer, 78. 176.
Subdiaconorum munus, 323.
Subdiaconus à coniugio alienus, 287.
Subintroducta mulier, 172.
Subſcriptio in alienationibus, 195.
Subſcriptio reſcriptorum, 12.
Subſtantialis, 2.
Succeſſio ab inteſtato, 230.
Succeſſor in beneficio tranſactionem à prædeceſſore factam non tenetur ſeruare, 97.
Succeſſor vitij defuncti, 13.
Sufficio genus purgationis, 451.
Suffocatio partus, 394.
Suffragium, 424.
Suffragium pro cenſu, 376.
Summus Pontifex propriè dicitur maximus, 89. 90.
Summus Pontifex conſecrandi Eccleſias ius ſolus habebat, 259.
Summus Pontifex poteſt omnes ordines vna eademque die conferre, 43.
Superhumerale, 34.
Super indumentum 167. Superpelliceum, 168.
Suppletio in Sacramentis, 57.
Suſpenſio & depoſitio differunt, 435.
Sycophantarum pœna, 371.
Συγκαθέδροι, 196.
Symbolum fidei, 281.
Syndicus negotia publica non priuata gerit, 101.
Syndici vocantur actores, ibid.
Syndico voluntario non debetur,
Salarium, 102.
Syngrapha, 8.
Synodaticum, 269.
Synodi congregatio, 6.
Synodi prouinciales & priuatæ, 4.
Synodus perfecta, 434.

## T

Tabula clericorum, 77.
Tabulæ Eccleſiæ ceteæ, ibid. ceræ primæ & ſecundæ, ibid.
Tabulæ formatæ, ibid.
Tabula rotunda & equites tabulæ rotundæ, 400.
Talaris veſtis, 167.
Talionis pœna, 370.
Talionis vinculum, 366.
Talia collecta, 270.
Talorum ludus, 429.
Tangere corpus dominicum, 287.
Θρόνοι conciliarij, 196.
Telorum varia genera, 404.
Templum quid, 261.
Templi diſpoſitio, 300.
Templorum introitus ad ortum, 299.
Temporis ratio varia in præſcriptione, 154.
Tempus breue decem annorum, 155.
Tempus longum, ibid.
Tempus continuum, 32.
Tempus non determinatum, 154.
Tempus ordinationum, 155.
Tempus quadrageſimæ ad ordinationes, 42.
Tergiuerſatio, 371.
Teſſera ſyntenia, 267.
Teſtamenta confirmantur coram principe, 229.
Teſtamentum, 227.
Teſtamentorum executores, 230.
Teſtandi facultas Epiſcopis & clericis data quomodo, 228.
Teſtandi ius quibus ademptum, 229.
Teſtimoniales diaconi, 71.
Teſtimonium falſum, 420.
Teſtimonium ſeu atteſtatio teſtium, 138.
Teſtes coacti in teſtimonio ferendo, 142.
Teſtes decem & non plures in Gallia recipiũtur, 141.
Teſtes de facto & non de iure admittuntur, 138.
Teſtium dicta in acta publica redigi debent, ibid.
Teſtes ieiuni & iurati, 141.
Teſtes interrogati denuo interrogari poſſunt, ibid.
Teſtes iterato recipiuntur nouis propoſitis capitulis, ibid.
Teſtes iure canonico per cenſuras Eccleſiæ compelluntur, 142.
Teſtem laudare quid ſit, 140.
Teſtibus non teſtimoniis credendum non ſemper verum, 139.
Teſtes plus valent quam ſcriptura teſtes viui & præſentes, ibid.
Teſtium productio bis fieri poteſt, 141.
Teſtes qui cogi non poſſunt nec euocari, 142.
Teſtes quomodo olim recipiebantur, 140.
Teſtis vnius vacillatio negotium totum non deſtruit, 145.
Teſtis vnus poteſt facere præſumptionem, ibid.
Teſtis vnus fidem non facit, 140.
Teſtium vox non maiorem fidem facit quam tabulas & inſtrumenta, 139.

Digitized by Google

T[illegible] fides adhibeatur quæ conſideranda, ibid.
T[illegible] Schola, 78.
The[illegible] ibid.
The[illegible]us Patriarcha Conſtantinopolitanus, 33.
Theſ[illegible], 79.
Theb[illegible], 65. 346.
Thiaræ, 65. 346.
Θηριομ[illegible] prohibita, 400.
Tituli [illegible]ales, 199.
Titulus beneficij, 30.
Titulus in ordinatione, 51.
Titulus triplex, ibid.
Toloſa Narbonæ ſubdita, 298.
Toloſanæ Eccleſiæ cuſtodes, 80.
Toloſani Archiepiſcopatus vacatio, 41.
Toloſanum capitulum dat teſtandi licentiam, 229.
Tonſuræ monaſteriorum, 391.
Tonſura ferenda clericis, 390.
Tonſura characteriſtica, 169.
Tonſura ſcytica, ibid.
Tonſura Thraſica, ibid.
Tormentum igneum arquebuſe, 404.
Torneamenta quid ſint, 399.
Torneamenta Chriſtianis cur facere licuerit, 400.
Torneamenta ſæpe prohibita, ibid.
Torneamenta tyronum in terra ſancta non debent fieri, ibid.
Torquati milites, 34.
Torques pallium, ibid.
Τόξικον & Τόξον, 403.
Traditiones receptæ, 15.
Tranſgreſſio mandatorum apoſtaſiæ non eſt, 391.
Tranſlatio Epiſcopi Papæ reſeruata, 30. 31.
Tranſactio non fit de ſpiritalibus, 97.
Tranſactio contra Eccleſiæ vtilitatem, ibid.
Tranſactioni non datur pœnitentiæ locus, 96.
Tranſactio de re dubia, ibid.
Tranſitio ad aliam diœceſim, 31.
Trapezitæ calliditas, 210.
Treuga dei treuia, 93.
Τρέβα, 92.
Treuga Canonica & conuentionalis, ibid.
Treuga abſque denunciatione non rumpitur, 93.
Treuga ſcripto & pacto firmatur, ibid. Epiſcoporum conſilio firmatur, ibid.
Treuerenſis Eccleſia, 34.
Tributa regia, 270.
Tributorum genera, 267.
Tribunal Epiſcoporum incertum, 88.
Trinitas vox quando cognita, 2.
Trinitatis origo, 1. 2. 3.
Troparia, 53.
Truſtis, 216.
Tunica linea, 34.
Tunica ſacerdotalis, 167.
Tutela regnorum, 42.
Tutela quand datur clericis, 64.
Turbæ & lities in electionibus, 21.
Typus publicus, 7.

# V

Vacatio ſedis, 42.
Vacatio à quo pronuntianda, 41.
Vacationis tempus à die notitiæ, 192.
Vacatio de facto, 28.
Vadium pro pignore, 218.
Vagulatio, 142.
Vaguos Epiſcopus, 30.
Vas id eſt ſponſor, 218.
Vaſſi laſſi, 215.
Vaſa ſacra tecta portari ſolita, 218.
Vaſa ſacra à quibus contrectanda, 324. & tangenda, 286.
Vaſorum & veſtimentorum cuſtodia, 286.
Vaſorum cuſtos ſacriſta, 79.
Velum coniugum, 317.
Venatio prohibita quibus, 427. 428.
Venatio in pretio habita, ibid.
Venationis diſtinctio, ibid.
Venatio bellum iuſtum, ibid.
Venditor quanti tenetur ex mendatio, 209.
Verba ad quid inſtituta, 467.
Verborum ſignificationem propriam habent canones, ibid.
Verba non effectu ſepi accipienda, 468.
Veſperæ quatuor pſalmis contabant, 278.
Veſtium diſtinctio & ſignum in ordine, 167.
Veſtes mutatio, 326.
Veſtat monachorum pullæ, 168.
Veſtes clericorum olim violacere, ibid.
Veſtes virgatæ & verſicoloriæ, ibid.
Veſtis linea prohibita monachis, 255.
Veſtis data die nuptiarum, 360.
Veſtis alba baptizatorum, 282.
Veſtis veri luminis holouera paraganda, 168.
Veſtium muliebrium ſumptio, 422.
Veſtimenta ſacra quomodo lauanda, 286.
Vicarius triplex, 81.
Vicarius plebani, ibid.
Vicarius Papæ, ibid.
Vicarius ſiciliæ, 80.
Vicarij portio, ibid.
Vicedominus, 264.
Victor pſeudopontifex, 388.
Viduarum conſecratio, 50.
Viduarum ætas, ibid.
Viduarum veſtis, 363.
Vigiliæ ſunt ieiunia, 293.
Vinum monialibus vetitum, 255.
Vinum in ieiunio prohibitum, 294.
Vinum relliquiarum, 290.
Vincula & defixiones, 347.
Violentię & malefidei differentia in poſſeſſorē, 130.
Virga, 55.
Virginum ſchema, 50.
Virginitatis pretium, 411.
Vis eſt impreſſio, 104.



Digitized by Google

Vis publica & priuata, 130.
Vis neceſſitas voluntari contraria, 103.
Vis duplex in iure, ſimplex quotidiana, ibid.
Vis ſimplex in matrimonio, 104.
Viſitationis ius, 269.
Viſitatio monachorum Epiſcopis ſublata, 447.
Vitæ & moram examen in ſcrutinio, 46.
Vitium in loco ſuſpecto in actis publicis, 144.
Vitiati ad ordines an admittendi, 64.
Vitiati comparati capite minutis, ibid.
Viuentis beneficium dari vel eligi non debet, 50.
Vnio permutationis nomine continetur, 214.
Vnio Glaſtonenſis Monaſterij Bathonienſi Epiſcopatus, 195.
Vnio eſt datio, 224.
Vniuerſitas Toloſana, 6.
Vniuerſitatum ſcholæ vbi, 378.
Vnitas in Trinitate, 2.
Vnctio multiplex, 54.
Vnctio frontis, 51.
Vnctio capitis, 54.
Vnctio regum ex oleo ſacro, 56.
Vnguentum vnctionis, 54.
Vocatus debet legitime citari, 132.
Volent vnde, 410.
Volo, 15.
Voluntas in crimine punita, 227.
Votum, 250.
Voti infractor, 250. 391.
Votum ſolemne, 325.
Voti mutatio, 251.
Vota omnium ſcribenda in electionibus, 26.
Vota patrum pro filijs, 244.
Vota præmatura damnantur, 245.
Votorum redemptio, 251.
Vouentium matrimonium, 322. 325.
Ὑπόβολα, 359.
Ὑποταγῆς nomine quid, 92.
Vſura, 220.
Vſura vltra ſortem, 416.
Vſura mediocris, 417.
Vſurarum reductio, 416.
Vſuræ in Calendis, ibid.
Vſuræ in vbi ius belli, 418.
Vſuræ non debentur ex nuda promiſſione ſed ob iuſiurandum, 94.
Vſurarij manifeſti, 419.
Vſus pallii in miſſa, 34.
Vultus geniatus, 35.
Vulgi opinio inducit iuratoriam cautionem, 145.
Vuadium, 218.
Vucre λύτρον pretium, 219.
Vulneratio, 430.
Vuergildum, 93.
Vuard cuſtodia, 264.
Vxores duæ, 319.
Vxor dimiſſa an alteri poſſit nubere, 358.
Vxorem ſuperducere, 319.
Vxor ob publicam honeſtatem an poſſit debitum exigere, 339.
Vxor militis abſentis an alii nubere poſſit, 364.
Vxorati ordinati, 322.

## X

Xειροχρησταί, 447.

## Z

ZOna monachorum & clericorum, 266.
Zona virgines ſuſpenſæ, 257.
Zona nodus virginitatis, ibid.

# FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google